NOTIONES ARCHAEOLOGIAE CHRISTIANAE

DISCIPLINIS THEOLOGICIS COORDINATAE

AVCTORE P. SYXTO O. C. R.

VOL. II PARS SECUNDA

SYMBOLA ET PICTVRAE COEMETERIALES



ROMAE - DESCLÉE ET SOC. EDITORES - MCMX

NOTIONES

Archaeologiae Christianae

II 1401/II cz. 2
R. 1940 W/o

P. SYXTVS O. C. R.

NOTIONES
Archaeologiae Christianae

DISCIPLINIS THEOLOGICIS
ET LITVRGICIS COORDINATAE

VOL. II. PARS SECVNDA

SYMBOLA ET PICTVRAE COEMETERIALES



Biblioteka Instytutu
Archeologii i Etnologii PAN
0034675

ROMAE
DESCLÉE ET SOC. EDITORES
Piazza Grazioli (Pal. Doria).

Conceditur ut figurae libro propriae reproducantur, dummodo debito modo et auctoris et operis nomen referatur.

IMPRIMATUR
† Fr. Augustinus Marre Ep. Const.,
Abbas Gen. O. C. R.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli Patriarcha Constantin., Vicesgerens.

Romae - Ex off. typogr. Forzani et Soc.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

AVGVSTINO MARRE

EPISCOPO CONSTANTIENSI

ABBATI GENERALI O. CIST. R.

LIBER SACER

ESTO

AD LECTOREM

EN, *lector humanissime, promissa operis pars, omnium forsan difficillima, in qua redigenda Leonis de Kerval, egregii ac peritissimi viri, consiliis haud parum usus sum.*

Fateor librum opinione breviorem evasisse, sed tamen statuto pretio maiorem, praesertim propter tabulas coloribus inductas. Ut autem liber vel a ceteris eiusdem operis libris seiunctus usui esse posset, plures iam notas figuras, necnon duas Abercii Pectoriique epigrammata referentes tabulas in eo iterandas curavi.

Tertia secundi voluminis pars, operisque ultima, iam paratur, anno ineunte proximo, ut arbitror, proditura. Secunda vero primi voluminis pars, cum circa monumentorum descriptionem artemque versetur, post tertiam illam commodius, si Deus dederit, evulgabitur.

Amplissimas denique RR. PP. Bonaventurae Stürzer O. Cist. R., ac Iosepho Bonaveniae S. I., clarissimis et doctissimis viris, publice gratias refero, quod primas corrigedi impressiones onus susceperint.

Romae, sub festum Paschae anni MDCCCCX.

P. SYXTUS O. Cist. R.

CHRISTIANORUM SYMBOLA ET PICTURAE

Consideratio praevia.

EPIGRAPHICA pertractata re, ad symbola picturasque investigationem nostram ex instituto dirigamus oportet. Horum quidem consideratio et studium haud facilis res est, quippe a pluribus iam agitata auctoribus diverso prorsus modo. Sunt tamen non pauca, in quae fere omnes conveniunt quaeque nobis vehementer probantur; alia vero, in quibus interpretandis discrepant auctores non parum; ea proinde, nisi ex meo ingenio atque studio proprio explicem, iuxta auctores quibus magis familiaria sunt monumenta illustranda interpretabor. Ubi autem res incerta evadere possit, praecipuorum tunc afferam auctorum sententias. Verum non sola auctoritas valebit ut quid admittatur verum aut tamquam verisimillimum; sed, et praesertim, ipsorum monumentorum exploratio atque studium, eorumque cum eiusdem naturae documentis collatio, criteria interpretandi praecipua nobis erunt.

Monumenta funeraria undique collata in praecedenti libro proposita, licet diversa interdum inter se videantur, tamen eiusdem sunt generis, nempe quatenus defunctos respiciunt eorumque statum. Etenim, nuda nomina, defunctorum virtutes, obita ab eis munia et quas exercebant artes, dolorem superstitum parentum et spem conceptam de animarum defunctorum beatitudine, sive iam possessa, sive possidenda, preces proinde effusas ut quamprimum eae recipiantur ad Deum, aliaque eiusmodi exhibent epitaphia. Perraro vero in iis arcana

fidei quasi legentibus revelanda exponuntur, ut in Abercii Pectoriique epigrammatibus, et in istis quidem non ex communi veluti quodam more ac publica auctoritate quidquam perdiscendum proponitur; sed, aut amicus ibi amicum alloquens, quod sibi utile fuerit illi suadet, ut in Pectorii inscriptione in qua legimus:

Tuam, amice, foveto animam aquis perennibus sapientiae, etc.(1)

aut, ut in Aberciano carmine, defunctus quid sibi evenerit narrat, quasi ratio sit ut qui eius intelligat sermonem eamdemque profiteatur fidem pro eo velit orare:

Haec qui intelligit, quique eadem sentit, oret pro Abercio.(2)

Quod autem exinde concludere licet maximi sane est in monumentis interpretandis momenti. Si enim epitaphia, quae non exiguam monumentorum constituunt partem, ac certe clariora et explicatiora quam cetera sunt monumenta, indolem talem produnt quae funeraria omnino sit, iam in limine magna habetur praesumptio de ceterorum monumentorum natura. Nonne rationi prorsus consentaneum est ut, qua lapicida in epitaphiis incidendis ductus sit cogitatione, eadem et pictoris mens inspirata fuerit? Ceterum id e monumentorum propria et intima consideratione colligendum erit, nunc vero aliud nobis est inquirendum ut tota appareat epitaphiorum indoles. Et primum quidem quaeri licet, an apud primaevos Christianos symbola in usu fuerint, et qualia; deinde eorum investigabimus rationem.

(1) *Notiones* etc. vol. II pars prima, p. 169.
(2) *Notiones* etc. vol. II pars prima, p. 114.

CAPUT I.

Christianorum epitaphiorum symbola.

Art. I. — Animae ac beatitudinis aeternae symbola.

Ne cui mirum videatur hic etiam de sepulcris sermonem fieri; haec enim cum omnium quae nobis extant sint antiquissima monumenta, primum, ut par est, locum eis debetur. Nec vero omnia eiusmodi monumenta in praesenti consideranda libro veniunt; genus namque sepulcrorum est quae, licet iam inde ab Antoninorum circiter aetate non minus apud Christianos quam apud ethnicos adhibita fuerint, nempe marmoreae capsae quas sarcophagos appellarunt, ea tamen, quartum ante saecu-



Tab. I.

lum, quam rarissime Christianis consignata sunt symbolis, ac plerumque ipsis in ethnicorum officinis comparata fuisse inveniuntur. Praefatae igitur partitioni monumenta ipsa se offerunt obnoxia, quamvis propter maximam eorum inter se congruentiam, aliquando etiam de anaglyptis hic sermo occurret.



Tab. 2. Eukaristi. (Ex *Römische Quartalschrift*, 1906).

Qui casu cryptas Romanorum coemeteriorum ingreditur, is statim ubique signa in tabulis, olim sepulcra claudentibus, conspicit, eorumque aliqua saepius quam cetera repetita. Neque aliter videre est ubicumque lapidaria, quae vocant, musea Christiana constituta fuerint. Praecipua vero eiusmodi signa haec sunt: anchora, columba, palma, piscis, arbores, bonus pastor, ovis, agnus, figura orans manibus expansis, vasa vel sola, vel cum avibus in iis bibentibus, phari turris, navicula,

Tab. 3. (Ex *Römische Quartalschrift*, 1906).

pavo, equus, monogrammata, coronae, dolia, amphorae, artium instrumenta aliaque quorum exempla in primo huius voluminis libro exhibita sunt. Haec omnia aliquid assimilatione quadam significasse haud dubium est, iamque plurium eorum interpretationes explanavimus; immo aliquando non sola, sed duo et amplius simul in unico cernuntur epitaphio, ita ut aliquid componere videantur, atque una ex pluribus signis cogitatio evadat, sitque veluti ideogrammatica oratio.

Anima, quam vidimus columba et agno repraesentatam, etiam sub figura naviculae apparet: quod quidem symbolum

obvium est, praesertim si et figura phari adsit ad quam navicula sit directa; ac evidentius e tabula 3 apparet, in qua tres tegulae, sepulcrum claudentes, duplici modo idem repraesentant. Tegula enim sinistra columbam et anchoram prae se fert minio depictas; in reliquis vero, navicula columbae locum tenet.

Tab. 4.

Quod pharus portum significet, sive coelum ad quod anima, veluti navis ad terminum spiritualis navigationis pervenit nemo negabit. In coemeterio Callisti phari cuiusdam figura apparet plures continentis litteras quae verbum Graecum ΑΟΡΑΤΑ



Tab. 5.



Tab. 6.

id est *invisibilia* produnt: sic nempe, ut I. B. De Rossi explicat, praemium illud significatur, *quod oculus non vidit*[1] (Tab. 5); et in alio epitaphio Romano, pharus inter coronam et palmam cernitur, hoc est inter victoriae signa (Tab. 6).[2]

(1) *Bull. di arch. crist.* 1868, p. 11.

(2) *Bull. di arch. crist.* 1868, p. 11; FABRETTI, *Inscr. domest.* p. 566, n. XLII. — De corona et de palma satis diximus (Vol. II, pars prima, p. 135 sq.), ceterum obvia eorum significatio omnibus est. Quod autem eae familiaria essent Christianis symbola, id facile colligitur ex pluribus Scri-

Nedum columbae, sed et aliae aves incisae aut depictae conspiciuntur, praesertim pavo qui optime immortalitatem animae repraesentabat, iuxta antiquam ethnicorum opinionem. Sunt qui in eo symbolum videant resurrectionis eo quod pennas in autumno amissas splendidiores verno tempore pavo producat: probabilis sane opinatio, ex qua pavo idem atque tempora anni, toties in sepulcris tum ethnicis tum Christianis repraesentata, innueret. Phoenix quoque animam immortalem adumbrat, sed potius in gemmis annulorum sequioris aevi quam in epitaphiis picturisque coemeterialibus nobis apparet. Nam cum eius figura prorsus ignoretur, Plinius vero de coloribus tantum huius ita loquatur: *Auri fulgore est circa colla,*

Tab. 7.



Tab. 8.

cetero purpureus, caeruleam roseis caudam pennis distinguentibus, haec avis a ceteris secerni avibus hoc solummodo potest nimbo, quem ei Philostratus, Tatius aliique scriptores tribuere; tali autem insignita nimbo nullibi in coemeteriis cernitur. Ceteroquin nota sunt verba, quibus de phoenice ave in passione S. Caeciliae mentio est: «... Quem (Maximum) sancta Caecilia iuxta Valerianum et Tiburtium sepeliit in novo sarcophago, et iussit ut in sarcophago eius sculperetur phoenix ad indicium fidei eius, qui resurrectionem se inventurum, phoenicis exemplo, ex toto corde suscepit».

Sicut navicula ad pharum directa, ita equus ad palmam vel ad Christi monogramma currens spiritualem animae si-

pturae testimoniis (II *Timoth.* IV, 8; *Sap.* IV, 2; I *Petr.* V, 12; *Apocal.* IV, 10, 11 etc.) et ex Patrum auctorumque Christianorum scriptis fere innumeris; immo ex ipsis coemeterialibus monumentis, ut postea videbimus.

gnificat cursum, de quo et Ioannes in Apocalypsi et Paulus in suis epistolis pluries loquuntur.[1] Non desunt tamen epitaphia, in quibus equi figura artis signum sit, sed hoc quam rarissime invenitur. Quaedam in Sardinia insula inventa inscriptio equi figuram exhibet non solum versus Christi monogramma currentis, sed etiam eodem signo muniti, quasi pos-

Tab. 9.

Tab. 10.

Tab. 11.

Tab. 12.

Tab. 13.

Tab. 14.

Tab. 15.



Tab. 16.

sessoris gregis locum sigilli tenentem; quod quidem et in quadam lampade in Africa reperta deprehenditur, in qua tamen loco monogrammatis est crux gammata (Tab. 8);[2] et aliud Romanum epitaphium cuiusdam cursoris habet: QVI CVCVRRIT OPERE MAXIME. Quae quidem verba illud certe S. Pauli sapiunt: *In fide, quae per charitatem operatur, curre-*

(1) Cf. praesertim II *ad Tim.* IV, 7; I *ad Cor.* IX, 24.

(2) De Rossi, *Bull. di archeol. crist.* 1873, tab. XI, n. 1 et 1891, p. 17 sq., tab I.

batis bene,[1] et illud psalmi CXVIII (v. 32): *Viam mandatorum tuorum cucurri.*

Eamdem cogitationem palma et corona exhibent: in actis Ss. Mariani et Iacobi, hanc martyribus visionem apparuisse legimus: « Adcucurrit ad nos obvius puer, quem constabat esse alterum ex geminis ante triduum cum matre passis, corona rosea collo circumdatus et in manu dextra palmam viridissimam praeferens ».[2] Neque aliter videtur innuere columbae figura rostro arbores, flores fructusve, praesertim uvam petentis, aut in vase bibentis; sed ista latius explicanda.

Tab. 17.

Tab. 18.



Tab. 19.

Locus in quo animae iustorum aeterna frui beatitudine putabantur Graeca seu etymologice Persica voce *paradisus* vocabatur, quae nemus floriferum, vel hortum significat. Eamdem proferunt liturgiae et martyrum acta cogitationem, inter quae passio Ss. Perpetuae ac Felicitatis primum tenet locum. Ibi enim S. Saturus hanc habuisse paradisi visionem dicitur: « Factum est nobis spatium grande, quod tale fuit quasi viridarium, arbores habens rosae et omne genus flores. Altitudo arborum erat in modum cypressi, quarum folia canebant sine cessatione »;[3] et illa cuiusdam Copticae liturgiae oratio:

(1) *Ep. ad Gal.* V, 6, 7. — Cf. De Rossi, loc. cit.; *Bull. di arch. crist.* 1865, pp. 52, 53; Le Bas, *Monum. d'antiq. figurés*, p. 223; Martigny, *Dictionn.* art. *Cheval*; Le Blant, *Inscr. chrét. de la Gaule*, t. I, p. 102.

(2) Ap. Ruinart, *Acta sincera*, p. 198.

(3) Robinson ap. *Texts and Studies*, Cambridge, 1891, t. I, fasc. 2, p. 78.

« Refrigera illis (Deus) in loco viridi, super aquas refectionis, in paradiso deliciarum »,[1] necnon Ordinis commendationis animae ista oratio: « Constituat te Christus Filius Dei vivi inter paradisi sui amoena virentia... ».

Patres item non aliter paradisum describunt, ut, exempli gratia, S. Augustinus, cui hoc tribuitur carmen:

> Hiems horrens, aestas torrens illic numquam saeviunt;
> Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum.
> Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum,
> Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
> Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum;
> Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.[2]

Et S. Paulinus Nolanus, qui Fundi basilicam Severo describens, hanc refert inscriptionem:

> SANCTORVM LABOR ET MERCES SIBI RITE COHAERENT
> ARDVA CRVX PRETIVMQVE CRVCIS SVBLIME CORONA
> IPSE DEVS NOBIS PRINCEPS CRVCIS ATQVE CORONAE
> INTER FLORIFERI COELESTE NEMVS PARADISI
> SVB CRVCE SANGVINEA NIVEO STAT CHRISTVS IN AGNO
> AGNUS VT INNOCVA INIVSTO DATVS HOSTIA LETHO

Ex epitaphiis unum eligam Romanum, anni 382 hos praebens versus:

> AMPLIFICAM SEQVITVR VITAM CASTA AFRODITE FECIT AD ASTR
> A VIAM CHRISTI MODO GAVDET IN AVLA RESTITIT HAEC MVNDO
> SEMPER CAELESTIA QVAERENS OPTIMA SERVATRIX LEGIS FIDEIQVE
> MAGISTRA DEDIT EGREGIAM SANCTIS PER SECVLA MENTEM INDE [P] EXIMIOS
> [PARADISI
> REGNAT ODORES TEMPORE CONTINVO VERNANT VBI GRAMINA RIVIS (3) etc.

In epitaphiis haud facile erat hortum nemusve delineare; unde duae arbores, aut etiam arbor una, hanc paradisi potue-

(1) Cf. vol. II pars prima, p. 121.
(2) Cf. GARRUCCI, *Storia dell'arte crist.* vol. I, c. 11, p. 192.
(3) DE ROSSI, *Inscr.* t. I, p. 141, n. 317. [P] (*per*).

runt significationem exhibere, ut ex tabulis relatis patet. Aliunde figurae 17, 18, 19 clare demonstrant quid de arboribus floribusque in epitaphiis delineatis intelligendum sit; nempe, dum tabula 17 columbam inter flores gaudentem exhibet, animam videlicet Ampeliae IN BONO, tabula sequens 19 olivam arborem praebet, apocalypticis consignatam litteris, quae nonnisi de Deo atque potius de Iesu Christo accipiendae sunt. Rufina igitur, quae dicitur in pace, in Christi pace reputanda est, quod quidem et alia epitaphia, atque etiam clarius, significant. Exempli gratia:

Tab. 20.

Tab. 21.

Tab. 22.



Tab. 23.

Tab. 24.

Tab. 25.

Tab. 26.

Tab. 27.

At in istis exemplis aliquid novi est quod explicari debet. Quidnam scilicet vas in Christianis epitaphiis significat? Distinguendum: sunt enim vasa quae *amphorae* vocantur, fragilia, utpote ex argilla cocta conflata, ad liquores servandos desti-

nata. Eorum figura aliquando in epitaphiis apparet, ac procul dubio aliquid significarunt. In *Actibus Apostolorum* Paulum vas electionis factum fuisse legimus;(1) Tertullianus vero et Lactantius de humano corpore veluti de vase fictili,(2) atque *vasculo, quo tamquam domicilio temporali spiritus caelestis utatur*,(3) loquuntur; ac Prudentius in suo *Peristephanon* carmine angelum inducit ita S. Vincentium martyrem alloquentem:

Pone hoc caducum vasculum,
Compage textum terrea,
Quod dissipatum solvitur,
Et liber ad coelum veni.(4)

Epitaphium etiam quoddam, in Agro Verano inventum, hanc prae se formulam fert: DIONYSI VAS ☧,(5) nec aliud videntur amphorae in Christianis inscriptionibus significare, ut, exempli gratia, in hac a nobis iam alibi relata:



Tab. 28.

(Χρι)CTINA H EN ΘΕΩ ΚΑΙ ΧΡΙCΤΩ ΠΙCΤΕΥCAC(α) ... (προ)C TOIC ΑΓΓΕΛΟΙC.

Aliter autem amphorarum figurae quae apud tabulam 29 extant explicandae certo videntur; sed mihi cum minime datae iam interpretationes vel a viris symbolorum peritissimis probentur, ego rem dirimere non audeo. Hoc solum dicere pos-

(1) *Act.* IX, 15: Ὅτι σκεῦος ἐκλογῆς ἐστίν μοι. Cf. II *ad Tim.* II, 21; II *ad Cor.* IV, 7; *Apoc.* II, 27.

(2) TERT. *De patientia*, c. X: «Nos utres, vasa fictilia».

(3) LACTANTIUS, *Divinae institutiones*, lib. II, c. XIII, *P. L.* VI, col. 321.

(4) PRUDENTIUS, *Peristephanon*, lib. V, vv. 301-314, *P. L.* LX, col. 396.

(5) DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* 1867, p. 27.

sum, columbam ibi ad tridentem se recipere, qui certe signum crucis adumbrat; navalis enim malus pro crucis symbolo a quibusdam Patribus et Christianis scriptoribus accipitur, nec desunt monumenta idem testantia (Tab. 32); tridens autem pariter crucem significat, ut patet in exemplo tabula 30 relato. Atqui nave Ecclesiam ibi repraesentari plerique affirmant



Tab. 29. (Coem. Callisti).

Tab. 30.



Tab. 31.

Tab. 32.
Gemma Musei Britannici.

archaeologi, et fortasse aliqua est inter hanc atque 31 tabulam congruentia. Verumtamen, si meam prodere sententiam deberem, non quidem avem ibi animam repraesentare dicerem, sed potius naviculam, avem vero pacis symbolum esse, ut infra ex aliis exemplis liquido patebit.

Aliud vasis genus cernitur in epitaphiis quod calicis reddit formam et quidem talem, ut propriam calicis eucharistici fuisse ex pluribus pateat monumentis. Verum non ideo omnes huiuscemodi calices eucharistici dicendi, cum non raro, propter adiuncta quaedam, aliam ingerant cogitationem. Praeter enim

calicis figuram, quandoque avis ac saepius columbae imaginem cernimus ad calicem contendentis, vel in eo bibentis:



Tab. 33. Calix eucharisticus (*Graffito* apud templum matris Matutae, Romae, inventum).

Tab. 34.

Tab. 35.



Tab. 36.

Tab. 37.

Tab. 38.



Tab. 39. Coem. Callisti.

Tab. 40.

Si igitur columba, quae flores fructusque petit, pro anima aeternitatis pacisque bonis fruente accipitur; columba calicem

petens, vel ex eo ad sedandam sitim hauriens, pariter de aeternae beatitudinis fruitione intelligenda est. Refrigerium animae, uti vidimus in prima huius voluminis parte (p. 98 sq.), sub similitudine sitis aquarum fontibus explendae praesertim a primaevis excogitabatur Christianis, Psalmistae illud forsan commemorantibus: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes*



Tab. 41. Paradisus. Pictura saec. III in coem. Callisti.

aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. De amico suo Nebridio en quid habet S. Augustinus: « Iam non ponit aurem ad os meum; sed spiritale os ad fontem tuum, et bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea ut obliviscatur mei cum tu, Domine, quem potat ille, nostri sis memor ».[1] Sic in

(1) S. AUGUST. *Confess.* lib. IX, c. 3, *P. L.* XXXII, 765

quadam coemeterii Callisti pictura, quae paradisi viridarium repraesentat animasque in illo beatas, aves cernuntur in calicibus aqua repletis bibentes [1] (Tab. 41). Quamobrem non aliter istae sunt figurae intelligendae.

Quae quidem figurae illi videntur formulae aequivalere de qua in praecedenti libro sermo fuit: ΠΙΕ ΕΝ ΘΕΩ, vel, IN PACE PIE ZESES = *Bibe in Deo, in pace, bibe, vivas.*

Verum tamen hoc non officit quominus aliquando quidam calices pro symbolis eucharisticis accipiendi sint, quando scilicet una cum ceteris eiusmodi signis appareant, praesertim in picturis; sed de hoc postea dicendum.

Tab. 42. Inscriptio Carthaginiensis.

Animae quoque vel fidelis repraesentatio dolium esse aliquibus visum est, licet interdum doliorum fabricatorem illud indicet; sed tum antiqui scriptores, tum antiquitatis periti mire in ratione huiuscemodi symboli assignanda dissentiunt. Non est igitur cur de ea verbum faciam; hoc unum nihilominus animadvertendum, dolium scilicet una cum calice, vel inter duo vasa atque etiam inter duas columbas cerni aliquando: estne forsan caelestis convivii symbolum dicendum?

(1) Quod illis in calicibus aqua sit, evidentissime patet liquoris colore caeruleo; immo, in medio vase, unda pluribus siphunculis exsilit.

Defuncti anima in pace recepta figura personae orantis quam saepissime adumbrabatur (Tabb. 43, 44). Haec tamen perraro ita delineata erat, ut defuncti personae quantulumcumque consimilem imaginem referret; quandoque potius de statura cura erat in sepulcris infantium. Pleraeque *orantes* figurae feminei sunt sexus, [1] sed *orantes* alterius sexus non desunt et, quod plus est, interdum mulieris figura viri animam repraesentat, et vice versa (Tabb. 45, 47).

Fuerunt qui eiusmodi figuris aliquando virginem Mariam vel Ecclesiam repraesentatas esse dixerint, sed mihi valde pro-

Tab. 43. (Coem. Callisti).

Tab. 44. (Coem. S. Ermetis).

bantur ea quae egregius Wilpert contra illam opinionem argumenta attulit; argumenta, inquam, quae nobis, propter explanatas iam notiones, captu facilia et rectissima videbuntur. [2] Itaque eorum summa hic nobis pro occasione est exponenda. Et primum quidem notandum venit nomine *orantis* omnes indicari figuras, sive marmoribus inscriptas, sive in muris de-

(1) WILPERT, *Ein Cyclus*, p. 30 sq. Ut obvium videtur, animam feminea figura melius quam masculina significabat, ac in antiquis scriptoribus, cum de animabus martyrum e corpore egredientibus sermo fit, ipsae puellarum imaginem exhibere dicuntur, ut in actibus S. Caeciliae. Ceterum idem videre est in tab. 25 vol. I, partis prioris, martyrium S. Laurentii forsan repraesentante.

(2) WILPERT, *Ein Cyclus*, pp. 30–52.

pictas, sive denique sculptas, quae in sepulcris cernantur, seclusis tamen illis quae eodem modo Noe, Danielem, Abraham, Isaac aliosque interdum orantium instar referunt.



Tab. 45. Anima defuncti in paradiso repraesentata.

Plures eiusmodi figurae nomine defuncti instructae sunt; earum igitur significatio indubia prorsus habetur. Aliae ipsam

Tab. 46. (Coem. Callisti).

Tab. 47. (Ex *Römische Quartalschrift*, 1891).

defuncti aetatem et sexum quodammodo innuunt. Sic in sepulcro cuiusdam Hermogenianae, quae annum et quinque menses vixit, infantis figura descripta est:

ERMOGENIANE QVAE VIXT ANNV MENSES·V·
QVE DEPOSITA·XI·KAL·MA·I·IN PACE

(De Rossi, *Roma sott.* t. II, tabb. XXX, XXXI, n. 10).

Quod hic defunctae anima delineata sit non minus est evidens atque in pluribus exemplis, ubi super capitibus orantium nomina legimus: GRATA, (1) IVLIANE, (2) FLORIA, (3) HAIOBOPA, (4) PROCOPI IN PACE (5) etc.

Praeterea, ut fuse in praecedenti libro tractatum est, ex epitaphiis deducitur superstites, vel defunctis pacem aeternam ominatos esse, vel eos iam in felicitatis possessione putasse, vel, postquam aeternam beatitudinem iis augurati sint, eos



Tab. 48. (Coem. Callisti).

precatos esse ut pro viventibus intercederent, vel, denique, cum eos iam aeterno gaudentes arbitrarentur praemio, illis instantissime quasi intercessoribus apud Deum se commendasse. Atqui his plerisque cogitationibus prorsus congruit figura orantis, veluti animae adumbratio quae aeterno fruatur gaudio ac de viventibus sollicita sit. Id insuper exemplis pluribus confirmatur, in quibus *orans* inter paradisi symbola apparet: videlicet iuxta bonum pastorem, veluti ad Christum recepta, iuxta

(1) GARRUCCI, *Storia dell'arte crist.* t. II, tab. 69, n. 2.
(2) Mus. Later.; GARRUCCI, loc. cit. t. V, tab. 301, n. 2.
(3) GARRUCCI, loc. cit. t. V, tab. 381, n. 4.
(4) WILPERT, *Katakombengemälde*, p. 61.
(5) DE ROSSI, *Roma sott.* t. III, tabb. I, II.

arbores, inter flores, candelabra, aliaque signa, necnon apud picturas in horto arboribus florigeris exornato.

Tab. 49. (Mus. Lateranense).

Tabulae 47, 48, 49, 50, nobis animas repraesentant *inter sanctos*, iuxta formulam quamdam epigraphicam; videlicet *orans*

Tab. 50.

aut locum inter duos agnos vel oves, aut inter duas columbas medium tenet. Inscriptio cuiusdam Theoduli, in Marci et Mar-

Tab. 51. (Coem. Callisti).



Tab. 52.
(Coem. Callisti, Regio S. Miltiadis vocata).

celliani coemeterio inventa, item animam defuncti profert a Christo iudice in numero electorum admissam, nempe inter oves (Tab. 53). Sed erit forte qui quaerat, quidnam columba

Tab. 53. (Coem. Ss. Marci et Marcelliani).

in tabula 51 sibi velit, ubi anima iam sub forma orantis apparet? Columba hic nequit symbolum animae esse, sed potius pacis, sicut columba Noetica. Idem symbolum in quadam coemeterii Callisti inscriptione apparet, solo cum nomine EIPHNH; ibidem in alia tabula coemeteriali columba cum ramo olivae cernitur revertens ad arcam, in qua non quidem Noe sed mulier orans stat (Tab. 54). Ceterum et aliae sunt arcae figurae in epitaphiis, in quibus defunctus potius quam Noe exhibetur; sed de hoc suo loco redibit sermo.



Tab. 54. (Coem. Callisti).

Orantis igitur figura animam beatam, aut quam parentes eius beatam iam putabant repraesentat; proindeque hoc habitu et martyres nominatissimi, licet raro, depicti inveniuntur. Sic, S. Ianuarius, cuius figura in Neapolitanis catacumbis inter duo candelabra conspicitur, habens ad latera duas



Tab. 55. (Mus. Lateranense).

alias orantes figuras, humilioris quidem staturae, sed quae aetatis inter se differentiam clare innuant (Tab. 56); Ianuarius, qui gigantea statura eminet, uti mos a saeculo inde quarto vigens sanctos repraesentandi ferebat, advocati munere hic fungitur.



Tab. 56. (Cat. Neapolitanae).

Tab. 57. (Mus. Lateranense).

Haud aliter de ceteris sanctis aliquando factum est, qui praeterea nedum mortuorum, etiam vivorum veluti patroni ac tutores sumebantur.

Sic intelligi debent figurae S. Agnetis quamplurimae, quae in cupparum fundo auro ducebantur, necnon apostolorum Petri Paulique figurae; sed istorum dimidiae imagines dumtaxat aliquando in epitaphiis occurrunt.

Tandem, ut par erat, ipsa Beata Virgo orans interdum in monumentis adest, sed tardius, ac potius in vitreis calicibus; semel tantum in quodam marmore Gallico, ubi ipsa, iuxta Graecam quamdam legendam, puellula ac templi Ierusalem ministra effingitur (Tab. 58).

Sententia quidem fuit I. B. De Rossi, orantis imaginem aliquando Ecclesiam et Mariam repraesentasse. Sed monumenta



Tab. 58.

Tab. 59.
(Ex Wilpert, *Ein Cyclus Christ. Gemälde*, Tab. 1).

eam corroborare non videntur opinionem: nam, praeter hic ultimo relata exempla, haud quidquam inveniri fas est quod figuram orantem aliquam pro Maria Virgine aut Ecclesia accipiendam indicet. Argumentum ex eo desumptum, quod non raro orantis effigies cum boni Pastoris figura alterna sit in laquearibus, firmum non videtur, nam, in coemeterio Ss. Petri et Marcellini, eodem hoc modo orantes figurae masculini sexus (Tabb. 59) cum boni Pastoris figura dispositae sunt; et in epitaphiis et in anaglyptis sarcophagorum in quibus figura orantis certissime defuncti animam adumbrat, idem deprehendimus.

Sunt et hodie qui putent in tab. 48 Ecclesiam repraesentari, quia oves ita ad eius pedes iacent, quemadmodum di-

spositas videmus oves ad pedes boni Pastoris. Verum eodem modo pluries et leones ad latera Danielis depicti sunt,[1] et insuper nescio cur tantam cogitationum confusionem inducere primaevi Christiani in sepulcris exornandis debuissent, ut ipsi coaevi non valerent animae figuram ab Ecclesiae vel a Mariae figura certa ratione distinguere. E contra, quanta non est inter hanc et tabulae 53 figuram congruentia, dummodo altera animae receptionem, altera vero animam iam receptam inter oves exhibeant! Quibus illa Orientalis antiquae liturgiae respondent verba: « Colloca eos inter agnos tuos : numera eos cum sanctis tuis »,[2] et haec Romanae veteris quoque liturgiae : « Transitum mereantur ad vitam et in ovium tibi placitarum benedictione aeternum numerentur ad regnum ».[3] Ceterum, quantum hodie datum est scire, in Occidente nunquam figura orantis, sive insculpta, sive depicta, quattuor prioribus saeculis nominatim veluti Ecclesiae personam gerens apparet, nec ceterae eiusmodi personarum inductiones unquam ita dispositae cernuntur, si personae instar inductionem precis (Εὐχῆ) quae in quadam Aegypti Christiana necropoli invenitur, excipias.[4]

I. B. De Rossi eo etiam figuram orantis interdum *Matrem Ecclesiam* repraesentasse arbitratus est quia in quodam epitaphio haec leguntur:

MAGVS PVER INNOCENS
ESSE IAM INTER INNOCENTES COEPISTI
QVAM STAVILES TIVI (stabilis tibi) HAEC VITA EST
QVAM TE LETVM EXCIPET MATER ECCLESIA DE OC
MVNDO REVERTENTEM · COMPREMATVR PECTORVM
GEMITVM · STRVATVR FLETVS OCVLORVM

Verum multo minus ad rem inscriptio ista confert; nam, alia est Ecclesiae figura quae, iuxta formulam TE EXCIPIET

(1) WILPERT, *Le pitt. delle cat. rom.* tabb. 103, 4; 166, 2; 169, 1.
(2) RENAUDOT. *Liturg. orient.* II, p. 516. — Cf. II, p. 534.
(3) MURATORI, *Liturg. rom. vet.* II, pp. 290, 356.
(4) W. DE BOCK, *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Egypte chrétienne*, pl. XII sq.

MATER ECCLESIA, expandit brachia ad animam amplexu recipiendam, alia ab orantis figura. Denique, unicum exemplum in quo revera mulier, quae orans videretur vocabulo Ecclesiae distincta, nempe minuta quaedam pictura in Barberiniano quodam volumine nullius argumenti ac momenti evasit, postquam egregius Wilpert demonstravit, non de orante ibi agi, sed de muliere fornicem templi sustinente. (1)

De habitu vero orantis, seu de manibus ad orandum expansis elevatisque, nullum esse potest dubium, ut patet ex his Tertulliani verbis: « Illuc (scilicet in coelum) suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus vitam illis prolixam, imperium securum... ». Comparans deinde cum orantis habitu habitum situmve quo aptius in martyrum corpora a persecutoribus saeviebatur, ita pergit auctor: « Sic itaque nos ad Deum expansos ungulae fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiae insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani »; (2) immo opinio erat etiam sanctos in coelo ita apud Deum orare, sed de hoc infra redibit sermo.

(1) *Römische Quartalschrift*, 1899, tabb. I–II, p. 23 sq. — Cf. eiusdem auctoris *Le pitture*, testo, pp. 421–422.

(2) TERTULL. *Apol.* 30. — Expansis manibus orare praeceptum apostolicum est: « Volo ergo », ait S. Paulus ad Timotheum (I, 8 sq.), « viros orare in omni loco levantes puras manus »; et ad Corinthios Clemens Romanus: « Accedamus ergo ad eum in sanctitate animae, castas et impollutas manus elevantes ad illum » (I, 29, ed. FUNK, p. 97). Sed iam in usu erat apud Hebraeos hic orandi modus, cum legamus: « extollite manus vestras in sancta et benedicite Dominum » (*Psalm.* CXXXIII, 3; cf. *Exod.* XVII, 11), et hunc quidem morem apud ethnicos viguisse, praeter monumenta, etiam auctores plures testantur (cf. APULEIUS, *De mundo*, 33; CIC. *Ep. ad Fam.* VII, 5; VIRGIL. *Aen.* II, 687 sq.). Tertullianus habitum describit orantis dicens: « ... ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate ac probe elatis; ne vultu quidem in audaciam erecto » (*De orat.* 17); item Origenes, qui proprium hunc orandi affirmat esse morem, in quo et oculi elevandi sunt: τὴν κατάστασιν τὴν μετ' ἐκτάσεως τῶν χειρῶν, καὶ ἀναστάσεως τῶν ὀφθαλμῶν πάντων προκριτέον (*De orat.*, *P. G.* XI, 549).

ART. II. — **Symbola Christum et crucem significantia.**

Christi Domini symbola in epitaphiis plura sunt, eaque nobis ex parte iam perspecta. Quid enim piscis, quidque monogramma Graecis X P vel I X litteris constans significet, in praecedenti libro satis vidimus. Restat ut agni ac boni pastoris figuras consideremus.

AGNUS. — Agni repraesentatio non semper animam, sed interdum Christum innuit, et raro fit ut haec duo clare inter se non distinguantur. Agnus tamen ut Christi symbolum ra-

Tab. 60. (Coem. Callisti).

rius in epitaphiis quam in sculptilibus aliisque monumentis apparet, eiusque ratio in illis Ioannis Baptistae verbis sita est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; quibus et alia quidem plura Sacrae Scripturae loca consonant, quae, utpote cognita, huc adducere non oportet. At titulorum repraesentationes, licet pauciores, tamen maioris momenti sunt, quia antiquiores.

Iam quod agnus victimam significet, non est cur demonstrem. Verum in monumentis funerariis aliud indicare praecipue videtur. Et re quidem vera, tabula 60 columbam ad agnum receptam exhibet, ad agnum sub anchora in crucis formam delineata quiescentem. Dubium non est, hic anchoram signi-



Tab. 61. (Coem. Domitillae).

fícationem determinare; tabula denique illis videtur verbis congruere S. Paulini Nolani:

Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno. (1)

Alius titulus (Tab. 61) eiusdem fere generis esset agnoscendus, si ut I. B. De Rossi eum supplevit ita revera exti-

Tab. 62. (Mus. Lateranense).

tisset. Putavit enim egregius vir in superstite tituli parte extremum crucis adesse truncum. Verumtamen non equidem ita censeo, et arbitror supplemento minime crucem esse exhibendam, uti hucusque dictum est ab omnibus, sed potius arborem paradisi. Uti postea videbimus, crux quam rarissime in sepul-

(1) S. Paul. Nol. *Ep. XXXII ad Sever.* 17; *P. L.* t. LXI, col. 339.

cris trium priorum saeculorum cernitur, numquam vero tali forma ut eius pes in hirundinis caudam desinat; et alioquin arbores ita quoque quasi radices habentes in epitaphiis delineatas ubique videre est. Neque ad rem multum faciunt verba Paulini Nolani adduci solita: « Eadem crux... eloquitur Dominum tamquam monogrammate Christum ». (1)

Sed quomodocumque res se habeat praefatae figurae eo respicere videntur, ut anima, sub ovis vel avis specie ad bonum recepta Pastorem, vel sub figura personae orantis in medio



Tab. 63. (Coem. Callisti).

sanctarum grege animarum, aut iuxta Christum Pastorem, agni sub specie adumbratum, repraesentetur (Tab. 63). (2)

Relata exempla fere sola sunt quae in epitaphiis saeculo anterioribus quarto agnum ut Christi symbolum certissime referant; itaque primaeva in sepulcris agni figurae significatio potius ad ipsam refertur animam, quin tamen utique ceteras excludat significationes, iuxta quas agnus sine macula Christus victima expiationis propitiationisque est ac salutis pignus. Praesertim vero in picturis apparet ut cibus, quem qui manducaverit, vitam habebit aeternam, ac in ultimo resuscitabitur die. Atque id in praesentiarum sufficiat: de agno enim salvatoris symbolo alibi sermo redibit, ac praesertim in sequenti libro cum de sculptilibus erit tractandum, loquemur.

Bonus pastor. — Tabula 63 boni pastoris imaginem praebet, qualem ubique in primis Christianorum monumentis cer-

(1) *Natale S. Felicis*, vv. 617, 618; *P. L.* t. LXI, col. 544.
(2) Cf. huius voluminis partem primam, pp. 72, 73 et 126, 127.

nimus, generatimque eodem prorsus atque in Evangelica parabola sensu explicatur. Porro ne quis miretur hanc, quae tam obvia videtur, interpretationem, ex parte nos infitiari. Videlicet, cum hic de huiuscemodi figura in sepulcris delineata agatur, nullam video caussam cur ad animam defuncti illa non referatur cuius in sepulcro reperitur. Et hanc quidem primariam dicam figurae significationem, quae alteram sane non excludet, sed quae magis propria videtur, solaque interdum ab artifice qui eam incidit intellecta. Etenim si ovis, quam bonus Pastor portat, defuncti animam repraesentat, non de anima poenitente, sed de anima ab aeterno Pastore Christo in paradisum delata, figura illa accipienda est. Ceterum si, uti vidimus, in paradisum admitti idem sit atque gregi electorum adnumerari, grex pastoris includit cogitationem, cum sine illo concipi nequeat, et vice versa. Sic Psalmista Deum pastorem suum vocat; quaedam autem hodie usurpata in Ecclesia oratio sic habet: « Constituat te Christus filius Dei vivi inter paradisi sui semper amoena virentia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat »;[1] idemque aliis verbis in vetere Romana liturgia legimus: «..... Proficiat (defuncti animae) in aeternum quod speravit et credidit, et boni pastoris humeris reportata in comitatu aeterno regis, perenni gaudio, sanctorum consortio perfruatur »;[2] et in funebri liturgia Graeca ita defunctus loquens inducitur: « τὸ ἀπολωλὸς προβάτιον ἐγώ εἰμι· ἀνακάλεσαί με, Σωτήρ, καὶ σῶσόν με. = Ego sum ovis perdita, voca me, Salvator, et salva me ».[3]

Bonus Pastor, ita conceptus, iam inde a saeculo primo in picturis extat; serius vero sine ove in humeris delineatus est, et grege circumdatus, quam quidem repraesentationem et de animae beatitudine explicandam esse doctissimus Wilpert docet. Nempe hic nobis est cogitationum ordo considerandus: nam, uti in praecedenti vidimus libro, quidquid in antiquorum sepulcris scriptum aut delineatum est ad defunctos respicit, sive

(1) *Ordo commendationis animae.*

(2) MURATORI, *Liturg. rom. vet.* I, p. 751; cf. II, pp. 290, 356.

(3) Ἁγιασματάριον τὸ μέγα, p. 196.

in secunda post mortem vita, sive in eorum mortali peregrinatione. Etenim ex epitaphiis haud raro ars, munia, honores, virtutes ac fides defuncti colliguntur; praesertim vero si Christianus, fidelis fuerit, idest si gratiam acceperit, si virgo extiterit: sic praeclarus ille episcopus Abercius, de quo pluries locuti sumus, praeter alia, etiam se discipulum Pastoris immaculati fuisse in suo declarat epigrammate. Itaque, licet ad vivos potius gregis referatur cogitatio, vitam tamen defuncti haud obliviscitur anteactam, quae titulus erat, aut saltem putabatur, ut anima eius ad gloriam reciperetur aeternam. Videlicet Christus quem iam in suo grege viventem in hoc mundo numerabat, facilius gregi electorum eum adsociabit post mortem, seu, ut *verus Pastor, ovem agnoscet suam*. Plurima epitaphia quae in praecedenti libro recensuimus fideles exhibentia, immo ea ipsa quae extremis vitae diebus defunctum aqua salutari fuisse lotum testantur, apertius quidem, sed non aliter quam numerosa fidei symbola loquuntur:

CERTA FIDES IVSTIS CAELESTIA REGNA PATERE (1)

scriptum est in Felicis IV pontificis sepulcro († 530), quasi dictum esset: *Hic iustus fuit, eique merito caelestia patent regna*; et in marmore quodam a Bosio relato:

CORPVS HVMO ANIMAM CHRISTO PETRONI DEDISTI
NAM IVSTAE MENTES FOVENTVR LVCE CELESTI (2)

In quo autem sita haec iustitia sit non semper subintelligebatur, sed interdum symbolis, interdum vero explicate, significabatur. En exemplum alias iam propositum:

Lucill(?)A CR*e*DEDIT (*sic*) *in Ies*V*m* ☧ (Christum). (3)

Quod autem in Christum fides ratio esset aeternae beatitudinis promerendae, alia praeter supra relata epitaphia affirmant:

— CHRISTVM CREDENS PR*a*EMIA LVCIS *h*ABET (4)

(1) Bosio, *Roma sott.* p. 35.
(2) Bosio, *Roma sott.* p. 400.
(3) Wilpert, *Ein Cyclus*, p. 15.
(4) De Rossi, *Inscr. Christ.* t. I, p. 180, n. 412.

— XρICTINA H EN ΘEΩ KAI XPICTΩ IIICTEΥCACA ... προC (?) TOIC ANΓEΛOIC = Christina, quae, cum in Deo et in Christo credidisset, ... ad angelos (?) (vide tab. 28).

— *In*CVNDIANVS *qui credidit in* ‖ CHRISTVM IESV*m vivit in* ‖ *patr*E ET FILIO ET ISP*iritu sancto* (1)

— ET BENE PRO MERITIS GAVDET SIBI PRAEMIA REDDI
TECVM PAVLE TENENS CALCATA MORTE CORONAM
NAM FIDE SERVATA CVRSVM CVM PACE PEREGIT (2)

— QVISQVE FIDEM TRINAM CONFESSVS DOGMATE VERO AETERNAM FISVS CHRISTO CVM CARPERE VITAM CENSEAT HAS (virgines) NVNC LVCE FRVI VITAQVE PERENNI (3)

At non semper ita prisci Christiani beatitudinis supremae fruitionem confidenter de caris suis defunctis asserebant; aliquando vero fidem illorum et quae fides parit opera solummodo in sepulcris commemorabant, aut, his praetermissis, tametsi suppositis, debitae mercedis omina faciebant: eiusmodi sunt innumerabiles prorsus inscriptiones quae formulas: *in Domino, in Deo, in Christo, in Spiritu Sancto, cum angelis, cum sanctis* etc. exhibent. Alias autem, defuncti commemorata iustitia, Deus misericors suppliciter obsecrabatur, vel sancti necnon interdum amici et cognati superstites ut apud Christum intercederent, exorabantur:

— OMNIPOTENS DEVS TE DEPRECOR VT PARADISVM LVCIS POSSIT VIDERE PATREM ET FILIVM TIMVIT QVI EAM SVSCIPI IVBENT (4)

— HVNC PRECOR VT LVCIS PROMISSAE GAVDIA CARPAM (5)

— (LVCIFERVS) ... MERVIT TITVLVM INSCRIBI VT QVISQVE DE FRATRIBVS LEGERIT ROGET DEV VT SANCTO ET INNOCENTI SPIRITO AD DEVM SVSCIPIATVR (6)

(1) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1881, p. 66.
(2) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1866, p. 47.
(3) Le Blant, *Inscr. chrèt. de la Gaule*, t. I, p. 469, n. 353.
(4) *Corp. inscr. Lat.* t. V, par. II, n. 6218; Boldetti, *Cim.* p. 58.
(5) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1871, p. 102.
(6) Cf. vol. II pars prima, p. 113.

— PRO VITAE SVAE TESTIMONIVM (*sic*) SANCTI MARTYRES APVT DEVM ET ☧ (Christum) ERVNT ADVOCATI (1)

Si igitur defuncti reputentur praemio aeterno potiti eo quod fideles fuerint, id est, dum viverent, Christo crediderint, vel neophyti, aut saltem catechumeni, in pace Christi obierint; liquido patet formulas *in Domino, in Christo, ad Deum* aliaque eiusmodi formulis his sequentibus plus minusve respondere:

— (EVSTACIA) DEPONENS SENIO TERRIS MORTALIA MEMBRA SED REVEHENS COELO PRO MERITIS ANIMAM (2)

— (DATILLAE) ANIMAM PRO CASTO SANcTO *vitae proposito* NENO (nemo) DVBITA (dubitat) CAELVM PE*tiisse* (3)

— MARCIANVS ENONFITVS (*sic*) RECESSIT CELI TIBI PATENT BISBES (vives) IN PACE (4)

— IVN BASSVS VC (vir clarissimus) NEOFITVS IIT AD DEVM (5)

— POSTVMIVS EYTHERION FIDELIS ... CVIVS ANIMA CVM SANCTOS IN PACE (6)

Iam potest suis lector oculis videre quinam sit inter epitaphia et figuras nexus. Praefatae enim formulae: *inter sanctos, in Deo, refrigera, in pace*, etc. ita evidenter symbolis propositis exprimuntur ut nihil supra. Symbolorum vero adhuc aliqua nobis consideranda manent.

Crux. — Redemptionis signum rarissime in epitaphiis antiquioribus cernitur, cuius rei caussa non satis constat inter archaeologos. Eius usus augescere videtur post saeculum quartum; illud vero ante tempus, vix viginti crucis figuras, teste Wilpert, (7) in Romanis invenies catacumbis, earumque anti-

(1) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1864, p. 34.
(2) De Rossi, *Inscr. Christ.* t. I, p. 325, n. 745.
(3) De Rossi, *Inscr. Christ.* t. I, p. 534, n. 1179.
(4) Bosio, *Roma sott.* p. 35.
(5) De Rossi, *Inscr. Christ.* I, p. 80, n. 141.
(6) Boldetti, *Cimiteri* etc. p. 58.
(7) Wilpert, *Bull. di arch. crist.* 1902, p. 5 sq.

quissima prima saeculi secundi parte apparet, in coemeterio Callisti (apud cryptam Lucinae).

In tabula 64 cruci palma addita est, ac non immerito egregius Wilpert monumentum hoc veluti praenuntium prooemium



Tab. 64. Tabula marmorea loculum claudens in coemeterio Domitillae. Saec. III. (Ex *Nuovo Bull.* 1902, p. 6).

illius Constantinianae aetatis monumenti, quod verbis: Ἐν τούτῳ νίκα. Id est: *in hoc signo victor eris,* reputat esse habendum.



Tab. 65. (Ex *Revue bibl.* 1906).

Quod crux ante Christum, apud quosdam ethnicos, religiosum fuerit signum dubium non videtur, nam in Cretensibus monumentis, tribus abhinc annis repertis, una cum animalium sacrorum figuris etiam cruces, multo ante Chri-

stum natum delineatae, cernuntur (Tab. 65). Immo crux, in imaginibus locum aliquando occupat stellae inter cornua tauri sacri plerumque repraesentatae; quae quidem stella solis proin-

Tab. 66.
Signum ANK in monumentis Aegyptiis.

deque divinitatis signum est. In hoc tamen casu, crux stella simplicioris formae esse videtur, aut aliquando cum ascia bipenni confunditur.

At duo sunt crucis genera a primaevis Christianis adhibita, eaque, veluti religionis signa, multo ante Christum, apud Aegyptios et apud Orientales praesertim gentes usurpata; nempe ut in tabulis 66 et 67 apparent. Primum dicitur signum ANK et magis proprie Aegyptium est, alterum vocatur SVASTIKA vel *crux gammata,* cuius radii, quasi sint ignei ac circa centrum moveantur, flexi sunt. (1) Utriusque



Tab. 67. SVASTIKA
in monumentis Cretensibus
(Ex *Revue bibl.* 1906).

(1) Quidquid de cruce ante Christum apud ethnicos sacra aut secus dictum sit, illud indubium fixumque videtur: crucem scilicet plerumque ex astri figura originem deduxisse suam, et apud populos Orientales non

exempla in Christianis monumentis tabulae 69 et 70 exhibent:

Signum ANK Romae ac generatim in Occidentalibus regionibus inauditum prorsus est; cernitur autem in Aegyptiis Christianis sepulcris et in serioribus Christianis inscriptionibus apud Occidentales populos; SVASTIKA, e contra, haud raro tertio et sequentibus saeculis, sed iam inde a saeculo vergente secundo, in catacumbis apparet.



Tab. 68. SVASTIKA in monumentis Cretensibus. (Ex *Revue bibl.* 1906).

Verum, si perrara in primaevis Christianorum sepulcris crucis figura est, – quod profecto, nisi causam aliquam huius defectus facile suspicaremur, mirum esset, cum in cruce omnis Christiani posita sit spes, – non desunt tamen alia symbolica signa eam perspicue commemorantia, *anchora* videlicet, littera *tau* ac *tridens*.

Anchora, ut alibi vidimus, antiquissimum signum est, iamque saeculo primo in catacumbis reperitur. Eius significatio obvia prorsus est omnibus, cuius alioquin sacra Scriptura est testis. Et primum quidem Christus spes nostra est,[1] quia redemptor; redemptio autem per passionem fit quam resurrectio consequitur;[2] et haec quidem spes fidelibus est tamquam

secus atque stellam tamquam divinitatis signum esse habitam. Praeterea *crux gammata* et in Europae regionibus in usu fuit tempore quod praehistoricum vocant, ut Cypri, in Archipelago, in Italia Superiori, apud Danubium flumen et alibi; e contra incognita prorsus in Aegypto, in Phoenicia et in Assyria fuit. Cf. REINACH, *Chroniques d'Orient*, 2e série, 1896, p. 529 sq.; BERTRAND, *Nos origines. La religion des Gaulois*, p. 140 sq. Notamus denique Creta in insula crucem gammatam plurium officinarum sigillum proprium fuisse. Cf. *Revue biblique*, 1907, p. 503 sq.

(1) « Paulus apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et *Christi Iesu spei nostrae* » (I *ad Tim.* I, 1).

(2) « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui, secundum misericordiam suam magnam, regeneravit nos in *spem vivam per resurrectionem Iesu Christi* ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in caelis in vobis ». (I PETRI, I, 3–4).

anchora animae tuta firmaque. (1)

Quod si Patres interrogaverimus, nihil apud eos hac cogitatione communius inveniemus. Sic Ignatius Antiochenus, exempli gratia, plus semel tum ortum, tum passionem, tum denique resurrectionem Iesu Christi spem Christianorum esse dicit; (2) Iustinus vero hanc spem ipsum crucifixum vocat; (3) denique, ne sim prolixior, haec quam aptissima habet S. Ambrosius: « Sicut anchora iacta e navi non permittit eam circumferri, licet venti commoveant eam, sed iacta firmam facit navem, sic fides spe roborata introducit nos in rerum speciem quam modo in fide et spe tenemus ». (4) Iam epitaphia in quibus



Tab. 69. Inscriptio Palaestinensis (anni 504). (Ex *Revue bibl.* 1892, p. 241).

(1) « Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam *propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam* et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi praecursor pro nobis introivit Iesus » (*ad Hebr.* VI, 18–19).

(2) IGNATIUS M. *Ep. ad Magnesios*, XI: ... Πεπληροφορῆσθαι ἐν τῇ γεννήσει καὶ τῷ πάθει καὶ τῇ ἀναστάσει τῇ γενομένῃ ἐν καιρῷ τῆς ἡγεμονίας Ποντίου Πιλάτου πραχθέντα ἀληθῶς καὶ βεβαίως ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ἧς ἐκτραπῆναι μηθενὶ ὑμῶν γένοιτο. *Ep. ad Trallianos*: ... Εἰρηνευούσῃ ἐν σαρκὶ καὶ πνεύματι τῷ πάθει Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἐλπίδος ἡμῶν ἐν τῇ εἰς αὐτὸν ἀναστάσει.

(3) IUSTINUS, *Dial. cum Tryph.* XCVI: Καὶ γὰρ τὸ εἰρημένον ἐν τῷ νόμῳ, ὅτι Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου, οὐχ ὡς τοῦ θεοῦ καταρομένου τούτου τοῦ ἐσταυρωμένου. ἡμῶν τονοῦ τὴν ἐλπίδα ἐκκρεμαμένην ἀπὸ τοῦ σταυρωθέντος Χριστοῦ.

(4) S. AMBR. *In epist. ad Hebr.* VI. Cf. S. IOH. CHRYSOST. *Homil. XX ad populum*, in ps. X; S. PAULIN. NOL. *Natale 2 beati Felicis mart.*; RUFINUS AQUIL. in ps. XV.



Tab. 70. Ex *Römische Quartalschrift*, 1906 (Coem. Priscillae).

anchora navisque delineatae sint non desunt, saepius vero anchora cum columba adest, vel etiam sola ubi tamen legimus: PAX, PAX TECUM, PAX TIBI, TE IN PACE, EN EIPHNH, EIPHNH COI etc. Sic etiam nomina ELPIS,



Tab. 71.



Tab. 72.

ΕΥΕΛΠΙCΤΟC, EVELPISTVS, una cum anchora cernuntur. Semel ipsa anchorae figura desinit in litteram E; item semel una cum palma et anchora formula legitur: SPES PAX TIBI. (1)

(1) *Bull. di arch. crist.* 1886, p. 34 sq.



Tab. 73. (Ex *Bull. di arch. christ.* 1890, Tab. IV, n. 15).

Aliquando piscis anchoram comitatur, idque praesertim in epitaphiis saeculi ineuntis tertii, quae sine dubio formulam praebent eiusdem temporis propriam: SPES IN DEO, SPES IN CHRISTO. In quodam Romano epitaphio, super anchorae



Tab. 74. (Ex *Bull. di arch. christ.* 1890, Tab. V, n. 1).

figura inter duos pisces, legitur: ΙΧΘΥC·ZΩΝΤΩΝ, nempe: *piscis (spes) viventium* (Tab. 72).

Erit procul dubio qui quaerat, curnam duo pisces non autem unus delineati sint. Garrucci et alii ante eum putarunt duplicem piscem duplicem Iesu Christi naturam significare; sed haec paulo subtilior videtur interpretatio; e contra notatum est congruam symmetriae, quam vocant, rationem adesse, quoties piscis figura ad anchorae latera repetatur, idque ex tabulis 72, 73, 74 et 75 evidenter apparet; scilicet piscis duplicatur sicut



Tab. 75. (Ex *N. Bull. di arch. crist.* 1902).

duplicabatur aliquando dolium, palma, orans, monogramma, crux, bonus pastor etc.

Praeterea, anchora in Christianis monumentis etiam ipsius crucis signum est. Hoc nonnulli eruditi quidem viri, sed quibus parum familiaria sunt monumenta, infitiati sunt, perperam tamen, nam ipsis figuris clarissimus Wilpert [1] illud demonstravit, et alioquin vel ex eo patet, quod anchorae regula, quae in annulo esse deberet, haud raro in medio ponitur, aut ipsa



Tab. 76. (Coem. Priscillae).



Tab. 77.
(Coem. Priscillae).

(1) WILPERT, *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1902, p. 5 sq.



Tab. 78. (Coem. Priscillae).

anchora ita est erecta ut crucis speciem referat. Ceterum, ut id persuadeatur magis sufficit tabulas 75, 76, 77, 78 et 79 considerare, in quibus anchorae lineae ita paullatim mutantur, ut crucis denique, potius quam anchorae, reddant formam.



Tab. 79.

Item, ut ex tabulis colligitur, in tau litteram aliquando anchora vertitur: atqui littera tau, ut nemo dubitat, crucis sive patibuli, signum est, notaque sunt verba Tertulliani, qui Ezechielis textum: *Pertransi in medio portae mediam Ierusalem et da signum tau in frontibus virorum,* commentans subiungit: *Ipsa est enim littera Graecorum tau, nostra T species crucis.* (1) Itaque non nisi ut crucem adumbrans littera *tau* in tabulis 80 et 82 sunt accipienda in quibus nomini defuncti inserta est, sicut aliquando etiam anchora. Notandum denique est, anchorae symbolum fere evanuisse cum Christi monogramma describi coeptum fuerit.

(1) Tertull. *Adversus Marc.* III, 22.

Tab. 80.

Tab. 81. (Ex *N. Bull. di arch. crist.* 1902).

Tab. 82.



Tab. 83.

Tridens quoque pro crucis symbolo habendus est, uti patet ex tabulis 29, 30 et 83; sed quam rarissime reperitur, de eoque postea redibit sermo.

Art. III. — Symbola sacramentorum signa.

Quae de epitaphiis loquendo notavimus velut ad sacramenta alludentibus, haec eadem in symbolis figurisque animadvertimus epitaphiorum; nempe nihil amplius praeter baptismi et eucharistiae symbola deprehenditur. Res statim proponenda est;

deinde, alio articulo, cuidam difficultati respondebimus, cui solummodo ex parte, quod sciam, nec directe responsum hucusque fuit.

Ad baptisma quod attinet, unicum exemplum nobis adducere fas est, repraesentationem nempe quam exhibet epita-



Tab. 84.

phium quoddam, Aquileiae inventum, atque pluries sed plus minusve fideliter relatum (Tab. 84). Inscriptio habet:

*in*NOCENTI · SP*irit*O QVEM ELEGIT DOM*inus* PAVSAT IN PACE FIDELIS X · KAL SEPTEMBR*es*.

De hac repraesentatione diverso iudicarunt sensu eruditi. Sunt qui de masculi et qui de foeminae baptismo agi dicant; unde discussio cur, si foemina est quae lavatur, non adsit pariter foemina, seu diaconissa ut pudori consulatur. Non satis autem evidenter apparet uter sexus habeatur, et aliunde discussio inutilis videtur, cum repraesentatio nostra non rem ut vere acta est exprimat, sed symbolica sit. Hinc etiam ratio interpretationis eruenda est, nam quicumque ille sit qui manum super baptizandi caput ponit, de altera figura ambigi non

potest, cum saeculo quarto non nisi personae Christi nimbus datus fuerit.[1] Christi igitur praesentia prorsus congruit, cum ille sit revera qui baptizet, iuxta illa S. Augustini verba:

« Quid ergo per columbam didicit, ne mendax postea inveniatur (quod avertat a nobis Deus opinari) nisi quamdam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive iusti, sive iniusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi, super quem descendit columba, de quo dictum est: Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Petrus baptizet, hic est qui baptizat: Paulus baptizet, hic est qui baptizat: Iudas baptizet, hic est qui baptizat... Sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores. Quare ergo si unus ab illo, verbi gratia iusto, sancto baptizetur, alius ab alio inferioris meritis apud Deum, inferioris gradus, inferioris coutinentiae, inferioris vitae; unum tamen et par et aequale est, quod acceperunt, nisi quia hic est, qui baptizat? ».[2]

Ad pedes vero figurae duae apparent oves, fidelium gregem significantes, cui neophytus per baptismum adsociatur. Cetera non est cur explicentur.

Modus ita repraesentandi baptismatis in sacra supellectili usitatior evasit, praesertim in cuppis, quae veluti dona ecclesiae ab ipsis baptizandis offerebantur.

Minus rara in epitaphiis eucharistiae symbola cernuntur, quae panum sub specie praesertim repraesentata sunt, aliquando autem piscibus addita, eoque numero ut panum et piscium multiplicationem in Evangelio narratam innuant. Porro ipse Salvator hoc miraculo usus est ut discipulorum mentes ad eucharistiae notionem sublimiter eveheret; legimus enim Christum ita, post panum et piscium multiplicationem, populum redarguisse: « Amen, amen dico vobis: quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in

(1) Cf. Wilpert, *Die altchristlichen Inschriften Aquileias* ap. *Ephemeris Salonitana*, 1894, p. 39; De Rossi, *Bull. d'arch. crist.* 1876, p. 8 sq.

(2) S. August. *Tract. in Ioan.*, 6.

vitam aeternam... etc. ».[1] Origenes autem ita de panum et piscium multiplicatione allegorice loquitur, ut clare demonstret eam eucharistiae apud Christianos sui temporis symbolum probatissimum fuisse. En eius verba: « Ac primo quidem observa, hunc sanasse aegros cum panes benedictionis discipulis daturus esset, quos turbis apponerent ut, sanitati restituti, panum benedictionis fierent participes; nec enim qui etiamnum infirmi sunt, panes benedictionis Iesu capere possunt. Sed et si quis, cum haec audire deberet: *Probet autem unusquisque seipsum, et sic de pane illo edat*, et cetera, his non obtemperat quidem, sed temere panem Domini eiusque calicem sumit, imbecillus vel infirmus fit, vel dormiens ex ea, ut ita dicam, capitis gravedine quam a vi panis contrahit ».[2]

Saeculo sequenti, Papa Liberius, cum virgini velum Marcellinae imponeret, de Christo loquens eamdem prodit cogitationem: « Hic est, qui quinque panibus et duobus piscibus quattuor millia populi in deserto pavit. Plures potuit, si plures iam tunc qui pascerentur fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocavit: sed iam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur a coelo ».[3]

Denique tanta est similitudo inter verba quae eucharistiae institutionem et ea quae miraculum multiplicationis narrant, ut merito sagacissimus Wilpert suspicatus sit haec illa inspirasse.[4]

(1) Ioan. VI, 26–27.

(2) Origen. *Comm. in Matth.* I, x, § 25, *P. G.* t. XIII, col. 902 sq.: Καὶ πρῶτον γε τηρησον, ὅτι, μέλλον τοὺς τῆς εὐλογίας ἄρτους διδόναι τοῖς μαθηταῖς, ἵνα παραθῶσι τοις ὄχλοις, ἐθεράπευσε τοὺς ἀῤῥώστους, ἵνα ὑγιάντες τῶν τῆς εὐλογίας μεταλάβωσιν ἄρτων· οὐ γὰρ δύνανται οἱ ἔτι ἄῤῥωστοι χωρήσαι τοὺς τῆς Ἰησοῦ εὐλογίας ἄρτους. Ἀλλὰ καὶ ἐάν τις, δέον ἀκούειν τοῦ. Δοκιμαζέτω δὲ ἕκαστος ἑαυτὸν καὶ οὕτως ἐσθιέτω ἐκ τοῦ ἄρτου, κ. τ. λ., τούτων μὲν μὴ κατακούῃ, ὡς ἔτυχε δὲ μεταλαμβάνῃ ἄρτου Κυρίου, καὶ ποτηρίου αὐτοῦ, ἀσθενὴς ἢ ἄῤῥωστος γίνεται, ἢ καὶ ἐκ τοῦ, ἵν' οὕτως εἴπω, καροῦσθαι ὑπὸ τῆς τοῦ ἄρτου δυνάμεως κοιμώμενος.

(3) S. Ambrosius, *De virginitate*, lib. III, c. I, *P. L.* t. XVI, col. 219 sq.

(4) Praestat ipsius auctoris verba afferre: « Saint Jean n'a pas fait, dans son Evangile, le récit de l'institution de l'Eucharistie, tandis que le miracle de la multiplication a été rapporté par les quatre Evangélistes. Saint Jean, comme on le sait, suppose les *Synoptiques* et se borne à la

En utraque narratio:

MIRACULUM MULTIPLICATIONIS.

Matth. XIV, 19: «... acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, aspiciens in caelum benedixit, et fregit et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis».

Marc. VI, 41: «Et acceptis quinque panibus, intuens in coelum, benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos: et duos pisces divisit omnibus».

Luc. IX, 16: «Acceptis autem quinque panibus, et duobus piscibus, respexit in caelum, et benedixit illis: et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas».

EUCHARISTIAE INSTITUTIO.

Matth. XXVI, 26: «Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem: et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum».

Marc. XIV, 22: «Et manducantibus illis, accepit Iesus panem: et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum».

Luc. XXII, 19: «Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem».

Notandum insuper venit, formulam: *respexit* (*intuens, aspiciens*) *in caelum*, quae in miraculi multiplicationis narratione invenitur, minime vero inter verba institutionis eucharistiae, etiam in canone missae Romanae legi: *et elevatis oculis in caelum, benedixit*, etc.

Sed non sunt hic praetermittendi quidam Prudentii versus, qui ita de panum multiplicatione loquitur, ut omne dubium de eius eucharistico sensu eximat:

> Ac, ne post hominum pastus calcata perirent,
> Neve relicta lupis, aut vulpibus, exiguisve
> Muribus in praedam nullo custode iacerent:
> Bis sex appositi, cumulatim qui bona Christi
> Servarent, gravidis procul ostentata canistris.
> Sed quid ego haec autem titubanti voce retexo,
> Indignus qui sancta canam? Procede sepulcro
> Lazare ... (1)

seule promesse de l'Eucharistie. Mais le sens symbolique attaché au miracle de la multiplication n'a-t-il pas eu en cela quelque influence? La similitude des paroles employées par les trois Evangélistes dans le récit du repas miraculeux et celui de l'institution eucharistique est véritablement frappante ...» (WILPERT, *Fractio panis*, pp. 75-76, not. 4).

(1) PRUDENT. *Apoth.* vv. 736-743 *P. L.* LIX, 980 sq.

Versus isti maximi ad rem nostram sunt momenti, nam ab auctore symbola sepulcralia contemplante concinnati videntur; crebro enim in picturis et in sculptilibus, Lazari

Tab. 85.



Tab. 86.



Tab. 87. (Coem. Priscillae).

redivivi imago multiplicationem panum aliudve eucharisticum symbolum sequitur.

Hoc igitur, plane firmeque stabilito, scilicet panum multiplicationem sicut figuram, ita et symbolum eucharistiae exti-



Tab. 88. (Mus. Lateranense).

tisse, ad monumenta veniamus, quae quidem interdum nequaquam ad multiplicationis miraculum exemplata sunt:

Tab. 85. Haec inscriptio Mutinae inventa est, praebetque, praeter defuncti nomen, elementa eucharistica sub specie panum et piscium. Iam, si quid sapio, aliter nescirem figuram eiusmodi interpretari, nisi dicam Syntrophionis in sepulcro illum delineatum fuisse panem, quo defunctus in hac vita spiritualiter nutriebatur, quemque ipse Dominus pignus vitae aeternae vocavit, et veluti rationem posuit novissimae resurrectionis. (1) Quaedam alibi iam relata inscriptio huc confert, utpote quae, de eucharistia loquens, hanc velut huius vitae viaticum ad aeternam vitam assequendam indicat illius scilicet defunctae quae *Dei gratia se* dicit *posse mortem superare*, seu *aeter-*

(1) Ioan. VI, 31–60. — Profecto nihil in Evangelio magis repetitum est quam ista eucharistiae virtus. Sic eodem in capite VI Ioannis legimus: « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam quem Filius hominis dabit vobis » (27). — « ... Hic est panis de caelo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur » (50). — « Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita » (51, 52). — « ... Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die » (55). — « ... Qui manducat hunc panem vivet in aeternum » (59). — Notandum, inscriptionem nostram parum fideliter propositam in pluribus ephemeridibus et manualibus fuisse, quasi scilicet panes essent septem, duobus iam a duobus piscibus captis. Id ex parte symboli significationem mutaret, ageretur enim de pisciculis, id est, Christianis se Eucharistia nutrientibus, quae interpretatio hic omnino est excludenda. Pisces symmetriae caussa ita in tabula dispositi sunt, non quasi panes captantes; quod patet etiam tabula 86.



Tab. 89. (WILPERT, *Fractio panis*, Tab. 10, p. 83).

nam consequi beatitudinem, donum Dei simile portantem: ΟΙΗ ΣΗ ΧΑΡΙΤΙ ΤΕ ΕΙΜΙ... ΕΙϹΟΘΕΟΝ ΑΩΡΗΜΑ ΦΕΡΟΥΣΑ... (ΦΕΡΕΙϹ?).[1] Sed et alia est, nobis utique nota, quae eamdem cogitationem vel clarius praebeat:

ΜΑΡΙΤΙΜΑ ΣΕΜΝΗ ΓΛΥΚΕΡΟΝ ΦΑΟΣ ΟΥ ΚΑΤΕΛΕΙΨΑΣ
ΕΣΧΕΣ ΓΑΡ ΜΕΤΑ ΣΟΥ (piscis anchora piscis) ΠΑΝΑΘΑΝΑΤΟΝ ΚΑΤΑ ΠΑΝΤΑ
ΕΥΣΕΒΕΙΑ ΓΑΡ ΣΗ ΠΑΝΤΟΤΕ ΣΕ ΠΡΟΑΓΕΙ

Maritima Semne, dulce lumen haud reliquisti, tecum enim habebas in omnibus piscem omnino immortalem; nam tua tibi pietas ubique praecurrit.

Inscriptiones istae, non secus atque Pectorii Aberciique epigrammata, verbis proferunt, quod Syntrophionis epitaphium symbolis exhibet. Unum nobis Mutinense marmor non revelat, utrum scilicet parentes superstites ex eucharistia a defuncto sumpta rationem precandi sumant ut Deus eum beatitudine donet, – quod ipsum defunctum petere in Abercii Pectoriique inscriptionibus cernimus, – an defunctum, propter eucharistiam receptam, in Christo iam esse illi affirment, ut supra relatae inscriptiones habent.

Casu forsan evenit, sed tamen id notandum, ut quae in capite sexto Ioannis Evangelii, formulae atque sensus inveniuntur praefatis congruant inscriptionibus. Legimus enim apud Evangelistam, inter alia: « Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, ha-

(1) Vol. II pars prima, p. 173, tab. 70.

beat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die » (v. 40). — « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis » (v. 54). — « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo » (v. 57). — « ... Qui manducat me, et ipse vivet propter me » (v. 58). Itaque, cibus hic qui vitam largitur, seu *permanet in vitam aeternam*, non alius esse videtur quam ille, qui piscis et panis sub specie in epitaphiis apparet: ΙΧΘΥϹ ΖϢΝΤϢΝ, in quem qui credat, quemque qui possideat *praemia lucis habebit*: unde iam relata Ecclesiae oratio: ... *Ut* (defuncto) *proficiat in aeternum quod speravit et credidit.*

Tabula 86 idem atque praecedens exhibet; tabula 87 praeter panes anchoram prae se fert, quasi ibi legatur SPES IN CHRISTO quidem, sed in Christo in eucharistia accepto; idemque de tabula 88, dicendum, quae, tum propter dictionem, tum propter litterarum formam, ad saeculum potest pertinere secundum.

Tabula 89 tegulam repraesentat mediam quae, simul cum tegulis duabus aliis, adulti cuiusdam loculum in coemeterio Priscillae claudebat; unde pronum est credere in ceteris duabus reliqua elementa adfuisse ut numerus quinque panum et duorum piscium compleretur. Ad crucem vero quod pertinet, qua panes insigniuntur, certum est usum apud omnes fuisse aliquando panes cruce distinguendi ut facilius frangerentur. Verum, hic et alibi in Christianis monumentis, de cruce idem est atque de monogrammate tenendum, videlicet tamquam consecrationis esset signum.

Art. IV. — Formularum symbolorumque in epitaphiis indoles.

Quae hucusque exposita sunt, et ea quae fuse in praecedenti libro tractavimus, efficere possunt ut quis quaerat curnam duo tantum sacramenta in epitaphiis commemorentur, baptisma scilicet et eucharistia, rara cum confirmationis memoria quae ceterum una cum baptismo administrabatur? Quaestio ista, le-

gitima prorsus ac naturalis, maximi momenti est, eiusque solutio non parvam suppetet interpretandis picturis lucem. Ipso libri huius in limine, funerariam omnino indolem funerariis monumentis vindicavimus, quod quis tunc potuit supervacaneum forte existimare, nunc tamen non ita; nam, licet ex propositis notionibus facile indoles haec in epitaphiis deprehendatur, tamen adhuc clarius manet demonstranda circa duo sacramenta in iis significata inscriptionibus, necnon deinde in picturis quas tota quasi Christiana mysteria sub arcana forma exhibere quidam eruditi contenderunt. Immo fuere qui picturas dicerent ad docendum elaboratas et quamdam veluti catechesim extitisse. Sed ad epitaphia revertamur, de quibus, plene eorum cognita indole, ipse lector propriam efformare sententiam poterit.

Quod baptismatis repraesentatio funerariam naturam epitaphiorum non mutet, non est cur demonstretur. Sicut enim defuncti, nomina, virtutes, officia etc. incidebantur sepulcro, ita apprime poterat fidei professio repraesentari, illa videlicet fides, illeque ritus qui salutis aeternae essent posita a Deo conditio: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit ». (1) Liturgiae omnes catechumenos, *ut habeant vitam aeternam*, rite baptizandos esse affirmant; ac in funerariis precibus, defuncti commemorantur apud Deum utpote salutari loti lavacro, proindeque digni ut beatitudine donentur aeterna. In quadam *Missa pro defuncto nuper baptizato* Sacramentarii Gelasiani, Deus, qui in regnum caeleste eos tantummodo recipit qui in aqua et Spiritu Sancto renati sunt, invocatur, ut animae servi sui misereatur, et sicut eum statim post acceptum baptisma mori voluit, ita aeternae laetitiae plenitudinem ei concedat. (2)

(1) Marc. XVI, 16.

(2) Muratori, *Liturg. rom. vet.* I, 755. — « Generalmente », ait clarissimus Wilpert, « i defunti vengono designati come *coloro che hanno vestito Dio dall'acqua o nell'acqua del battesimo* fin nei più antichi canti (Qālē) della chiesa siriaca orientale, più tardi nestoriana (Bedjean, *Breviarium chaldaicum*, pp. 2*, 215* singulorum voluminum), che risale al IV secolo, ed inoltre nella letteratura liturgica di tutte le chiese sire » (Wilpert, *Le pitt. delle cat. rom.* textus, p. 236).

Quod autem de baptismo, idem et de eucharistia affirmandum est; immo, post ea quae in praecedenti articulo diximus, vix necessaria videtur demonstratio. Verumtamen pauca huc adducere inutile prorsus non erit, atque imprimis notandum venit, verbis Salvatoris: « Qui manducat hunc panem vivet in aeternum », aliisque eiusmodi, innumera Patrum respondere testimonia; in quibus exponendis eumdem plus minus hic ordinem sequar, quem magister meus Wilpert in suo egregio opere circa catacumbarum Romanarum picturas tenuit.(1) Propter enim effectum quem eucharistia, ex Christi verbis, producit, eam S. Ignatius martyr *antidotum contra mortem et pharmacum immortalitatis* vocavit;(2) Clemens Alexandrinus: *viaticum ad vitam aeternam*;(3) S. Irenaeus aliique *spem resurrectionis ad vitam aeternam.*(4)

Eodem modo, Serapionis liturgia, in epiclesi, seu ea in parte quae ad tertium certo pertinet saeculum, eucharistiam *vitae* (aeternae) *pharmacum* nominat;(5) cui fere omnes ceterae Orientales consentiunt liturgiae, in quibus oratur ut communio eam participantibus, sive ad vitam aeternam, εἰς ζωὴν αἰώνιον,(6) sive ad misericordiam et gratiam cum omnibus sanctis obtinendam proficiat,(7) aut ut vitae aeternae felicitatem et incorruptibilitatem defuncti valent adipisci.(8) Liturgia Syriaca S. Athanasii, quae ad normam et imitationem Antiochenae li-

(1) WILPERT, *Le pitt. delle cat. rom.* textus, pp. 260–261.

(2) *Ep. ad Ephes.* 20, ed. Funk, 190: ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, φάρμακον ἀθανασίας.

(3) *Stromat.* I, 1, *P. G.* VIII, 691: ἐφόδια ζωῆς ἀϊδίου.

(4) *Contra haeres.* IV, 18, *P. G.* VII, 1027: ἡ ἐλπὶς τῆς εἰς αἰῶνας ἀναστάσεως. Cf. S. CYPR. *Ep. synod. ad S. Cornelium*, *P. L.* III, 854 sq.; OPTAT. MILEV. *De schism. Donat.* lib. VI, c. 1, *P. L.* XI, 1064 sq.

(5) Cf. BRIEGER–BESS, *Zeitschrift für Kirchengeschichte*, XX, 312.

(6) *Constit. Apostol.* lib. VIII (ap. BRIGHTMAN, *Liturgies Eastern and Western*, vol. I, p. 21); *Liturg. S. Iacobi* (ibidem, p. 54).

(7) *Liturg. S. Basilii* ap. BRIGHTMAN, loc. cit. 330: ἔλεος καὶ χάρις μετὰ πάντων τῶν ἁγίων.

(8) *Liturg. S. Marci* ap. BRIGHTMAN, loc. cit. 134: εἰς κοινωνίαν μακαριότητος ζωῆς αἰωνίου καὶ ἀφθαρσίας.

turgiae composita est, eucharistica elementa appellat, *corpus, praestans incorruptibilitatem futuram in saecula saeculorum — calicem arrhabonis haereditatis futurae in saecula saeculorum.*[1] Nestorianorum autem liturgia resurrectionis spem in eucharistiae susceptione ponit, cum optet ut eius usus *ad magnam conferat resurrectionis mortuorum spem, novamque in regno caelorum vitam.*[2] « Etiam in liturgicis precibus pro defunctis, ait egregius Wilpert, Deo eucharistiae virtus repraesentatur, ut defunctorum misereatur animarum; idque liturgica Ecclesiae Orientalis Syriacae carmina, semper una cum baptismatis recordatione, praestant, eisque omnes poetico-liturgicae compositiones atque Syrorum breviariorum preces, cuiuscumque confessionis, apprime consonant ».[3]

Congruentiam inter epigraphicas formulas ac illam canonis Romanae missae precem quam *mortuorum memento* vocant satis iam abundeque commonstravi; ac de cogitationum formularumque ceterarum liturgiarum cum epitaphiis haud levi similitudine sermonem feci.[4] Argumentum igitur totum concludere nunc mihi fas est: nempe aut eucharistiam, utcumque in sepulcris significatam, certam testari parentum fidem de obtenta defuncti requie ac beatitudine veluti eucharistiae praemio; aut, ut saepius quidem evenisse videtur, hanc sacramenti repraesentationem precem aliquatenus supponere, quam in fere omnibus liturgiis legimus, et quae his plus minus verbis Orientalis cuiusdam liturgiae exprimi potest: « Benigne respice, Domine, super omnes fideles defunctos: eisque peccata remitte, eorumque erroribus parce, nam eorum membra carnem et sanguinem Unigeniti tui continent..... etc. ».[5]

Sed hoc praeter, alia est epitaphiorum qualitas, quae nobis monumentorum priscorum indolem amplius patefaciat, serena videlicet illa inter gemitus mens, non immaturae crude-

(1) Baumstark, *Oriens christianus*, II, 108 sq. 110 sq.
(2) Brightman, *Liturgies Eastern and Western*, p. 287.
(3) Wilpert, loc. cit. p. 261.
(4) Vol. II pars prima, p. 101 sq. 120 sq.
(5) Renaudot, *Liturg. orient.* II, p. 450 sq. Cf. p. 533.

lisve mortis deflens miseriam, sed statim ad Deum se erigens, aut de defuncti beatitudine iam secura, aut eam se confidenter sperans precibus impetraturam. Dixi: inter gemitus mens; nam non sunt certo primaevi illi Christiani diversae atque ceteri homines naturae putandi, quippe qui vehementioribus cordis affectibus magisque naturalibus non careant; vidimus enim parentes quosdam de morte filii amatissimi solatium conquirere suavia quaedam ac poetica verba sepulcro eius inscribendo quasi ab ipso defuncto prolata:

NE TRISTES LAC*rimas ne p*ECTORA TVNDITE V*estra*
O PATER ET MATER N*am reg*NA CELESTIA TANGO
NON TRISTIS EREBVS N*on p*ALLIDA MORTIS IMAGO
SED REQVIES SECVRA TE*net* LVDOQVE CHOREAS
INTER FELICES ANIMAS ET *am*OENA PIORVM
PR*aedia* ...(1).

Praeterea, nihil est in primaevis Christianorum titulis, quod ad persecutiones alludat, nihil quod contra persecutores imprecantem animum vel leviter sapiat, nihil denique quod martyrum cruciatus commemoret. Haud proinde dixeris saepe, dum suppliciorum rabies, turbinis instar, Urbem et orbem vastaret, haec hypogea trucidatorum corporibus fuisse saginata, sed potius credideris continua in pace transactam illius esse vitam populi qui ibi sepulturae sibi locum elegit.(2) Quanta vetustioribus Christianorum sepulcris edocemur!

(1) WILPERT, *Ein Cyclus*, p. 37, not. 3. Cf. vol. II pars prima, p. 266.

(2) Haec animdvertere quidam hodierni auctores deberent, qui facile Christianos arguunt, quasi isti temeritate et arrogantia sua persecutorum iram et saevitiam provocassent. Non enim unus et alter scriptor Christianus ita potuit imperatorum ac magistratuum animos lacessere ut grassans persecutio recrudesceret, vel extincta revivisceret; neque ad hoc efficiendum alicuius martyris in carnificem contumelias divinaeque vindictae minas valuisse quisquam dixerit. Effectus hic daretur longe caussa superior, quod, de humanis factis loquendo, admitti ut probabile nequit, nisi aliter nullo modo res posset explicari.

CAPUT II.

Picturae sepulcrales.

Consideratio praevia.

Symbolis epitaphiorum perspectis, restat ut symbola ac naturam anaglyptorum et picturarum illustranda aggrediamur; sed hic alia est nobis praevia consideratio facienda. Materia enim nobis tractanda artem respicit, quae aliud continet praeter id quod per artem repraesentatur. Scilicet, si in epitaphiis cogitatio dominatur, in anaglyptis et picturis etiam forma, qua cogitatio exhibetur, partem sibi vindicat. Haec autem forma, propter leges quibus gubernatur, haud raro rem cogitatam mutat, eamque obscuriorem reddit, et ita aliquando, ut aegre deprehendi queat. Haec denique forma pretiosum chronologicum evadit criterium, si cum ceteris indiciis conferatur, quia non prorsus a profana est arte aliena; quae igitur omnia officiunt quominus eam omnino praetermittamus, praesertim cum hodie, ita ut nunquam antea, id argumenti ab antiquitatis cultoribus agitetur.

Ne cui mirum sit, de picturis praesertim (anaglyptis alii reservatis libro) hic sermonem fieri, quae in Romanis inveniantur catacumbis; tanta enim est Romae picturarum sepulcralium copia, tamque rarae picturae in ceteris Christiani orbis coemeteriis conspiciuntur ut, etiamsi ad Romanas solummodo picturas tractatio praesens limitaretur, instituto prorsus responderet nostro. Nihilominus, pro viribus conabor ut nihil recte desiderandum relinquatur, congruo unicuique, secundum rei momentum, loco spatioque servato.

ART. I. — **Technica picturarum - Pictores.**

Picturae Christianae sepulcrales, sicuti eae quae hodiedum in Pompeianis aliisque Campaniae ruinis cernuntur, super udo tectorio factae sunt; scilicet in recenti parietum tegumento mollique adhuc depictae.[1] Ut eiusmodi picturae obtineantur, prius apte corium est parandum, quod his vocabulis significabatur: *opus tectorium, dealbatio, expolitio*, κονίασις: « Tectorium, ait Plinius, nisi quod ter arenato et bis marmorato inductum est, numquam satis splendoris habet ».[2] Amplius Vitruvius exigit, sed eiusmodi normae perquam raro servatae inveniuntur. Plerumque tegumenta murorum depictorum tribus constant stratibus; at in catacumbis, cum tectorium non quidem muro sed tufo adhaerere deberet, leges praefatae valde imminute observatae fuere. Semel enim omnino triplex reperitur tegumentum, nempe in crypta S. Ianuarii apud coemeterium Praetextati, sed exceptionis est ratio, nam tectorium hoc, magna ex parte, murum latericium convestit.

Igitur catacumbarum vetustiores picturae in duplici, tardiores vero plerumque in unico tegumento elaboratae sunt. Ne autem tegumentum caderet, praesertim in laquearibus cubiculorum, clavis ferreis firmabatur, quod item in antiquioribus picturis factum est (sic apud cubicula sacramentorum dicta, in coemeterio Callisti).

Tectorio parato, pictor praecipuas figurarum lineas ducebat, parietes in regiones distinguens, et hoc facile hodiedum apparet in cubiculis quorum laquearia circulis commune habentibus centrum divisa in partes fuerunt. Hae lineae primum ferro ductae fuisse videntur, tardius vero ipso penicillo quo

(1) WILPERT, *Pitt. delle cat. rom.* textus, p. 3. Cf. OT. DONNER VON RICHTER, *Die erhaltenen antiken Wandmalereien in technischer Beziehung untersucht und beurtheilt.* — Quidquid hoc in articulo propositum est, ex opere Wilpert praelaudato excerptum ac in epitomen redactum, paucis additis, intelligi debet, quod quidem nonnumquam alias in hoc libro eveniet.

(2) PLINIUS, *Hist. naturalis*, XXXVI, 176. — *Bis marmoratum* duobus stratibus calcis pulveri marmoreo mixtae inductum significat.

figurae deinde complebantur. Quoniam autem raro fiebat ut pictor figuras corrigeret suas, hinc etiamsi mediocres aliquando picturae videantur, tamen non ita est de pictoribus iudicandum, qui rapidis paucisque penicilli ductibus eas efficiebant.



Tab. 90. Cubiculum *Cappella Greca* vocatum in coemeterio Priscillae picturis decoratum ad saeculi secuudi initium pertinentibus (Ex WILPERT, *Fractio panis*).

Notum est, picturis udo tectorio faciendis minerales, ut vocant, omnino adhibendos esse colores, nam animales vegetalesque colores calce recente destruuntur.

Usitatiores colores ruber, pullus, flavus, albus ac viridis fuere; rariores vero caeruleus, cinnabarensis et niger, et hic ultimus rubro caeruleoque mixtus dumtaxat. Tenuis colorum numerus ex eo repetendus, quod personae repraesentatae tunica

pallioque generatim vestirentur, quae quidem indumenta paucos ferebant colores. (Vide tabulas extra textum).



Tab. 91. Cubiculum sacramentorum A^2 in coemeterio S. Callisti (secunda saec. II parte).

Semel delineatae, figurae coloribus complebantur uniformibus, deinde, novis penicilli ductibus plus minus obscurioribus clarioribusque, umbrae sinus et rimae efficiebantur, licet, paucis exceptis casibus, haud nimia in hoc fuerit sedulitas, quae alioquin,

propter complexionem colorum, lucis locique conditiones, parum profuisset.

Fundus interdum rubro pingebatur colore, sicut in non paucis Pompeianis tabulis, rarius vero subflavo, super quo deinde figurae ducebantur.



Tab. 92. Cubiculum sacramentorum A5 in coemeterio S. Callisti (sub finem saec. II).

Primo alteroque saeculo, cubicula cryptaeque integrae pingi solitae sunt; unicum huius temporis exemplum datur privati sepulcri depicti, arcosolium videlicet quoddam in coemeterio Priscillae. Hinc nulla erat ratio, cur mos in domibus exornandis adhibitus et in sepulcris depingendis non servaretur: itaque laquearia leviter decorata sunt, utpote quae sustentata apparebant; parietes e contra pleniori modo. Verum cum sepulcralis Christiana ars non ad visum delectandum omnino destinata esset, sed, uti videbimus, intellectui potius quam ocu-

lis loqueretur, ditiori figurarum copia sepulcrorum quam domorum parietes exornati sunt. Progressu autem temporis, cum



Tab. 93. Cubiculum in crypta Lucinae (medio saec. III).

cubiculorum parietes ad numerosiora corpora recipienda parati essent, minus pictoribus spatium depingendum mansit, unde complexae compositiones, quae in parietibus prius fiebant, in laquearibus fornicibusque fieri coeptae sunt.

Figurae in laquearibus, paucis exceptis casibus, centrali coordinantur imagini; haec vero plerumque cubicula ingredientibus erecta apparet, quod proprium Romanae est artis. Caelatae in tegumento figurae posteaque depictae semel tantum inveniuntur, at quam illis deteriores figuris quae in domibus sepulcrisque ethnicis conspiciuntur!

Saeculo tertio, sed praesertim post pacem Ecclesiae donatam, haud raro unicum parietem in cubiculis pictum cernimus, necnon et unicum aliquando arcosolium, vel parietem ingressus, vel denique solum laquear, quod quidem pulchritudinis sensum ac studium, apud Christianos, nedum apud ethnicos, iam imminui et pessum ire testatur. Sed una cum deteriore pulchri intellectu, etiam materia artis sensim fit deterior; tegumenta minus polite saeculo quarto quam antea parantur, colores non ita puri adhibentur; unde, licet colorum diuturnitas eadem maneat, nihilominus hic veluti canon chronologicus stabiliri potest; nempe quo melior materia accuratiusque opus, eo est pictura antiquior.

Tandem notandum venit, non unicum pictorem omnes unius cubiculi figuras elaborare potuisse, cum de picturis udo tectorio ductis agatur, quae quam citissime fieri deberent, ne tegumentum indurescceret. Id, alioquin, ex eo colligitur, quod eodem in cubiculo interdum stili varietas facile deprehenditur, quae minime temporibus diversis quibus picturae factae fuissent est tribuenda, sicut aliqui praeteritae aetatis archaeologi arbitrati sunt.

Pictores, ut I. B. De Rossi opinatus est, (1) ad ipsam fossorum classem pertinuere, namque, ut Wilpert clare demonstrat, interdum sunt picturae in eodem coemeterio, aut etiam in coemeteriis eiusdem viae, ita propter stilum inter se affines quae, aut ab iisdem pictoribus, aut a pictoribus eiusdem scholae necessario dicendae sint elaboratae. Itaque de pictoribus idem atque de lapicidis dicendum; unde pronum est credere utramque classem ad fossorum genus pertinuisse, imo nonnunquam

(1) De Rossi, *Roma sott.* t. III, pp. 258 sq. et 269.

ipsum fossorem et scalptorem simul et pictorem fuisse. Id alioquin congruit cum eo quod de pictoribus caelatoribusque apud Romanos scimus. Huius enim generis artifices aut servi plerumque aut liberti erant, unde Nevoli illa apud Iuvenalem verba: « Sit mihi praeterea curvus caelator, et alter - Qui multas facies pingat cito! Sufficiunt haec – Quando pauper ero ».[1] Talium denique epitaphia infimae originis homines aut libertos produnt,[2] idque rationem aperit cur numquam antiquis tabulis auctorum nomina sint subscripta. Christianorum pictorum duo tantum epitaphia reperta sunt, utrumque saeculum respiciens quartum:[3]

AVR FELIX PICT*or*
CL · ANTONIO ET *Syagrio conss.*
(An. 382).

LOCVS PRISCI PICTORIS



Tab. 94.

Quaedam in Museo Lateranensi asservata inscriptio iuvenem viginti trium annorum, virginem ac neophytum exhibet, una cum pictoriae artis instrumentis. (Tab. 94).

(1) Nempe: « duo servi, alter caelator pictorque alter, qui alacriter laborantes magno mihi sint emolumento » (Iuven. IX, 146 sq.).

(2) *Corp. inscr. Lat.* t. VI, nn. 9786, 9788, 9789, 9790, 9792, 9793, 9794.

(3) Wilpert, *Pitt. delle cat. rom.* textus, p. 13.

ART. II. — **Quanta sit inter Christianas et ethnicas picturas congruentia.** (1)

Cum de picturis agatur quorum artifices initio iuxta ethnicam omnino instructi essent pingendi scholam, fere nihil novi, praeter res repraesentatas, in antiquioribus Christianis picturis inveniri fas erit. Forma igitur modusque rei repraesentandae parum admodum differre potuit ab ethnicorum pictorum stilo idque statim conspicies cum Flaviorum, exempli gratia, hypogea ingressus fueris, cuius ornamenta maxima ex parte ad saeculum pertinent primum. Immo, nec res repraesentatae omnes Christianae dici possunt, sed ipsae figurae, quibus solita depingi sepulcra domusque Romanorum essent, non raro in antiquioribus cernuntur catacumbis, iis dumtaxat quae cultum idololatricum respicerent vitatis.

Itaque figurae non omnino Christianae in catacumbis depictae duplicis generis sunt: 1° figurae unice ornatui addictae; 2° repraesentationes artis ethnicae propriae. Prioris generis hae praecipuae sunt:

Genii, seu pueruli nudi, plerumque alati (italice *amorini*) qui laborantes, metentes praesertim vel vindemiantes, aut inter se ludentes exhibentur. Interdum, raro quidem, simul cum feminea figura alis etiam instructa apparent, quo in casu notissimum mythum in mentem revocant, Amoris nempe et Psyches. Hic ornamenti modus ad quartum usque vergens saeculum perdurat. (Tab. 110).

Humana capita, vitis ramis plerumque aut nimbo circumdata. Ista quidem a nonnullis eruditis anni temporum esse symbola reputata sunt; sed, ut recte Wilpert animadvertit,(2) nisi quid in eis diversa indicans anni tempora adsit, uti semel apud cubiculum quoddam coemeterii Priscillae (quod *Cappella Greca* italice vocant), pro simplicibus ornamentis habenda sunt

(1) In hoc articulo, sicut in omnibus articulis sequentibus, tabularum seu picturarum Romanarum seriem constanter ex Wilpert egregio iamque indicato opere excerpam (p. 21 sq.).

(2) WILPERT, *Pitture*, textus, p. 22.

dumtaxat; idque idem de puerulis iam nominatis dicendum, cum quibus etiam in idem chronologicum indicium conveniunt. Semel persona, seu vultus imitatio apparet, bis animalis cervix; nusquam vero Medusaeum caput, tam crebro in ethnicis repraesentatum sepulcris.

Animalia, quae haud raro depicta fuere, potissimum oves, agni, columbae, pavones, anaticulae aliaeque aves; delfini natantes aut tridenti circumvoluti, polyposve insequentes. Ista quoque a primo ad quartum usque saeculum in usu fuere, ac, plusquam alibi, in Neapolitanis catacumbis abundant.[1]

Topia, sive tabulae campos, nemora, rura, colles etc. repraesentantes, quae tam communia sunt in ethnicorum domorum ornamentis, haud facile in catacumbarum picturis inveniuntur. Semel enim eiusmodi topia in coemeterio Domitillae apparent, licet hic illic, tenues tamen, picturae conspiciuntur agrestem exhibentes naturam. Topia, in ethnicis aedificiis, veluti locorum sacrorum imagines interdum depingebantur, scilicet cum deorum hermulis, arisque gramineis, quibus revera horti nemoraque conspersa erant. Nihil ethnicis familiarius fuit quam, cum rure degerent, cotidie circumire campos plusque semel in huiuscemodi virentibus aris, ante divorum, Priapi Silvanique praesertim, simulacra sacrificare: « ... Respiravi igitur, scribit Fronto ad Lucium Verum nuper ex morbo ad sanitatem restitutum, et revalui, et apud omnes foculos, aras, lucos sacros, arbores sacratas, nam rure agebam, supplicavi ».[2] Perraro eiusmodi aras, et quidem tantummodo uti ornamenta, Christiani artifices depinxere, ac, si in crypta quam Lucinae appellant arae silvestres repraesentatae sunt, ad Christi eas profecto retulere altaria; in quibus alioquin vas eucharistiae vel potius symbolum beatitudinis aeternae appositum cernitur columbis vel ovibus (scilicet fidelibus),

(1) Cf. GARRUCCI, *Storia*, t. II, tab. 90; SCHULTZ, *Die Katacomben von San Gennaro dei Poveri in Neapel*, Iena, 1877.

(2) FRONTO, *Ep. ad Verum imp.* II, 6, ed. NABER, p. 133. Cf. WILPERT, pp. 24, 25.

perinde ac in aliis picturis bonum Pastorem circumdant, circumsistentibus.

Serta florum, praesertim rosarum foliorumve.



Tab. 95. Fornix cuiusdam cubiculi in coemeterio S. Agnetis (sub finem saec. III). (Ex Wilpert, *Le pitture delle cat. rom.* Tab. 171).

Vasa floribus fructibusve repleta, quae concharum formam prae se ferunt, vel calicis figuram (canthari), necnon quandoque ansis sunt communita.

Candelabra, quae, exempli gratia, in duabus cryptis Ss. Petri et Marcellini coemeterii ad latera tabularum decoranda depicta sunt. Candelabra et vasa foliorum sertis efformata haud raro reperiuntur, plerumque vero columbas, pavones, genios, orantes ac semel etiam bonum Pastorem gestant; quo fit aliquatenus

verum illud Vitruvii: « ... candelabra aedicularum sustinentia figuras. » (1)

Delineationes variae, quae lacunaria, tabulationes, aliasque architectonicas exhibent figuras. Notandum praesertim *cubiculum*



Tab. 96. Cubiculum *Oceani*, cum maris symbolo in fornice depicto in coemeterio S. Callisti (saec. IV).

Ampliati (apud coem. Domitillae) quod ex omni parte ita est decoratum.

Ad posterius genus, nempe ad artem ethnicam pertinent: *personarum inductiones*, *anni tempora*, et *Orphei imagines*. Ista quoque, a Christianis pictoribus adhibita sunt quasi *simplex ornamentum*, quia *non ad idololatriae titulum pertinebant*, ut verbis ipsius utar Tertulliani, neque his Hippolyti canonis XI verbis talia prohiberi videntur: « Omnis artifex noverit sibi

(1) VITRUVIUS, *De architectura*, 7, 5, 3.

nullo modo licere idolum vel aliquam figuram idololatricam effingere, sive sit aurifaber, sive argentarius, sive pictor, sive alius generis artifex. – Si quis autem artifex, post baptismum receptum, inveniatur qui eiusmodi rem confecerit, exceptis iis



Tab. 97. Cubiculum coemeterii S. Callisti quattuor anni temporum symbola exhibens (saec. IV).

rebus quae ad usum hominum pertinent, excommunicetur, donec poenitentiam agat. »[1] Immo, eo magis reprehensione

(1) DUCHESNE, *Histoire du culte chrètien*, p. 529, nn. 65, 66; H. ACHELIS, *Can. Hipp.* 1891, Leipzig, p. 79, canon 11. — Ceterum non sunt praetermittenda quae in passione Ss. Simproniani, Claudii, Nicostrati, Castorii et Simplicii, qui scilicet, iussi ab imperatore Diocletiano « Victorias et Cupidines et conchas ... maxime Asclepium ... deum cunctarum sanitatum » facere, *fecerunt* quidem *simulacrum Solis cum quadriga ... Victorias, Cupidines*; sed *Asclepii simulacrum effingere recusarunt.* (Cf. *Bull. d'arch. crist.* 1879, pp. 45–88).

censurave digna esse illa nequivere, quod ex istis ornamentis duo ad Christianas cogitationes significandas optime conversa sunt, nempe anni tempora et Orphei imago. Etenim, quod anni tempora seminumque vices symbolum Christianum esse possent, id luculenter ex his S. Pauli verbis eruitur: « Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicuius ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuique seminum proprium corpus »;[1] necnon ex innumeris Patrum scriptorumque testimoniis, praesertim Minucii Felicis[2] ac Tertulliani,[3] qui saeculis secundo ac tertio vixere, idem patet. Famosum denique est Damasianum illud epigramma, quod, proprio apponendum sepulcro, pius pontifex sibi concinnavit et in quo isti leguntur versus:

VIVERE QVI PRAESTAT MORIENTIA SEMINA TERRAE
POST CINERES DAMASVM FACIET QVIA SVRGERE CREDO

(1) I *ad Cor.* XV, 35-38. Cf. CLEM. R. *Ep. I ad Cor.* c. IV; IRAEN. *Contra haeres.* lib. V, c. II, *P. G.* VII, 1127; S. IUST. *Apol.* I, XIX.

(2) *Octav.* c. XXXIV: « Vide adeo quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt, flores occidunt et reviviscunt, post senium arbusta frondescunt, semina nonnisi corrupta revirescunt: ita corpus in sepulcro, ut arbores in hiberno occultant virorem, ariditate mentita. Quid festinas ut cruda adhuc hieme revivescat et redeat? expectandum nobis etiam corporis ver est. »

(3) *De resurrect. carn.* XII: « Revolvuntur hiemes, et aestates, et verna et autumna, cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terrae de coelo disciplina est, arbores vestire post spolia, flores denuo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem quae absumpta sint semina: nec prius exhibere, quam absumpta. Mira ratio: de fraudatrice servatrix: ut reddat, intercipit: ut custodiat, perdit: ut integret, vitiat: ut etiam ampliet, prius decoquit. Siquidem uberiora et cultiora restituit quam exterminavit ... Omnia in statum redeunt, quum abscesserint; omnia incipiunt quum desierint. Ideo finiuntur, ut fiant. Nihil deperit, nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum ».

Ad imaginem Orpheicam quod pertinet, quoniam postea de ea iterum erit loquendum, hic animadvertere sufficiat, Orpheum, in antiquissima sua imaginis repraesentatione (apud coemeterium Callisti), veluti bonum pastorem, inter duas oves apparere.

Personarum inductiones, in coemeterialibus picturis, rarae admodum sunt, nec primo alterove saeculo tribuendae, sed tertio et quarto dumtaxat. Bis personificatio solis, semel maris, ac semel etiam Tigris fluminis, ut personae, imago cernitur. Maris persona ad nomen vel ad artem defuncti referri potest; ceterae aut huiusmodi, sub personarum speciebus, repraesentationes, rerum significatarum locum tenent.

Paganam quoque artem quaedam redolet saeculi secundi figura, Christi hermulam repraesentans, cum capite duobus radiorum fascibus instructo, instar solis simulacri (Helios); hoc tamen discrimine, quod Christianus pictor, cum hoc vellet modo Deum verum et omnipotentem adumbrare, dimidiae huic Christi effigiei, dextrum brachiuma diunxit. Atqui hoc ab ethnica supra dicta repraesentatione alienum prorsus est; dum e contra, in Christiana pictura, sensum compositionis, perinde ac videbimus, optime complet, ut nempe quadam sacrae recordatione inductum Scripturae, quae brachium et dexteram Domini, ad summam illius potestatem significandam, haud semel commemorat. (1)

Art. III. — **Gestus in picturis sepulcralibus, barba et caesaries.** (2)

Inter notas quae nobis picturarum naturam queunt aperire, gestus enumerandi sunt; namque persaepe vultus, quam dicunt, eloquentia, in Christianis imaginibus, sive propter figurarum parvitatem, sive ob temporis hominumque iniuriam, nulla prorsus est. E contra perspicua adhuc manet gestuum

(1) Cf. exempli gratia, *Sap.* V, 17 et Psalmos passim.

(2) Cf. Garrucci, *Storia dell'arte crist.* vol. I, Teorica, p. 83 sq. et Wilpert, *Le pitture delle cat. rom.* textus, p. 108 sq. 97 sq.

dispositio cui non parum in arte oratoria antiqui, Quintiliano teste, tribuebant,[1] eaque ad sensum picturarum deprehendendum nobis plerumque est auxilio. De *orantis* quidem gestu imprimis loquendum veniret, sed de hoc iam sermo fuit. Hic notare ergo sufficiat, antiquos scriptores quemdam indicasse et commendasse orandi habitum, quo Christiani in ipso deprecationis actu ab ethnicis differrent. Audiamus, exempli gratia, Tertullianum: « Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus (manus), et dominicam passionem modulantes et orantes confitemur Christo ».[2] Nonnulli recentiores archaeologi orantis gestum cum adorantis habitu confundere non dubitaverunt; verum, ut egregius notat Wilpert, sedulo inter haec distinguendum est; nam ipsis in antiquis picturis actus repraesentatur adorantis, qui prorsus ab habitu orantis est diversus,[3] ut infra videbitur. Confusio haec, praeterquam ex parum cognitis monumentis, ex eo etiam, mea sententia, oritur, quod aliqui antiquitatis periti probare conati sint, orantium figuras Christianos artifices ad diversas adorantium mulierum ethnicas repraesentationes exemplatas effinxisse. Verum enimvero multum abest ut pictores Christiani ethnica in hoc exempla imitati sint; immo antiquissimae omnium orantium figurae iuxta Tertulliani praefata verba prorsus videntur depictae. Quo quidem non negamus Christianos, praesertim in sculptilibus, interdum ethnica exemplaria fuisse imitatos; sed videant studiosi quam

(1) Cicero ap. Quintilianum, *Instit.* 11, 3, I.

(2) Tertull. *De orat.* 14. Cf. Iustinns, *Dial. Tryph.* 90, et Minucius Felix, *Octavius*, 29, *P. L.* III, 332.

(3) Wilpert, *Le pitture* etc. textus, pp. 420–421. « Notammo più sopra (p. 110, n. 4) come il termine *adoranti*, che in questi ultimi tempi viene talora usato per *oranti*, si fondi sulla confusione di due concetti elementari. Come pare, esso fu trasportato nel campo dell'archeologia cristiana da archeologi " classici ", nei quali tali sbagli sono perdonabili; invece in bocca di un archeologo " cristiano " è inescusabile ed inconcepibile, a meno che non si ripeta irreflessivamente, o si abbia lo scopo di togliere il valore alle figure delle oranti, intorbidandone o distruggendone il contenuto » (p. 420, not. 2).

parum sint pleraeque Christianae *orantes* figurae ethnicarum ADORANTIUM similes (Tabb. 43, 44, 98, 99, 100, 101, 102).

Alioquin adorationis actus apud Christianos proprie hic erat: adorans in oratorium morem dextrae digitos disponens, simul genu flectebat ante Deum; atque hoc modo beatos ante Christum repraesentatos videmus. Sed et apud ethnicos spe-



Tab. 98. Daniel inter leones in suggesto. (Pictura saeculi I, in coemeterio S. Domitillae).



Tab. 99. Pictura saec. III in Praetextati coemeterio. (WILPERT, *Pitt.* Tab. 28).

cialem supplicantis habitum gestumque invenimus, quod quidem ex pluribus patet antiquorum auctorum testimoniis. (1)

Oratorius seu alloquentis actus quam saepissime cernitur, sed apud monumenta Christiana aliquantum differt a modo quo apud ethnica effingebatur. Ab oratoribus Romanis, saeculo secundo, Apuleio teste, vulgo sic habebatur: « ... porrigit dexteram et ad instar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis, ceteros eminentes porrigens et infesto (nempe *verso deorsum*) pollice, clementer subridens

(1) « ... Omnes maiores natu, ex oppido egressi, manus ad Caesarem tendere, et voce significare coeperunt, sese in eius fidem ac potestatem venire » (CAESAR, *De bello Gall.* II, XIII). — Cf. CICERO, *Catil.* 4, 9; QUINTILIANUS, *Instit.* 6, I, 42.

infit. » ;[1] necnon ait Fulgentius : « Compositus in dicendi modum, erectis in iotam duobus digitis, tertium pollice comprimens ita verbis exorsus est ». Porro, e converso, in Christianis picturis, plerumque etiam pollex, una cum indice et digito medio, porrectus est.

Manus impositio (χειροθεσία) benedictionis erat signum deque ea Tertullianus loquitur in ritu baptismatis describendo;[2] necnon alii scriptores et antiquae liturgiae quibus picturae baptisma repraesentantes perfecte congruunt. Sed hic gestus etiam in suscepti a Salvatore defuncti adumbratione invenitur. Tunc Christus, qui iudicis more sedens conspicitur, ut animam ad aeternum admissam praemium significet, manum ei imponit. Id autem, ut ait egregius Wilpert, ex eo fortasse venit, quod ita ab Ecclesia ethnicus inter catechumenos et catechumenus, necnon haereticus vel lapsus,[3] inter fideles recipiebatur. Hoc denique gestu aliquando Christus, in arte coemeteriali, infirmos sanans deprehenditur ; ceteroquin hoc utens semper exhibetur, cum panes et simul pisces multiplicans depingitur.

Est deinde gestus quem *adclamationis* vulgo vocant, sed qui non idem semper significat ; nam interdum hoc gestu Christus cum Samaritana loquitur vel ad se virgines aliosve invitat defunctos, aut discipulos docet. Consistit autem in manu dextera elevanda usque ad pectus, vel altius et extra corporis figuram. Loquentis, docentis, iubentis seu vocantis gestus accomodatius dici potest.[4]

(1) APUL. *Metamorph.* II, 21. Cf. QUINTILIANUS, *Instit.* 11, 3, 119.

(2) TERTULL. *De baptismo*, c. 8.

(3) Cf. CYPRIANUS, Ep. 15, 1; 16, 2; 17, 2; 18, 1; 19, 12; EUSEB. *Vita Constant.* 4, 61 sq. passim.

(4) « In una scena », ait Wilpert, « vediamo dei santi elevare la destra fino all'*altezza del capo*, ed anche sopra. Questo gesto deriva dalle scene, nelle quali gli alti dignitari dello Stato, allorchè pigliavano possesso del loro ufficio, e gl'imperatori in occasioni pubbliche erano *acclamati* dal popolo e dal senato. Parla di simili acclamazioni Corippo nella sua descrizione del " processus consularis " dell'imperatore Giustino Minore (IV, p. 130 sqq.); il bassorilievo della " liberalitas Augusti " nell'arco trionfale di Costantino ne dà la figura. Nel nostro affresco l'acclamazione

Indicantis gestus, sicuti hodie, secundo videlicet digito porrecto, fiebat iuxta Quintiliani illud: « Is (digitus) in exprobrando et indicando, unde et ei nomen est, valet ».[1]

Quum vero res sacra aut accipiebatur, aut porrigebatur, mos fuisse videtur, a saeculo saltem quarto, hanc manibus praestandi coopertis, sive sub pallii paenulaeve instita, sive sub panno aliquo

Tab. 100.



Tab. 101.

Tab. 102.

Ethnicae mulieres adorantes.

ad hoc adhibito; idque cum erga rem traditam, tum vero erga personam a qua accipi debebat reverentiae erat signum.

Tandem *doloris luctusque* gestus in coemeterialibus cernuntur picturis, qui iidem omnino erant atque in arte pagana; dolens scilicet ad mentum maxillamve manum admotam tenet, iuxta haec S. Cypriani verba: « Iuvenis anxius et cum quadam indignatione subtristis maxillam manu tenens moesto vultu sedebat ».[2] Moestitiae etiam signum erat barba, aut coma soluta, quando tamen philosophum non indicaret.[3] Hinc cum

è diretta al Salvatore che siede in trono fra i principi degli apostoli » (tab. 252; *Le pitt.* etc. textus, p. 111).

(1) QUINTILIANUS, *Instit.* II, 3, 94.

(2) S. CYPR. Ep. 11, 4ª ed. HARTEL, p. 498.

(3) Cf. MARQUARDT, *Privatleben der Römer*, II, p. 582.

prisci Christiani quidquid passionem doloresve Redemptoris aliquatenus aperte commemorasset palam haud depingendum, ob varias rationes, diu arbitrati sint, numquam, ante saeculum quartum, Christus barbatus apparet; sed potius iuvenis imberbis vel adolescentis prae se fert figuram. Item, propter laetam picturarum sepulcralium indolem, nec orantes unquam soluta caesarie depictae sunt; et famosum est id quod de S. Perpetua legimus: nempe cum ipsa belluis obiecta in amphitheatro, atque cornibus vaccae iactata esset, seque incomptam videret, nihili vulnera faciens, « acu requisita,... dispersos capillos infibulavit. Non enim decebat martyram sparsis capillis pati, ne in sua gloria plangere videretur ».[1] E contra, Eva soluta caesarie aliquando pingitur, ut de commisso peccato dolor significetur. Tamen mensae ministri, qui pulchri erant adolescentes electi inter servos, iuxta illius temporis morem, crines quidem solutos, sed calamistratos et unguentis perfusos gerebant, unde eorum plura nomina, scilicet: *comati, capillati, criniti, crispati, calamistrati, delicati.*

Inter Romanos imperatores primus qui, contra usum receptum, barbam coluerit prolixam Adrianus fuit; cuius successores, uno et altero solummodo exceptis, eius secuti sunt exemplum. Patres et auctores qui Romae degebant nihil de barbae usu habent; sed duo scriptores Africani, Clemens scilicet Alexandrinus et S. Cyprianus, morem barbae colendae, aut saltem non totaliter radendae, inculcasse videntur. Prior enim mentum barbatum (λάσιον γένειον) aiebat Christianis convenire, mentum vero imberbe, indecorum; unde si, ad incommoda vitanda, barba ex eius sententia, super labiis recidi poterat, cetera tamen, quae molesta esse nequiverat, servanda, cum et hominis decus esset, et metum incuteret (σεμνότητα τοῦ προσώπου καὶ κατάπληξιν γεννητικήν).[2] Alter quoque usum barbae radendae conceptis verbis vituperat.[3] His S. Epiphanius addendus

(1) *Passio Ss. Perpetuae et Felicitatis*, ed. Franchi, p. 144.

(2) Clem. Alex. *Paedag.* III, 11, *P. L.* t. VIII, col. 633; cf. etiam coll. 580-581.

(3) S. Cypr. *De lapsis*, 30 ed. Hartel, 1870, t. III, p. 359.

est qui, ut morem barbae servandae quasi Christianorum insigne suis in Mesopotamia degentibus monachis persuaderet, ad Constitutionum Apostolicarum auctoritatem appellabat, eas revera ab Apostolis conscriptas aut Clementi Romano dictatas putans: « Ἐν ταῖς Διατάξεσι τῶν ἀποστόλων φάσκει ὁ θεῖος λόγος καὶ ἡ διδασκαλία μὴ φθείρεν ».[1] His tamen argumentis non moti sunt Romani Patres et auctores; ac Constantinus, nulla, quod sciamus, querimonia excitata, iterum in imperatoriam familiam radendae barbae usum induxit, qui quidem usque ad Mauritium Copronicum imperatorem († 602) perduravit, una, scilicet a Iuliano Apostata, facta exceptione.

Ad coemeteriales quod pertinet picturas, quaedam regula pro figuris defunctos significantibus deprehenditur; nempe, ut modo diximus, sine barba apparent figurae orantium; item et Noe, Danielis, trium puerorum, Ionae, Isaac, Iob, Moysis ante rubum, caeci nati, etc. Cuius rei ratio evidens est, cum luctus ac moestitiae signum iis qui iam in possessione aeterni gaudii, aut spem ad illud divino perveniendi auxilio habentes adumbrabantur, nequaquam congrueret.

Mulieres capillos in vertice adductos gestabant, non tamen eodem semper modo. Saeculo primo secundove plerumque quasi ad cesticillum seu arculum in vertice efformandum capilli adunabantur. De hoc loquitur modo ipse Tertullianus de virginibus tractans: « quarum ornatus, ait, ipse proprie sic est, ut cumulata (scilicet coma) in verticem ipsam capitis arcem ambitu crinium contegat ».[2] Iulia autem, Septimii Severi uxor, alium invenit modum, ut scilicet capilli, primum, calamistro adhibito, undulati in media cervice discriminarentur, ac denique, auribus quasi coopertis, in verticem reducerentur. Hic vero mos diu perduravit, ac in quodam Ravennatensi opere musivo adhuc mulieres, quae Theodoram imperatricem comitantur, hanc praebent capillamenti dispositionem. Itaque etiam modus caesariei concinnandae pretiosum chronologicum indicium evadere potest.

(1) S. Epiph. *Haeres.* LXXX, 7, *P. G.* t. XLII, col. 765. Cf. *Const. apostol.* lib. I, c. 3, ed. Pitra, 1864, t. I, p. 117.

(2) Tertull. *De velandis virginibus*, VII, *P. L.* II, col. 900.

ART. IV. — **Vestimenta in picturis coemeterialibus.** (1)

Aliud chronologicum indicium atque interpretationis adminiculum vestimenta sunt, cum, ut egregius Wilpert notavit, haec propria sui temporis sint, et insuper certa lege in picturis coemeterialibus distributa inveniantur, nempe secundum personarum dignitatem.

Vestimentum virile, tam apud Graecos quam apud Romanos, duabus consistebat partibus, *tunica* et *pallio*, quibus haec graeca respondebant vocabula: χιτών et ἱμάτιον. Ad tunicam reducitur *dalmatica*, ac praeter pallium *togam* et *paenulam* Romani adhibebant, aliaque pallii genera de quibus singulis nobis loquendum post per occasionem erit.

Tunica. Erat haec quoddam subuculae genus sine manicis, quae non sola quidem gerebatur; sub ea enim corpus, praeter perizomate aut brevibus bracis, alia etiam tegebatur tunicula, quae proprie subucula, necnon linea, indusium, strictoria, interula, camisia vocabatur. Cingulum plerumque domi non adhibebatur, praesertim ad mensam, sed praecipiebatur cum quis in publicum prodiret. Cum autem tunica longior plerumque plus quam par esset gereretur, haec in ea succingenda norma a Quintiliano suggesta est: « Cui lati clavi (id est infulae purpureae) ius non erit, ita cingatur ut tunicae prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Nam infra mulierum est, supra centurionum ». Deinde de tunicis lato clavo praeditis haec perscribit: « Ut purpura (ita enim vocat zonas purpureas, quae lati clavi communiter vocantur) recte descendat, levis cura est; notatur interim negligentiae. Latum habentium clavum modus est, ut sit paulum cinctis submissior. » (2)

Quod tunica cincta sit vel non, hoc chronologicum omnino

(1) Cf. WILPERT, *Die Gewandung der Christen in den ersten Jahrhunderten*, Colonia, 1898; *Un capitolo di storia del vestiario* ap. *L'Arte*, 1898–1899; ALEXANDER CONZE, *Die antike Gewandung* ap. TEIRICH, *Blätter für Kunstgewerbe*, 1875.

(2) QUINTILIANUS, *Instit.* 11, 3, 138.

certum dici nequit indicium. Primo quidem alteroque saeculo, tunicae plerumque succinctae, raro vero discinctae, cernuntur; his etiam saeculis, aut nullae, aut parvae et quasi solummodo inchoatae manicae tunicarum in picturis deprehenduntur. Exceptio tamen pro Magis, pueris Babylonensibus et Orpheo datur qui, cum Orientales haberentur, non solum succinctis ac manuleatis tunicis semper convestiti sunt, sed etiam et caput tectum et crura bracis cooperta habebant.

Exomis vocabatur tunica si, nulla fibula in humero dextero prehensa, partem pectoris nudam relinqueret: « ἐξωμίς, ait Gellius, substricta et brevis tunica citra humerum desinens ».[1] Operariorum proprium hoc vestimentum erat, ac in antiquis coemeterialibus monumentis ubique ac omni invenitur tempore eoque bonus Pastor indutus est.

Tab. 103.
Vestimentum sacrum in picturis catacumbarum. Moyses tunica et pallio indutus.

Talaris, denique, et *manicata* (χιτὼν ποδήρης καὶ χειριδετός) erat tunica maxime in Oriente usurpata, quae totum usque ad talos corpus cooperiebat. De ea en quid habet S. Augustinus: « Talares et manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est ».[2] Re enim vera, postquam aut Orientales esse aut Orientalibus obtemperare moribus imperatores coeperunt, paulatim horum exemplo in usum inductum est ut honoratior ac patritiorum propria tunica talaris et manicata reputaretur. Ad picturas quod attinet, et ipsa interdum chronologica nota est; nam tribus prioribus saeculis perraro cernitur, saepe vero postea.

(1) Aulus Gellius, *Noctes Atticae*, 6 (alias 7), 12.

(2) S. Aug. *De doctr. christ.* 3, 12, 20, *P. L.* 34, 74. Cicero Catilinae sectatoribus flagitio vertebat, quod tunicas eiusmodi portarent: « ... Quos pexo capillo, nitidos aut imberbes, aut bene barbatos videtis: manicatis et talaribus tunicis; velis amictos non togis » (*In Catil.* II, 10).

Tunicae quaedam species *dalmatica* erat (δαλματικὴ), possetque dici tunica superior et largior, quatenus ceteris tunicis superposita. Hoc enim a tunica distinguebatur, quod numquam succincta, brevioribus largioribusque manicis praedita esset. Primus qui eam Romam intulerit imperator Commodus fuit, cui chronologico indicio apprime picturae coemeteriales respondent: nam saeculo solummodo tertio et sequentibus saeculis id exhibent indumentum.

Pallium. Graecorum proprium, praeter tunicam, ac philosophorum vestimentum erat pallium, quod, semel in usum apud cives Romanos inductum, communissimum operimentum evasit. Ut autem a christianis usurpatum fuerit, non videtur alienum, quod ipse Salvator et apostoli eo usi sint. Tertullianus integro tractatu pallii laudes prosequitur: illi haec affingit verba: « Omnis liberalitas studiorum quattuor meis angulis tegitur », illudque alloquens ait: « Gaude pallium et exsulta: melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire coepisti ».(1)

Modus vero illud circa corpus involvendi ex tabula facile colligitur. Nempe, postquam ita super humero sinistro positum erat, ad brachium item sinistrum limbus dexter adducebatur, aut denuo ad humerum, ita ut post tergum penderet.

Cum autem antiquitus pallium nobile haberetur vestimentum, tribus prioribus saeculis non omnibus, nullo facto discrimine, figuris depictis in coemeteriis tribuebatur, sed iis dumtaxat quibus ut sacrum indumentum conveniret. Re enim vera, pallio figurae illae praeditae sunt, quae sacras repraesentant personas, nempe Christum, apostolos, sanctos. Hoc raro vestiuntur orantes, et quidem solummodo cum animas aeterna beatitudine potitas adumbrant. Personae sacrae alioquin etiam sandaliis distinguuntur, dum, e contra, ceterae figurae aut nudis omnino sunt pedibus, aut, si Orientales repraesentent seu bonum Pastorem, calceatis pedibus.

Pallium philosophorum ab ordinario pallio minime differebat; at sine tunica induebatur, unde nuda dextera pectoris

(1) TERTULL. *De pallio*, a. 6.

pars humerusque remanebant, non secus atque si de exomide ageretur; quod graece dicebatur ἐξωμίδος τρόπον pallium ferre. Scimus, Iustinum hac usum esse industria ut Triphonem alloqui ab eoque interrogari posset.(1) Verum tamen S. Cyprianus in hoc vestimenti genus vehementer invexit veluti in superbiae signum,(2) nec solus forsan in hoc fuit. Quae quidem res, ut arbitror, una ex caussis (nobis alioquin parum perspectis) fuit, cur in picturis, a saeculo inde secundo, semel dumtaxat vestimentum hoc cernatur,(3) licet philosophorum pallium semper in honore habitum fuerit, ac nota sint quae Eusebius Caesareensis narrat de Porphyrio, qui scilicet et ad martyrium pallio eiusmodi vestitus adduci voluit.(4)

Tab. 104. Iuvenis militari tunica et chlamyde indutus.

Pallii genus erat *chlamys*, quae etiam *sagum* et *paludamentum* vocabatur. Haec tamen duo ultima vocabula distinctionem quamdam inferre videntur: nam paludamentum imperatoriam chlamydem, ac proinde longiorem ditioreque materia conflatam, significabat; sagum vero militum potius chlamys erat.

In picturis, chlamydem super tunica gerunt aliquando Magi, Orpheus et aliquae saeculi tertii quartique orantes, deinde milites. In tardioribus picturis, etiam Iudaei illo praediti sunt vestimento.

Genus pallii *lacerna* quoque erat, necnon *byrrus*, quae propria Orientalium vestimenta origine fuere. Lucullus primum

(1) Iustinus, *Dial. cum Thyph.* I. Cf. Wilpert. *Pitt.* textus, p. 70.

(2) Cypr. *De bono patientiae*, 2, 3ª ed. Hartel, p. 398.

(3) «Nelle pitture cimiteriali portano il pallio alla maniera dei filosofi il profeta Isaia nella nota scena della Madonna con la stella, ed in via d'eccezione Mosè, Cristo e un santo nella cappella dei Sacramenti A2 ed A3, tutti affreschi del II secolo» (Wilpert, op. cit. p. 70).

(4) Eusebius, *De mart. Palest.* 11, 19: ἦν δὲ ἄρα τὸν Πορφύριον ἰδεῖν ... κεκομισμένον μὲν τὸ σῶμα, φαιδρὸν δὲ τὸ πρόσωπον ... τὴν ἐπὶ θανάτῳ βαδίζοντα, καὶ θείου πνεύματος ... ἔμπλεων, αὐτοῦ τε φιλοσόφῳ σχήματι μόνῳ τῷ περὶ αὐτὸν ἀναβολαίῳ ἐξωμίδος τρόπον ἠμφιεσμένον κτλ.

dicitur usum apud Romanos induxisse lacernae, quam, chlamydis loco, exercitui suo, cum in Oriente debellasset, praescripserat; et quae ita illius temporis civibus placuit, ut Augusti tempore patritiorum ac senatorii ordinis indumentum fieret.[1] Ammianus Marcellinus, sic lacernatos deridens, eam quodammodo describit: « Sudant sub ponderibus lacernarum quas in colli insertas lingulis pictis annectunt, nimia sub terminum tenuitate perflabiles, expandentes eas crebris agitationibus maximeque sinistra, ut longiores fimbriae tunicaeque perspicue luceant varietate liciorum effigiatae in species animalium multiformes ».[2] Erat potius aestivum indumentum.

Tab. 105.
Magistratus tunica, dalmatica et toga indutus.

Lacerna semel tantum in catacumbarum Romanarum picturis apparet; scilicet ea induti sunt Ss. *Abdon* et *Sennen* depicti in coemeterio Pontiani (saec. VI).

Parum a lacerna, quoad formam, differebat *byrrus*, cui cucullus (caputium) additus erat, et hieme adhibebatur. In quadam de vestiario lege, anno trecentesimo octogesimo secundo lata, veluti servorum nominatur vestimentum: « Servos sane omnium... aut byrris uti permittimus aut cucullis ». Verum apud christianos byrrus valde usurpatus videtur fuisse, quod ex his Augustini verbis erui potest: « Nemo det byrrum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune... Nolo talia

(1) Praestat Suetonii huc verba aliqua adducere: « Etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit (Augustus); ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus et clamitans, *En, Romanos, rerum dominos, gentemque togatam!* negotium aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circove, nisi positis lacernis togatum consistere » (*Aug.* 40).

(2) Ammianus Marcellinus, *Hist.* XIV, VI, 9.

offerat sanctitas vestra, quibus ego solus quasi decentius utar; offerat mihi, verbi gratia, byrrum pretiosum: forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem et de pauperibus natum. Modo dicturi sunt homines, quia inveni pretiosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo patris mei, vel in illa saeculari professione mea. Non decet: talem debeo habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare. Qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus et subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: quod et facere soleo; ut quando non potest vestis esse communis, pretium vestis possit esse commune. Vendo et erogo pauperibus ». (1)

Sicut lacerna, ita byrrus semel dumtaxat in coemeterialibus picturis invenitur.

Toga. Romanus civis, quocumque iret extra domum togam super tunica, ex antiquo instituto, gerere debebat. Recentiora Wilpert studia ultimo demonstrarunt, fuisse togam vestimentum quam simplicissimum, unico constans panno septem circiter metrorum longitudine. Ponebatur super humero sinistro, ita ut ante usque sub genua penderet: deinde, volvebatur retro post dorsum, sub brachium dexterum, ante pectus, item super humerum sinistrum itemque retro post tergum, sed multo largius quam antea; denique ante pectus ita adducebatur, ut ad ulnam sinistram perveniret, quae extremum eius limbum sustinebat. Toga indutus, potiusquam vestitus, oneratus dici poterat; praesertim quum, sicut apud Orientales imperatores, in morem venit gemmis auroque togam exornari. Tertullianus, in suo *De pallio* libro, sic aiebat: « Conscientiam denique tuam perrogabo, quid te prius in toga sentias, indutumne an onustum? habere vestem an baiulare? ». (2)

Paenula. Usitatissimum atque antiquissimum indumentum erat *paenula* (φαινόλης), quae generatim disco consistebat panni,

(1) Aug. *Serm.* 356, 10, *P. L.* XXXVIII, 1579.
(2) Tertull. *De pallio*, 4.

in cuius centro ita erat aptatum foramen ut caput transire posset. Totam igitur personam cooperiebat aptumque erat ad arcendam pluviam, proindeque in itinere potissimum adhibebatur. (1)

Paenula fuit etiam operariorum indumentum, quo in casu brevior erat, praesertim ad latera, ut scilicet brachia libera essent. Interdum pars huius anterior scindebatur usque ad pectus, et sic duo limbi reiici poterant in humeros ut, perinde ac si lacerna indutus, paenulatus prorsus expeditus esset. Item, pars anterior, brevior facta, ad cunei formam reducebatur, et exempla eiusmodi solae picturae catacumbarum saeculorum tertii et quarti nobis praebent (Tab. 41).

Sicut pallium et lacerna, ita paenula parum placebat Romanis antiquis, qui nullum, praeter togam, vestimentum aliud patiebantur. At, progressu temporis, sive propter exemplum alicuius imperatoris, (2) sive ob ipsam vestimenti commoditatem, eius usus ita generalis evasit, ut legibus coerceri debuerit. Sic de Alexandro Severo haec scripsit Lampridius: « Paenulis intra urbem, frigoris causa, ut senes uterentur, permisit... Matronas tamen intra urbem uti vetuit, in itinere permisit ». (3) Denique paenulam, post togam, multo lacerna digniorem habitam fuisse ex his Auli Gellii (saec. II) verbis colligitur: « T. Castricius... cum me forte praesente... discipulos quosdam suos senatores vidisset die feriato tunicis et lacernis indutos et gallicis calciatos, *equidem*, inquit, *maluissem vos togatos esse; si pigitum est, cinctos saltem esse et paenulatos.* » (4)

Paenulae etiam tegillum, seu cucullus, plerumque additum erat.

(1) « Id genus vestimenti semper itineriarium aut pluviale fuit » (LAMPRIDIUS, *Alex. Sev.* 27, 4).

(2) « Saepe (Caligula) depictas gemmatasque indutus paenulas, manuleatus et armillatus in publicum processit » (SUETONIUS, *Cal.* 52). — « Commodus contra consuetudinem paenulatos iussit spectatores, non togatos ad funus convenire, quod funebribus solebat ipse in pullis vestimentis praesidere » (LAMPRIDIUS, *Commod.* 16, 6).

(3) LAMPRIDIUS, *Alex. Sev.* 27, 4.

(4) GELLIUS, *Noctes Atticae*, 13, 22 (alias 21).

Ad picturas nostras quod attinet, paenula primum in Lucinae hypogeo apparet, tamquam personarum sacrarum vestimentum (saec. II); idque non solum propter S. Pauli exemplum,[1] sed etiam, ut iure Wilpert arbitratur, quia eodem fere tempore iam aliqui advocati paenula, non toga, convestiti causas ante iudices patrocinabantur.[2] Sancti igitur ac personae ecclesiastica dignitate insignitae paenulis coopertae, interdum in picturis inveniuntur.

Sunt denique quaedam vestimenta, quibus bonus Pastor solummodo indutus videtur cum ovem portat: nempe quoddam pallii genus super sinistro humero positum, quod post priora duo saecula in picturis nostris apparet; item quaedam paenula ita decurtata, ut humeros pectusque dumtaxat operiat. Haec *alicula* vocabatur, ait Velius Longus, quod *alas nobis iniecta contineat.*[3] Ulpianus eam inter puerilia vestimenta numerat una cum chlamyde;[4] sed in romanis anaglyptis non solum pueri, sed etiam agricolae venatoresque eam gerunt, cucullo praeditam (Tab. 62).

Feminarum vestes haud multum a recensitis differebant; nam tunica et feminis vestimentum erat domesticum quod tamen ad talos usque descendebat. Primaeva eius forma erat ut manicis aut prorsus careret, aut eas valde breves haberet, quod tamen non potest ut temporis indicium in picturis coemeterialibus sumi, cum in iis iam manicata tunica saeculo primo alteroque appareat. Largis vero praedita manicis ac saepe discincta a saeculo inde quarto tunica feminarum apparet, ac ita etiam *stola* vocabatur, cum, si manicis careret, vocabulo *colobium* tunc designaretur.

Pallio virili *palla* respondebat in feminis, quae item cum in publicum procederetur dumtaxat usurpabatur. Quoniam vero

(1) PAUL. II *ad Tim.* 4, 13.

(2) TACITUS (?), *De oratoribus*, c. 39. Cf. WILPERT, op. cit. p. 79.

(3) VEL. LONGUS, *De orthographia*, ed. PUTSCH. p. 2229 sq.

(4) *Digest.* 34, 2, 23, 2: «Puerilia (vestimenta) sunt, quae ad nullum alium usum pertinent nisi puerilem, veluti togae praetextae, aliculae, chlamydes» etc.

congruum reputabatur ut feminae capite cooperto incederent, ipsius pallae limbo capiduli instar utebantur; quod quidem christianis feminis praeceptum erat ab apostolis.[1] Exempla eiusmodi raro in picturis, saepius in titulis marmoreis, delineata cernuntur. Quod ad paenulam, haec quam rarissime a mulieribus gesta invenitur. De dalmatica mulierum id unum dicendum venit, scilicet hanc virili dalmatica fuisse longiorem. Vestimentorum taxatio, Diocletiani tempore promulgata, non solum femineam recenset dalmaticam, quae lanea, vel linea, et etiam ex dimidio serica esse poterat, sed etiam ei cucullum addit eamque tunc δελματικομαφέρτιον (δελματικομάφερτον, δελματικομάφορτον)[2] vocat. Verum, praeterquam bis in Christianis monumentis, ait Wilpert, numquam in antiquae artis operibus eiusmodi vestimentum videre est.[3]

Denique mulieres, cum ethnicae tum vero christianae, speciale ad tegendum caput indumentum usurparunt, pannum videlicet qui *ricinius* seu *ricinium* (*recinius, recinium*) apud ethnicos vocatus est, apud vero christianos *velum, velamen, mafors* vel *maforte*, μαφόριον κάλυμμα, et aliter.[4] Velum virginibus imponebatur idque sacer erat ritus; sed ubi desint certa epigraphica depictave indicia, nullo cernere modo fas est, utrum virginem an matronam mulier velata repraesentet. Velum interdum ita breve erat, ut *orarium* et *palliolum* etiam diceretur, ac de quadam mundi vanitatibus dedita virgine loquens S. Hieronymus haec habet: « Palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros: quasi videri noluerit, celat festina, quod volens detexerat ».[5]

Caput virorum raro opertum apparet in picturis coemeterialibus, semper autem Christi figura operimento caret, necnon ceterarum personarum sacrarum effigies. E contra Magi,

(1) Paulus, I *ad Cor.* 11, 5.

(2) Mommsen-Blümmer, *Der Maximaltarif des Diokletian*, XIX, 8, 13, pp. 35 sq. 194 sq.; XXVI, 34-38, 44-48, pp. 4 sq. 170 etc.

(3) Wilpert, *Le pitt. delle cat.* textus, p. 87.

(4) Wilpert, op. cit. p. 85, et *Gottgeweihte Jungfrauen*, p. 17.

(5) Hieron. *Ep.* 117, *P. L.* XXII, 952 sq.

tres pueri Babylonenses ac Orpheus semper Phrygio galero capita cooperta habent. Duae fossorum figurae praeditae cernuntur, pileo (πῖλος) coni fere speciem exhibente.

Mulieres etiam operimentum aliud ac cucullum et velum adhibebant, quod *mitram, mitellam, tutulum*, seu graece κεκρύφαλον vocabant, quod aliquando ita capillamentum comprehendebat, ut eius formam redderet. Id tamen quam rarissime in christianis monumentis conspicitur.

De vestium autem ornamentis haec generatim est regula tenenda: quo magis ornata, eo seriora vestimenta sunt. Pallium enim nullo praeditum ante tertium saeculum ornamento, postea vero vel segmentis diversi panni, vel cruce, vel litteris insignitum est. Litterae autem hae sunt: H, I, P, T, X, Γ, Τ, Z quarum significatio, quidquid aliqui dicant, adhuc est ignota.

Tunica et etiam dalmatica, primitus aut nihil, aut brevi clavo exornata cernitur, qui quidem non videtur signum fuisse civilis conditionis defuncti, sed simplex ornamentum. Saeculo autem tertio tunicae ornatus ditior fit, donec sequiori tempore ditissimus evadat. Quidam purpurei disci, qui apud anteriorem tunicae oram ac super humeros applicabantur, non sunt saeculo tertio medio vetustiores, ac segmenta, non autem caliculae,(1) ut aliqui putarunt, vocabantur.

Ad colorem vestimentorum quod pertinet, notandum est, christianos pictores vestibus albis sacras personas indutas, una vel altera excepta, repraesentasse; ceteras vero figuras secundum colorem unicuique indumento proprium. Haud est dubium, ut egregius ait Wilpert, huius rei caussam e sacra repetenda esse Scriptura, quae haud semel beatos in lucis regno albis vestibus indutos describit, ut, exempli gratia, apud Apocalypsim: « Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua: et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen eius de libro vitae, et confitebor nomen eius co-

(1) Cf. Pio Franchi de' Cavalieri, *Passio Ss. Perpetuae et Felicitatis*, p. 65 sq.

ram Patre meo, et coram angelis eius».[1] Ex quo quidem textu liquido patet, non martyres tantum et virgines, verum etiam alios beatos alba veste in aeterna beatitudine esse dignos; cui apprime picturae congruunt.

Si autem aliquando sacrarum personarum vestes albae omnino non exhibeantur, hoc ideo est, quod figurae, cum in muro albo essent depingendae, coloribus leviter albo obscurioribus adumbrari debuerint, ut super muri candore discernerentur.

Tandem de calceamentis pauca verba. Personae sacrae in picturis nostris *sandalia*, sive soleas, gestant, quae quid sint non opus est explicare. Mulieres tamen, cum etiam apud ethnicos sandalia eas non decere existimaretur, semper calceatae effinguntur.

Bonus Pastor, praeter calceos, etiam *udones* portat, qui interdum ita et pedes involvunt, ut calceorum teneant locum.

Art. V. — Criteria chronologica.

Principia ad picturarum aetatem determinandam ita a I. B. De Rossi primum, ac deinde a Iosepho Wilpert plene accurateque stabilita sunt, ut materiam prorsus clarissimi illi duo viri omni ex parte expleverint. Itaque hac in re non est cur aliunde hauriamus, sed ex illorum operibus nobis huius articuli materia repetenda est; licet in ipsorum principiis adhibendis aliquando ab auctorum nostrorum opinione dissentiendum existimaturi simus.

Aetatis indicia partim ipsum respiciunt monumentum, uti artis regulae in illo observatae, stilus et omnia quae de vestimentis supra exposuimus. Alia respiciunt locum in quo monumentum extat. Cum de picturis agatur, ipsae in situ semper inveniuntur, idest adhuc apud parietes ubi elaboratae fuerant.

Igitur cuiuscumque hypogei aetas plerumque picturarum in eo extantium aetatem profert, nisi aliunde constet multo post

(1) *Apoc.* III, 4, 5.

factum hypogeum eas ductas fuisse, sicut, exempli gratia, de picturis stilo Byzantino formatis iudicandum est. Stilus enim hic non nisi a saeculo exorsus est quinto, ac plerumque ita in unoquoque saeculo est immutatus, ut aegre pictura unius saeculi saeculo anteriori vel posteriori tribui possit. At non omnes eiusdem hypogei partes eiusdem sunt temporis reputandae, praesertim quum ipsum valde queat esse porrectum ac in diversas distinctum cryptas. Hinc est quod in eodem hypogeo, exempli gratia apud Domitillae coemeterium, in hypogeo Flaviorum, picturae sint diversis aetatibus addicendae. Quid multa? Qui de aetate picturarum iudicare velit, hypogei tempus eiusque incrementum primum agnoscat oportet, non oblitus quidem, saeculo labente quarto, haud amplius generatim quam in diem necesse esset, effossum fuisse. Ad dignoscendam autem hypogeorum aetatem iam alibi hoc in opere diximus satis.

Quoad picturas, indicium chronologicum esse potest parietis tegumentum in quo ductae sunt. Si enim unicum ipsum sit, picturae non erunt medio saeculo tertio vetustiores, sed potius ad saeculum quartum assignandae. Deinde, quo magis artis regulae observatae sunt, eo antiquiores picturae, nisi tamen de infimis agatur artificibus; nam etiam in Pompeiana urbe, ut Wilpert animadvertit, sunt picturae ita inepte factae, ut quarto potius quam primo saeculo tribuendae videantur. Evidens insuper est, etiam inversam quodammodo valere rationem, scilicet, interdum ab optimo artifice picturam talem confectam esse, ut multo antiquior quam re ipsa est habeatur.[1]

(1) Sed in hoc magistrum audiamus: « *Quanto più antica è una immagine, tanto migliore ne è l'esecuzione.* Questo si manifesta particolarmente nel colorito leggero e delicato e nella correttezza del disegno, contro la quale nel primo periodo ordinariamente si peccò poco; le figure sono ben proporzionate e nei loro movimenti corrispondono alle azioni che fanno. Dei difetti veramente ricorrono anche in quell'epoca più antica: producono uno sfavorevole effetto, per esempio, le figure che guardano fuori della scena, mentre dovrebbero avere lo sguardo diretto dinanzi a sè o lateralmente; con ciò esse assumono un'aria ingenua, che talora non si accorda bene colla serietà dell'azione rappresentata. I difetti crescono dalla metà del terzo secolo in poi, e specialmente nell'ultimo periodo delle ca-

Certiora indicia e forma et ornamentis vestium erui possunt. Sic, ut iam supra animadvertimus, tunica virilis sine manicis plerumque ante saeculum tertium cernitur, sed quam rarissime postea; paenula vero brevior et dalmatica largioribus communita manicis ad tertium vel generatim potius ad quartum pertinent saeculum. Tardioris etiam aetatis tunicae ornamenta sunt; nam primo alteroque saeculo in vestimentis non apparent. A medio saeculo tertio usus incipit segmentorum, qui frequentior fit saeculo quarto, quo etiam crux gammata in tunicis et palliis usurpatur.

His indiciis etiam signa quaedam addenda sunt quae iam in praecedenti libro ex parte vidimus,[1] nempe monogrammata et nimbus quem aureolam vocant. De nimbo hic solummodo loquendum. Et primum quidem notandum est, ipsum antiquitus apud ethnicos saepe divinitatis signum fuisse; scilicet deorum fuit insigne, necnon imperatorum ac mythologicarum personarum. Christiani autem ante medium saeculum quartum hunc Christi capiti primum adiecere; dein paullatim, haud tamen imaginibus apostolorum et sanctorum etiam addere nisi post medium saeculum quintum coeperunt. Ut vero quodam distingueretur modo, Christus tunc nimbo crucem continente decoratus est. Postremo, procedente tempore, praesertim in Orientalibus tum depictis tum sculptis aut musivis operibus, nimbus tam corporum quam animorum virtutem, tam civilem et politicam quam religiosam indicavit potestatem.[2]

tacombe; allora si riscontrano talvolta grossolani errori nel disegno ed anche mancanze contro le regole del colorire; si trova perfino che furono messe luci verdi nell'incarnato. La linea dei contorni, che fino allora si faceva scomparire anche nella minima attuazione dei dettagli, ora rimane e spesso è larga e di colore oscuro, per cui le figure divengono pesanti. Questo svantaggio viene accresciuto dalle larghe striscie che incorniciano le scene. La differenza tra le pitture antiche e quelle tarde si conosce nel modo migliore confrontando le decorazioni dei soffitti » (WILPERT, *Le pitt.* textus, pp. 116–117).

(1) Vol. II pars prima, pp. 63–64.

(2) Cf. DIDRON, *Iconographie chrétienne*, p. 66 sq. et KONDAKOFF, *L'art byzantin*, p. 77 sq.

Tandem indicia chronologica ipsae sunt res repraesentatae ratioque eas exprimendi, ita ut I. B. De Rossi ac praesertim Wilpert diuturnae circa picturas indagines ac doctissima studia aetatem stabilire potuerint qua unaquaeque repraesentatio primum in coemeteriis apparuerit; quod quidem in paginis mox subsecuturis exponendum habemus.

His praehabitis criteriis, possibile evadit Christianarum picturarum repraesentationes in classes distingui, quod simul argumentationis nostrae de natura Christianae artis et indole praecipuam materiam exhibebit.

ART. VI. — **Picturarum Christianarum chronologicus prospectus.** (1)

SAEC. I. — Saeculi primi Christianae picturae Romae solummodo reperiri possunt, eaeque perpaucae, non solum quia pauca erant tunc temporis Christianorum sepulcra, sed etiam quia antiquissima hypogea postea sunt omnino mutata; sic Aciliorum cubicula, praeter pauca ornamenta ac duorum pavonum apud quoddam vas figuras, vix quidquam quod huic aetati tribui possit praebuerunt. Flaviorum solummodo cryptae nobis eiusmodi temporis vetustissimas ostendunt picturas, quae quidem ut ornamentum proprie dictum nonnihil ethnicam redolent artem, at in quibus ter boni Pastoris, semel Danielis inter duos leones, semel Noe in arca imagines extant. His addatur convivii cuiusdam figura, necnon agni iuxta pedum seu baculum, a quo vas pendet, saltantis; quae, ut videbimus, Christianam habent significationem. Denique notamus primum ibi monstri illius conspici figuram, quod apud posteriores picturas constanter piscis praegrandis (2) locum in Ionae historia tenebit.

SAEC. II. — Numerus biblicarum picturarum, saeculo secundo, Romae, mirum in modum crescit, ac praecipuae magisque arcanae efformantur figurarum compositiones; non desunt tamen, praesertim in laquearibus, varia et indifferentia

(1) Cf. WILPERT, *Pitt. delle cat. rom.* textus, p. 16 sq.
(2) IONAS, II, 1.

ornamenta. Praeterea et alibi extra Romam, licet admodum raro, Christianae apparent picturae. En earum series pro singulis coemeteriis, una cum earum aetate, iuxta peritiorum iudicium indicata.

Romae.

Via Appia. — Coem. Callisti.

1. (Cubiculum X).[1] Christi baptisma, arboris truncus inter duas aves, figurae orantium et sanctorum (priore saec. II parte).

2. (Cubiculum Y). Daniel inter leones, bis bonus Pastor, duae orantes velatae, Ionas sub pergula dormiens, duo pisces apud eucharisticas species in corbulis contentas, arboris truncus vas sustinens inter duas oves (priore saec. II parte).

3. (Cubiculum superius prope S. Cornelii sepulcrum). Bonus Pastor (posteriore saec. II parte).

4. (Cubiculum Orphei). Orpheus inter oves (posteriore saec. II parte).

5. (Cubiculum sacramentorum A^2). Bonus Pastor, mensa-altare cum pane ac pisce inter septem corbulas panibus repletas, Ionas in mare deiectus, Ionas quiescens, Sanctus inter naviculae pericula orans, piscator, Moyses rupem percutiens, septem discipulorum convivium, catechumeni baptisma, Christus iudex, resurrectio Lazari (posteriore saec. II parte).

6. (Cubiculum sacramentorum A^3). Bonus Pastor, Moyses rupem percutiens, Christus et mulier Samaritana, piscator, Christi baptisma, paralyticus grabatum tollens, missae sacrificii symbolum, turbarum refectio, Abraham sacrificium, navis fluctibus agitata, Ionas deiectus in mare, evomitus a pisce, deinde quiescens (priore saec. II parte).

7. (Cubiculum sacramentorum A^6).[2] Moyses rupem per-

(1) Nomenclatura in hoc articulo adhibita ea est quae, in De Rossi operibus stabilita, communis inter archaeologos evasit.

(2) Invertitur ordo numerorum, ut servetur ordo chronologicus.

cutiens, refectio turbarum, Ionas deiectus in mare, evomitus a pisce ac quiescens, resurrectio Lazari (sub fine saec. II).

8. (Cubiculum sacramentorum A^5). Refectio turbarum, Ionas quiescens (sub finem saec. II).

9. (Cubiculum sacramentorum A^4). Bonus Pastor, Ionas e nave deiectus ac deinde quiescens, mulier vel vir orans inter duas oves (sub finem saec. II).

Coem. Praetextati.

1. (Passionis crypta). Bonus Pastor, Christus spinis coronatus, resurrectio Lazari, Christus et mulier Samaritana (priore saec. II parte).

2. (Crypta S. Ianuarii). Quattuor anni tempora, Ionae historia (priore saec. II parte).

Via Ardeatina. — Coem. Flaviae Domitillae.

1. (Crypta Ampliati). Picturae ad ornamentum concinnatae (priore saec. II parte).

2. (Cubiculum prope basilicam S. Petronillae). Picturae ad ornamentum concinnatae (posteriore saec. II parte).

Via Salaria Nova. — Coem. Priscillae.

1. (Cubiculum italice *Cappella Greca* vulgo nuncupatum). Moyses percutiens rupem, tres pueri in fornace, baptisma, tempora anni, tres imagines historiae Susannae exhibentes, Noe, fractio panis, sacrificium Abraham, Daniel, resurrectio Lazari, defuncti orantes, sancti (initio saec. II).

2. (Atrium eiusdem cubiculi). Bonus Pastor (initio saeculi II).

3. (Arcosolium Beatae Virginis). Virgo Maria cum Iesu infante et Isaia propheta, bis bonus Pastor, defunctae cuiusdam dimidia effigies, tres orantes (initio saec. II).

4. (Cubiculum III). Bonus Pastor, columbae cum ramo olivae, orantes (posteriore saec. II parte).

5. (Cubiculum IV). Mariae Virgini incarnationem Verbi angelus nuntians, bonus Pastor, resurrectio Lazari, tres Ionae historiae imagines (sub fine saeculi II).

In Africa.

1. (Catacumba apud Cyrenen in Africa Septentrionali). Bonus Pastor cum septem piscibus (sub fine saec. II). (1)

Saec. III et IV. — Hac aetate multo frequentiores adhuc fiunt Christianae picturae, ac, praeter figuras et repraesentationes saeculo antecedente adhibita, nova haec in Romanis coemeteriis apparent:

Christus docens, Bonus Pastor cum grege, caeci nati ac leprosi sanationes, Christus aquam in vinum convertens, David cum funda, Iob infirmus, Tobias cum pisce, Magi stellam adspicientes, Evae et Adam peccatum, Virgo quaedam Deo sacrata velamen accipiens, Daniel impudicos confundens senes, bonus Pastor mulgens ovem, Petrus cum Scripturae volumine, defuncti inter sanctos recepti, defuncti in horto paradisi, tres pueri regis statuam adorare recusantes, filiae Iaïri resurrectio, Christus apostolos docens, sancti Christo adstantes, Christus coronam porrigens sanctis, Balaam stellam indicans, Moyses sandalia solvens, prudentium ac stultarum virginum parabola, Magi una cum pastoribus Christum infantem adorantes, agnus serpentem calcans, Christus cum Evangelistis, cervi ad fontem, Christus inter apostolorum principes, Maria orans cum Iesu infante, Scala caeli, traditio legis, Moises et Aaron a Iudaeis vexati, Elias raptus ad caelum, Micheae prophetia, Magi Herodi adstantes, daemonium habentis curatio, Mannae pluvia, Petrus Christum negans, Susanna sub specie agnae inter lupos, defuncta quaedam sub specie agnae inter agnos, columbae ad monogramma Christi conversae, Agnus Dei in monte ex quo

(1) Cf. Pacho, *Relation d'un voyage dans la Marmarique et la Cyrénaïque*, Paris, 1827-29, pl. XIII, LI; Garrucci, *Storia*, etc., vol. II, tav. 105.

quattuor scaturiunt flumina, inter sanctos Marcellum, Petrum, Tiburtium et Gorgonium. His paucae adiungendae sunt artium a defunctis exercitarum repraesentationes quae saeculo quarto antiquiores non sunt.

Neapoli.[1]

Coem. S. Ianuarii.

1. (Catacumba superior). Adam et Evae lapsus, David, puellae tres turrim aedificantes (inter II et III saec.).

2. (Vestibulum catacumbae superioris). Iuvenis orans, quattuor anni tempora, equus, varia plurimaque ornamenta (sub finem saec. III).

(Arcosolia plurima). Apostoli Petrus et Paulus defunctos in paradisum introducentes, sancti coronati, sancti inter candelabra, sancti ad latera martyris Ianuarii (saec. IV et V).

(Arcosolium iuxta ingressum). Ionas quiescens, bonus Pastor cum grege inter arbores, Christus ascendens in coelum, Moyses rupem percutiens, Christus Lazarum resuscitans (saec. vergente IV).

Coem. S. Gaudiosi.

Defunctus quidam ante S. Petrum aliumque sanctum inter duo candelabra (saec. IV vel V).[2]

In Sicilia insula.

Coem. S. Ioannis Syracusis.

Defuncta quaedam a Christo in paradisum recepta apostolis Petro Pauloque assistentibus, pisces calicem appetentes (saec. IV vel V), defuncta quaedam orans inter duas columbas, id est anima inter sanctos, (saec. IV ad finem vertente).[3]

(1) Cf. GARRUCCI, *Storia*, vol. II, tab. 92 sq.
(2) Cf. GARRUCCI, loc. cit. tab. 90 sq.
(3) Cf. GARRUCCI, loc. cit. p. 123; *Bull. d'arch. crist.* 1877, p. 155 sq.

In Sardinia insula. (1)

Coem. Calaritanum.

1. (Ap. Calarem). Fidelis sub specie agni in navem quae Ecclesiam significat receptus, Ionae historiae imagines, paradisus (sub finem saec. III).

2. Paradisus, resurrectio Lazari, defunctus orans (initio saec. IV).

In Gallia.

Hypogeum Remense.

Paralyticus grabatum ferens, Abraham sacrificium; quae quidem picturae ab E. Le Blant referuntur, sed non existunt amplius. (2)

In Pannonia. (3)

Apud Sopianas (Fünfkirchen, sub turri ecclesiae cathedralis). Apostoli duo monogramma Christi indicantes, monogramma Christi inter quattuor clypeatas defunctorum imagines paradisi symbolis circumdatum, tres magi Iesum adorantes, Noe in arca, historia Ionae (sub medium saec. IV).

In Africa. (4)

Apud El-Khargeh in Oasi Maiore, in necropoli El-Bagaouat.

1. (Tholi paries). Adam et Evae lapsus Noe, columbam in arcam recipiens, virgines prudentes, orantis figura, sacrificium

(1) Cf. De Rossi, *Bull. d'arch. crist.* 1892, p. 131 sq. tabb. V, VI, VII, VIII.

(2) Le Blant, *Inscr. chrét. de la Gaule*, p. 449.

(3) Cf. Koller, *Prolegomena in historiam episcopatus Quinque ecclesiarum*, Posonii, 1804, p. 25 sq.; De Rossi, *Bull. d'arch. crist.* 1874, p. 169 sq. tabb. VII, VIII.

(4) Cf. Wladimir de Bock, *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Egypte chrétienne*, Saint-Pétersbourg, 1901, pp. 7-33, tab. IX sq.; Cabrol, *Dictionn. d'arch. chrét. et de liturgie*, fasc. XII, art. *Bagaouat* (*El*), col. 46 sq.

Abraham, bonus Pastor cum grege, S. Theclae martyrium, Ionae historiae imagines, Susanna, Hebraeorum ex Aegypto exitus, transitus maris Rubri, Isaiae supplicium, tres pueri in fornace, Daniel inter leones (saec. IV).

2. (Capella I). Daniel inter leones, Pacis (Εἰρήνη) ut personae figura, Sacrificium Abraham, Adam et Evae lapsus, S. Paulus et S. Thecla, figura quaedam orans cum nomine Maria, Noe in arca, Iacob orans, precis (Εὐχή), ut personae necnon item Iustitiae (Δικαιοσύνη) adumbrationes (saec. IV).

Alexandriae.[1] (Vestibulum catacumbarum). Mutatio aquae in vinum, multiplicatio panum et convivium eucharisticum (saec. III vel IV).

(1) Cf. *Bull. d'arch. crist.* 1865, tab. 5.

CAPUT III.

Picturarum interpretationis universalis ratio.

ART. I. — **De diversis, circa indolem picturarum Christianarum, auctorum sententiis – Quaenam ex eis verisimilior dicenda.**

Picturarum interpretatio disciplinae nostrae difficillima pars est, cum a fontibus litterariis pendeat, in quorum investigatione vel summi archaeologi errarunt. Ut mihi videtur, idque supra dixi, ex monumentorum indole eorumque inter se analogia investigatio ista initium capere debet; de ea igitur primum loquendum.

Auctores, qui de picturarum Christianarum stilo tractarunt, mire in eius indole determinanda dissentiunt. Raoul-Rochette, ut alibi iam animadversum est, nihil omnino in Christiana arte invenit, quod proprium huius artis diceret, omniaque adumbrationem sive imitationem plus minus fidelem esse artis ethnicae asseruit. (1) Cuius quidem sententiae ratio non solum ex praeiudicatis opinionibus illius auctoris repetenda est, verum etiam ex eo quod, initio saeculi elapsi, quum hac de re quid sentiret exposuit, haud fideles figurarum tabulas sub oculis habuerit. Contra hanc sententiam non semel in suo opere *Roma sotterranea* locutus est J. B. De Rossi, qui certam quamdam concedens arti ethnicae partem in coemeterialibus picturis, quippe cuius stilus fere vitari non posset, multarum tamen figurarum Christianae vindicat arti originem. Verum visus est, nostris praesertim temporibus, nimis complexa involutaque symbola in picturis catacumbarum deprehendere voluisse.

(1) RAOUL-ROCHETTE, *Discours sur l'origine des types imitatifs qui constituent l'art du christianisme*, 1834, et *Mémoires sur les antiquités chrét. des catacombes*, 1838, ap. *Mémoires de l'Acad. des Inscr. et Belles-Lettres*, t. XIII, pp. 93-169, 170-265, 529-788.

Eius aequalis, doctissimus Pater Garrucci, antiquam Bosii aliorumque opinionem renovavit, quatenus fere omnia in Christianis sepulcris symbolica esse deberent,[1] ac nonnulli Lutheri Calvinique assectatores ex Garruccianae interpretationis abusu occasionem arripuere omne prorsus in praefatis monumentis negandi dogmaticum signum. Inter hos Victor Schultz eminuit, qui optime quidem de inventis monumentis meritus, omnia tamen eo sensu interpretatus est, ut ipsis quaedam significaretur popularis philosophia, fidei resurrectionis innixa, sed nihil aliud.[2]

Victoris Schultz opinionem Sybel nostris temporibus plus minus amplexus est, qui in omnibus et semper ethnicam omnino

Tab. 106. Monumentum ethnicum.



Tab. 107. Monumentum Christianum.

cernit artem, artem vero Christianam affirmat ultimam esse ethnicae artis formam, sicut Christiana relligio ultimum antiquarum relligionum evolutionis (ut hodie dicitur) signat gradum. Praeterea, ex eius sententia, picturae defunctum semper spectant, quatenus ad eius destinationem alludant, aeternam videlicet beatitudinem in Deo; Christus autem non intervenit nisi ut mediator, ut salvator mundi humanique generis liberator, cuius gratia et auxilio ad convivium caeleste aditus patet. Au-

(1) Garrucci, *Storia dell'arte crist.*; praesertim vol. I.

(2) Schultz, *Archaeologische Studien*, Leipzig, 1880; *Die Katacomben*, 1882.

ctori igitur picturarum finis eschatologicus, ut hodierno utar vocabulo, prorsus est,[1] quod quidem C. M. Kaufmann [2] aliique iam ante illum arbitrati erant.

Iosephus Wilpert in pluribus suis operibus cum doctis illis viris quidem consentit in eo quod ad defunctos picturae catacumbarum referendas putet, sed praeter eschatologicum, etiam paraeneticum sensum in iis deprehendit; nempe picturae non ea tantum quae beatitudinem significant, verum etiam supplicationes ac preces continent quae, ut defuncti anima cito beatitudinem consequeretur, a superstitibus solvebantur.

Equidem non aliter atque egregius hic auctor tenendum arbitror, cuius nempe sententiam, ita quoad genus consideratam, solummodo post plures in monumentis examinandis annos transactos veram deprehendi, eamque in praesenti libro mihi demonstrandam propono.

Quantum autem sit veri in eorum sententia, qui omnes Christianas figuras in sepulcralibus picturis ex aliquo prototypo ethnicae repetunt artis, satis ex tabulis 106, 107, 108, 109 intelligitur.

Exempla istiusmodi ab H. Leclercq producta sunt in suo *Manuali archaeologiae Christianae*,[3] sed quid probent videat studiosus. Equidem, praeterquamquod inter Christianas et ethnicas formas non tantam invenio congruentiam artis, multum mihi dubium est quin Christianae figurae ab ethnicis prototypis stricte adeo, ut iactatur, pendeant: nec enim hinc et illinc stili compositionisve aequalitas, vultus eadem species, vel par vestimentorum quoad sinus dispositio; sed, ad summum, fortuita quaedam levisque, inter communiora ac magis materialia, similitudo dumtaxat deprehenditur, quae vitari omnino nequibat. Si egregius Leclercq semel tantum per Romanum agrum transiisset, nostris etiam temporibus plura pastoris quiescentis viva

(1) Ludwig von Sybel, *Christliche Antike. Einführung in die altchristlike Kunst*, Marburg, N. G. Elwert, Erster Band, 1906 (in-4°, p. 308).

(2) Kaufmann (C. M.), *Handbuch der christlichen Archäologie*, Paderborn, 1905.

(3) H. Leclercq, *Manuel d'arch. chrét.* t. premier, p. 140 sq.

exempla et ubique conspexisset, eodemque fere habitu atque in tabula 107 alibique in Christianis picturis apparet. Quod autem de pastoris, idem de orantis figura dicatur. Cotidie enim Christianis artificibus sub oculis eiusmodi exempla versabantur, praesertim in liturgicis congregationibus: quid ergo opus erat, ut Romana signa imitarentur?[1] Sed nunc ad inceptum redeamus.

Licet recentiores plerique auctores in pluribus inter se dissentiant, in hoc tamen concordes sunt, ut funerariam vindi-



Tab. 108. Monumentum ethnicum.

Tab. 109. Monumentum Christianum.

cent picturis catacumbarum indolem. Id prorsus excludit quod vel a I. B. De Rossi, non nimis tamen explicite, admittebatur, ut scilicet picturae quidam fuerint modus neophytos in relligionis dogmatibus instruendi, ideoque quoddam theologicarum notionum corpus constituerint. Si ita res se habuisset, quaerere liceret curnam non omnia relligionis dogmata significata sint.

(1) « Sono semplicemente da leggersi con compassione », ait egregius Wilpert, « i tentativi fatti dai dilettanti per ricondurre a tipi classici alcune rappresentazioni (per esempio, la Epifania a scena del culto cibelico, il sacrificio di Abramo a quello d'Ifigenia, Giona ad Endimione etc.); essi non meritano seria considerazione » (*Le pitt. delle cat. rom.* textus, p. 53, not. 2).

Quod quidem picturae sepulcrales relligionis mysteria, vel sublimiora, neophytos docere potuerint, immo et ipsis fidelibus in mentem revocare quod maxime ad salutem aeternam obtinendam referret, nemo dubitabit. Etenim, quot res quodlibet potest monumentum commemorare! Verum, in hunc finem picturas sepulcrales directo et ex proposito elaboratas fuisse, nisi gratis id asseri non potest. Quaenam nempe hucusque huius rei allata fuit ab auctoribus ratio? Prorsus nulla. Nemo unquam explicavit cur, exempli gratia, ut eucharistia quid esset

Tab. 110. Amor et Psyche. Pictura saeculi III ineuntis in coem. Domitillae. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

neophytus intelligeret, figuris depictis opus esset. Sed etsi hoc daretur, quare in parietibus sepulcrorum? quare non in communi, etiam si placeat subterraneo, ad hoc destinato loco? Sicut enim ulteriora docuerunt studia, catacumbae unice uti coemeteria habitae generatim fuerunt, in quibus potuerit funeraria quidem liturgia celebrari, sed quam rarissime, atque extrema impellente necessitate dumtaxat ordinarius cultus. Porro quisnam crederet privatam personam, in proprio familiarique decorando sepulcro, de docendis mysteria neophytis cogitasse, quasi parietes hypogei, saepe perangusti, parietes quodammodo essent scholae, ac ad orandum pro defunctis natura ac decoratione sua non potius et aptius invitarent superstites?

E contra, ad funerariam picturarum nostrarum indolem demonstrandam nobis iam ex praemissis notionibus argumentum suppetit paritas, quae inter diversa monumentorum sepulcralium genera certo viget. Si enim in coemeteriorum epitaphiis generatim orant superstites, ut defuncti cito beatitudinem ingrediantur, vel eos iam declarant beatitudinem possidere, si eiusmodi cogitationibus et symbola titulis incisa, uti vidimus, plane respondent, ac idem exhibent quod in liturgicis funerariis precibus legere fas est, ut scilicet proficiat defunctis id quod crediderunt ac speraverunt; si denique symbola non pauca communia cum picturis habent, ut videbimus; omnis est ratio concludendi picturas eamdem atque epitaphia indolem habere. Neque id quod defuncti sperarunt ac crediderunt totum potuit in sepulcris describi: monumentorum quoque naturam animadvertamus oportet, ceteraque adiuncta, tempus praesertim. Vidimus enim epitaphia potissimum Christum respicere, fidem in eum, spem in eius sponsiones aeternamque beatitudinem; deinde sacramenta commemorari deprehendimus praecipua, quibus scilicet homo fit Christianus et pignus, ex Christi promissis, accipit beatae immortalitatis ac resurrectionis; liturgiae funerariae eadem quoque sacramenta commemorant. Atqui picturae in hoc a liturgiis et epitaphiis minime differunt. Patet igitur quam frustra in picturis quaereremus quod neque eiusdem temporis epitaphia, neque ipsae liturgiae hodiedum usurpatae exhiberent.

Art. II. — Picturarum interpretationis fontes.

Illa quae hucusque proposita sunt et, libenter dixerim, obfirmate stabilita, de eadem scilicet picturarum atque epitaphiorum symbolorumque funerariorum indole, aptissimam mihi videntur viam aperire ad varia investiganda ac invenienda documentorum genera, quibus diverse coemeteriorum picturae quasi afflatae sunt et ex quibus praecipuae earumdem interpretationis normae igitur sunt eruendae.

1. — Prima omnium argumentorum classis ipsa epitaphia ac symbola. Nemo enim dubitabit quin eaedem res in titulis

atque in picturis repraesentatae eamdem habeant in utrisque monumentis significationem, praesertim si eiusdem sint aetatis. Quae igitur ad baptismum atque ad eucharistiam pertinent, nullam nobis facessent enodationis difficultatem, proindeque uti iam explanata haberi possunt. Item quidquid ad caeleste alludit convivium, necnon figurae orantes, figurae boni Pastoris, Adam et Evae peccatum, anima ante tribunal Christi, et quidquid paradisum quodammodo uti hortum, fontem, et refrigerium repraesentat.

2. — His demptis, ceterae pleraeque picturae prodigia antiqui Testamenti, aut Christi miracula, vel Virginem Mariam exhibent. Atqui harum sensus in antiquis liturgiis quaerendus est. Nemo enim aliud documentorum genus huic praeferet, cum hoc prorsus illa omnia contineat ad defuncti animam, vel ad animae destinationem pertinentia, iisdem prodigiis ac miraculis quodammodo significata, quae in picturis sepulcralibus inveniuntur.

Nempe iam inde ab Ecclesiae primordiis, preces quaedam in usu fuere, quae tum ad lectum morientium tum ad defunctorum depositionem et anniversaria a clero et a populo recitabantur, quarum, ut de re epigraphica tractantes animadvertimus, nonnumquam in epitaphiorum formulis repetitiones mutilae et indicia deprehenduntur. Illae autem preces, sive interdum fere ex toto, sive minutatim tantummodo apud posterioris aetatis liturgicas extent compilationes, omnia paene biblica exhibent facta quae in picturis conspiciuntur; quod quidem, si praesertim ad exiguum imaginum quae supersunt numerum attendatur, nequit casu evenisse, sed et picturas et preces commune habuisse archetypum sat ostendit. Non est igitur cur alibi quaeratur quod in his precibus luculenter invenitur; nam, etiamsi alia sint documenta eadem Scripturae loca illustrantia, nihilominus neque documentorum horum natura congruit cum picturarum coemeterialium indole, neque in sacris explicandis narrationibus defunctorum statui conveniens significatio tunc supponitur, neque denique maior historiarum pars hic exhibetur quae in picturis cernuntur.

Primus monumentorum cum precibus similitudinem detexit E. Le Blant; sed, in exponenda felici hac observatione, de solis sarcophagorum anaglyptis studium instituit. (1) Documentorum huius classis haec praecipua sunt:

Commendatio animae, mox e morientis corpore egressurae.
Pseudocyprianicae orationes.

Animae commendatio, cuius textum nunc apud breviarium Romanum cernere est, his piis constat invocationibus:

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti
Enoch et Eliam de communi morte mundi,
Noe de diluvio,
Abraham de Ur Chaldaeorum,
Iob de passionibus suis,

(1) Le Blant, *Sarcophages chrét. d'Arles*, introduction. De interpretationis ratione qua illustris ille usus est auctor, en quae habet egregius Wilpert: « Il Le Blant, al quale spetta il merito di avere pel primo chiamata l'attenzione sul rapporto che ha la liturgia con le rappresentazioni figurate, esistenti sopra i sepolcri, non va però immune da unilateralità, poichè considera le preghiere funerarie quasi come la fonte esclusiva del simbolismo sepolcrale dei primi cristiani. Egli – e qui sta il suo sbaglio – nell'addurre prove in conferma della sua teoria, trascura affatto le pitture, molte delle quali sono anteriori alla composizione della *Commendatio*, e considera solo le sculture dei sarcofagi, le quali, salvo poche eccezioni, sono posteriori alla pace costantiniana, quindi di un'epoca in cui il simbolismo sepolcrale erasi alquanto reso comune ed in luogo della originaria varietà e profondità era entrata una certa uniformità che si rivela anche nella *Commendatio*. Certamente le preghiere della liturgia dei defunti ci danno feconde istruzioni circa l'interpretazione delle sculture di questo periodo, ma se si tratta di quelle più antiche, specialmente poi di pitture del II secolo, non di rado ci lasciano del tutto all'oscuro. Avviene inoltre, come rileva lo stesso Le Blant, che si diano rappresentazioni di ogni età le quali non sono ricordate nelle orazioni, nè possono spiegarsi con un rinvio alla storia – " sujets historiques " –, poichè fra di esse se ne trovano di quelle che certamente sono *simboliche* come, per esempio, i tipi del Battesimo e dell'Eucaristia. Tuttavia per queste osservazioni non intendo diminuire il merito del grande archeologo francese; la sua teoria ha promosso essenzialmente l'intelligenza del simbolismo ed ha introdotto nella interpretazione delle pitture cimiteriali un elemento positivo inestimabile » (Wilpert, *Le pitture* etc., textus, pp. 135–136).

Isaac de hostia, et de manu patris sui Abrahae,
Lot de Sodomis, et de flamma ignis,
Moysen de manu Pharaonis, regis Aegyptiorum,
Danielem de lacu leonum,
Tres pueros de camino ignis ardentis, et de manu regis iniqui,
Susannam de falso crimine,
David de manu regis Saul, et de manu Goliae,
Petrum et Paulum de carceribus,
Beatissimam Theclam virginem et martyrem tuam, de tribus atrocissimis tormentis.

Porro, si Enoch et Lot excipias, cetera omnia in picturis coemeterialibus apparent, hoc tamen discrimine quod *Thecla* atque *transitus maris Rubri* non nisi in Africanis inveniantur picturis, ut supra vidimus.

Preces autem Pseudocyprianicae duae sunt, sed secunda magis ad rem nostram confert, eaque ex parte huc est afferenda:

« Rogo, Domine, subveni mihi; noli secundum actum meum me iudicare, nihil enim in praeceptis tuis parui. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Ionam de ventre ceti; sic exaudias me, et eiicias me de morte ad vitam. Sicut Ninivitae induerunt cinerem et cilicium et poenitentiam egerunt ante Dominum... Exaudi me orantem, sicut audisti tres pueros de camino ignis, Ananiam, Azariam, Mizaelem: et misisti angelum tuum cum nimbo roris, et confusus est Nabuchodonosor praepositus regni... Exaudi me orantem, sicut exaudisti Danielem de lacu leonum, et misisti Abacuc prophetam, et attulit ei prandium... Exaudi me orantem sicut exaudisti Tobiam et Saram... Illumina oculos meos sicut illuminasti oculos Tobiae. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Susannam inter manus seniorum, sic me liberes ab hoc saeculo, quia tu es amator purae conscientiae. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Ezechiam regem Iudae et delesti ab eo infirmitatem carnis... Libera me de medio saeculi huius, sicut liberasti Theclam de medio amphitheatro; libera me ab omni infirmitate carnis meae ».

« Te deprecor, Pater maiestatis, qui in fine temporis misertus es nostri, mittens nobis Iesum Christum, filium tuum,

Dominum Deum Salvatorem nostrum, natum ex Maria Virgine de Spiritu Sancto, annuntiante Gabriele angelo, per quem nos liberasti de periculo mortis imminentis... ».[1]

Re quidem vera, preces istae haud proprie pro defunctis deprecationes sunt; nihilominus et Christiani mortis iudiciique terrore expavescentis sunt quasi querelae, seu animae quae a periculis inferni expostulat liberationem. *Respice in nos*, dicitur in alio loco, *et libera de aeternae mortis interitu.* Praeterea dum Christi miracula enumerantur, perinde ac in quibusdam iam documentis vidimus, fidei professio, ut auxilium obtineatur, elicitur: « Qui mortuos suscitasti, caecos inluminasti, surdis auditum, mutis eloquium, claudis gressum, leprosis sanitatem dedisti; ita da famulis tuis qui in te tota virtute mentis credimus natum, passum, venturum iudicare vivos et mortuos ».[2]

Verum enimvero, tantum liturgicis precibus quoad imaginum interpretationem momentum si tribuatur, erit forsitan qui dicat hoc modo sacram Scripturam, quae praecipuam suppeditat picturarum materiam, aut prorsus reiici, aut vix raro

(1) *P. L.* t. IV, Cypr. t. unic. coll. 907–908. Cf. Zahn, *Cyprian von Antiochien und die deutsche Faustsage*, Erlangen, 1882. Hic auctor Cypriano Antiocheno orationes praefatas tribuit, qui S. Cypriano fere aequalis fuit; Michel tamen aliter arbitratur, nempe archetypum Graecum fuisse, saeculo conscriptum secundo tertiove, ex quo, pacem post Ecclesiae donatam, textum, qui ad nos usque pervenerit, erutum. (Michel, *Gebet und Bild in frühchristlicher Zeit* ap. *Studien über christliche Denkmäler*, Leipzig, 1903, pp. 2–22).

(2) Profecto, ex instituto nostro haud est de origine eiusmodi documentorum investigare; nihilominus animadvertere libet quam frustra quidam conentur auctores eas ad quasdam Synagogae preces reducere, ut exinde concludant Christianas picturas ex Hebraica repetitas esse liturgia. Ecclesiam dicunt talia a Synagoga deprompsisse, ut Hebraeorum alliceret animos impediretque ne, semel ab ethnicis Christiana cognita sapientia, isti ad Iudaismum potius declinarent. Equidem non dubito Christianos primaevos ab apostolis didicisse orare, apostolos vero, quoad formam externam, deprecandi modum accepisse a Iudaeis, qui ... a patriarchis et ab Adamo acceperunt. Ceterum hanc sententiam, quae vel prima fronte aliena videtur, apud *Ephemerides Liturgicas* nuper refutavi (*Ephemerides Liturg.*, Romae, 1908–1909).

adhiberi. Minime vero, nam preces liturgicae, praesertim funerariae, licet peculiari quodam sensu facta et miracula biblica accipiant, his tamen fere integre conflatae sunt; unde preces illas picturis explanandis adhibere, idem est atque ipsa uti Scriptura, sed eo sensu intellecta qui in re praesenti aptior sit magisque monumentorum congruat naturae et indoli.

3. — Sunt insuper picturae quae partim ex aliis funerariis monumentis, partim ex documentis Patrum scriptorumque Christianorum non autem quorumcumque, sed eorum qui eiusdem sunt atque picturae temporis, lucem accipiunt. Probatum enim omnibus est, monumenta cuiuscumque temporis plerumque ea proprio repetere modo quae eadem tempestate mentibus insita essent magisque animos tenerent eruditorum, vel apud vulgus viguissent, brevi: monumentum aetatem tradere suam.

4. — Sunt etiam picturae quae ipsis ethnicis monumentis illustrantur, sive propter eamdem utrorumque naturam sive propter eumdem cogitationum ordinem utrisque communem.

5. — Tandem, ipsa imaginum dispositio picturarum sensum aliquando revelat, cum non raro series extent, in quibus ut figurae inter se nexum habeant, requiritur.

Ista studiosis in praesenti sufficiant; ceterum, talibus adhibitis interpretationis fontibus, paene omnia quae picturae coemeteriales repraesentent explanare licet, necnon, servata monumentorum natura quae funeraria omnino est, potest indoles intima cognosci, verusque tandem picturarum finis deprehendi (1). Itaque ad criteriorum usum nunc veniamus, omnia

(1) De falsis interpretationis fontibus sane notabilia mihi haec Wilpert verba videntur: « Mentre in tal guisa possiamo con gran profitto consultare per la interpretazione delle pitture gli epitafi, le liturgie funebri, come pure le preghiere loro affini e le sculture dei sarcofagi, sarebbe al contrario pericoloso appellarsi senza riserva a monumenti che non hanno *carattere funebre*, come, per esempio, ai vetri così detti cimiteriali. Senza dubbio essi pure sono testimoni preziosi al sommo per il simbolismo dell'antichità cristiana, ma appartengono ad un'altra sfera d'idee differente da quella sulla quale ora c'intratteniamo. Così si sbaglierebbe volendo

per classes recensendo, et excutiendo, ut ipsa scilicet monumenta loquantur. Sed imprimis materia tractanda dispescenda est. Picturarum porro argumenta in duas dividi classes queunt, nempe in argumenta *sacra* et *profana*. Argumenta *sacra* dicimus repraesentationes illas quae ad animarum defunctorum sortem pertinent; *profana* vero quae humanam defunctorum conditionem, vel artem quam, tum cum in hac vita essent exercuerunt, quocumque modo significant.

Argumenta sacra praecipue respiciunt Christum, Mariam, baptismum, eucharistiam, in divinum spem auxilium, orationes pro defunctis, peculiare uniuscuiusque animae iudicium, aeternae beatitudinis, seu paradisi adeptionem, sanctos redimitos coronis. Haec omnia in quattuor dividentur capita, nempe: *Christus et Maria — Sacramenta — Defunctorum suffragia — Novissima.*

trasportare il simbolismo del Buon Pastore figurato nei fondi dei calici vitrei anche agli affreschi dello stesso soggetto eseguiti sopra i sepolcri. Secondo questo simbolismo, che si attiene strettamente al Vangelo e che da Tertulliano fu svisato nel modo ben conosciuto, la pecora portata dal Buon Pastore simboleggia il peccatore pentito, che per la penitenza ha ottenuto la riconciliazione con la Chiesa e la riammissione nella communione dei fedeli. Questa prassi così mite, che è un'eredità di Cristo, fu esercitata nella Chiesa fin dal tempo degli Apostoli (I *Cor.* V, 1–4) e fu avversata soltanto dalle eresie montanista e novaziana. Le immagini del Buon Pastore dipinte nei calici erano, come risulta dalla polemica di Tertulliano, una protesta diretta contro i citati eretici, che avevano negato alla Chiesa la piena podestà di rimettere i peccati *gravi*. Pertanto chi volesse vedere una simile protesta anche nelle pitture cimiteriali commetterebbe un grosso anacronismo, perchè i più antichi affreschi di questo soggetto arrivano sino alla fine del I secolo » (WILPERT, *Le pitture*, textus, p. 139).

CAPUT IV.

Christus et Maria.

Art. I. — Christus.

Christus crucifixus. — Humanae auctorem salutis, Christum, aliquis forsan putabit in antiquioribus monumentis cruci affixum inveniri; sed non est ita. Crucifixi effigiem ars Occi-



Tab. III. Pictura coemeterii S. Callisti (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

dentalis non nisi saeculo quinto cognovit. In Oriente vero inde a saeculo secundo huius imago quidem apparet, sed quam rarissime, ac in annulis gemmulis aliisque eiusmodi resculis dumtaxat. Cuius rei caussa nondum satis constat inter archaeolo-

gos; at si meam proferre sententiam deberem, id tum propter Christianae artis indolem, quae suppliciorum repraesentationes non patiebatur, tum vero ne augustissimum salutis signum facile profanaretur, factum fuisse dicerem. Symbola autem crucifixi, in picturis, ita sunt incerta, ut ne exemplum quidem referre pretium operae putarem, nisi aliqui essent archaeologi qui figuram tabulae III symbolum extare crucifixi affirment. Delphinus enim tridenti affixus pluries invenitur in catacumbis, sed plerumque veluti ornamentum et quidem secundarium, perinde ac etiam in paganis sepulcris.

Verum, si neque crucifixi figura neque eius symbolum certo in picturis deprehenditur, nihilominus crucis sacrificii adumbratio non deest, nempe sacrificium Abraham, quod veluti Dominici sacrificii typus ab innumeris Patribus et auctoribus habitum est: « Isaac, ait Clemens Romanus, cum confidentia futurum agnoscens, libenter oblatus est sacrificium »; (1) et Meliton: « Pro Isaac iusto apparuit aries in mactationem, ut vinculis Isaac exsolveretur. Ille mactatus redemit Isaacum; ita et Dominus morte sua nos salvavit, et vinculis suis nos liberavit, suaque immolatione nos redemit... Sed Christus passus est, Isaac autem non est passus; typus enim erat futurae passionis Dominicae »; (2) et S. Irenaeus: « Etenim Abraham secundum fidem suam secutus praeceptum Verbi Dei, prono animo unigenitum et dilectum filium concessit sacrificium Deo; ut et Deus beneplacitum habeat, pro universo semine eius dilectum et unigenitum Filium suum praestare sacrificium in nostram redemptionem »; (3) et Cyprianus: « Isaac, ad hostiae Dominicae similitudinem praefiguratus, quando a patre immolandus offertur, patiens invenitur ». (4) Denique facile librum conficerem, si omnia eiusmodi vellem testimonia referre.

Porro ter in picturis sacrificium Abrahae ita cum eucharisticis coniunctum est symbolis, ut nullum dubium de eius

(1) Clemens Romanus, *Ep. ad Corinth.* ed. Funk, p. 99.
(2) Meliton, *Fragmenta P. G.* V, col. 1215.
(3) Irenaeus, *Contra haer.* I, IV, c. 5, *P. G.* VII, col. 986.
(4) Cyprianus, *De bono pudicitiae*, X, *P. L.* IV, col. 629.

significatione superesse possit; de quo tamen infra ad caput V erit speciali modo loquendum.

Christi vultus. — Olim de Christi figura multa prolata sunt, quasi revera extarent monumenta quae divini vultus praecipua saltem lineamenta exhiberent. Verum ex monumentis id solum fas est stabilire, nempe Christum, tribus prioribus saeculis, iuvenem prorsus effictum fuisse; at non ita distincte ut certam faciem praebeat. Saeculo autem quarto, dum in sculptilibus pulcher veluti adolescens plerumque exihbetur, aut iuvenis promissa et compta praeditus caesarie; in picturis barbatus haud raro cernitur, quod semel etiam saeculo deprehenditur tertio. Augustinus vario affirmat modo, suo quidem tempore, Domini vultum delineatum fuisse: « Dominicae facies carnis innumerabilium cogitationum diversitate variatur et fingitur », [1] ac S. Irenaeus, duo ante saecula, nullibi aiebat veram prorsus Domini effigiem inveniri.

Tab. 112. Iesu Christi effigies falso antiquissima existimata.

Si quibusdam fides adhibenda esset scriptoribus, iam inde a saeculo secundo, clypeata seu ovata quaedam imago, apud Callisti hypogea olim existens, Christi faciei lineamenta transmisisset qualia dein a renatae artis pictoribus plus minusve expressa fuere. At praeterquamquod Bosius, e cuius opere notitia illa eruta fuit, verum Callisti coemeterium minime agnovit, cum illud in dextera viae Ardeatinae situm esse putasset; in aetate talis imaginis determinanda certo erratum est. Eiusmodi enim figura non nisi post saeculum tertium depingi potuit, neque unicum Christi barbati exemplum quod saeculo tertio assignari possit, ullam cum praefata figura similitudinem

(1) S. Aug. *De Trinitate*, VIII, 4 (*Oeuvres complètes de Saint Augustin*, Paris, 1871, t. XXVII, p. 348).

habet.[1] Figuris primi alteriusque saeculi exclusis, quippe quae nimis exiguae sint quam ut certa aliqua proferre queant lineamenta, in tabula I. Christi vultus ex antiquis imaginibus fidelissimas habes repetitiones.

Ut Wilpert animadvertit, Christi facies severior esse consuevit, ubi velut iudicis depicta: quod quidem ex tabulis relatis liquido patet.

Balaam Michaeaeque vaticinia. — Quisnam mirandum putet priscos Christianos, cum suam suorumque defunctorum aeternam salutem tanquam summum ac quasi unicum studium continuo in mente haberent, redemptoris Christi, quatenus actibus suis ac meritis caelestis beatitudinis aditum humano generi reseraverit, vitam et cogitatione assidue revolvisse, et in epitaphiis, ut vidimus, commemorasse, et in monumentis repraesentasse? Christum re vera in picturis funerariis a prophetis et a Gabriele angelo praenuntiatum, nascentem, Magis revelatum, docentem, miracula patrantem, animas iudicantem, sanctosque coronantem invenimus.

Ad prophetas quod attinet, duo imprimis qui Messiam Christum testentur, apud hypogea nostra adsunt, Balaam scilicet et Michaeas.

Balaam stellam illam indicans exhibetur quam omnes interpretes pro Christi venturi nuntio acceperunt.[2] Tres illius,

(1) Quae de *Acheropita* seu Salvatoris effigie Romae in aedicula Sancta Sanctorum, asservata perhibentur, nihili omnino sunt facienda, non secus atque ea quae de Virginis Mariae imaginibus a S. Luca evangelista et a Nicodemo depictis dictitantur. Eiusmodi enim picturae iuxta Byzantinum stilum elaboratae sunt, ac proinde nequeunt saeculo primo attribui. Litteras vero P. Lentuli Iudaeae procuratoris ad Senatum Romanum, in quibus Christi vultus, ut fertur, describebatur; necnon epistolam ipsius Salvatoris ad regem Abgar missam una cum Domini effigie, inter apocrypha scripta esse amandandas omnes artis criticae periti uno ore affirmant. — Cf. Wilpert, ap. *L'Arte*, anno X, 1907, fasc. III et IV; Eusebius, *Hist. eccles.* I, 13, *P. G.* XX, col. 120 sq.; Glaber, *De authentia epistolae Publii Lentuli ad senatum romanum de Iesu Christo scriptae*, Jen. 1909; Fabricius, *Codex apocryphus Novi Testamenti.*

(2) *Num.* XXIV, 17.

sed in Ss. Petri et Marcellini dumtaxat coemeterio, cernuntur imagines, primae quarti saeculi parti tribuendae. (1)

Michaeae autem figura repraesentatur, dum Bethleem designat ut locum ubi puer Iesus nasceretur; (2) at non nisi ad secundam saeculi quarti partem pertinet.

Antiquissima autem est Isaiae vaticinii prima repraesentatio, quippe quae, tum propter locum, tum propter picturae pulchritudinem, iure potest initio saeculi secundi attribui; invenitur enim in vetustissima Priscillae coemeterii regione (Tab. 113). Verum, cum praeter prophetam etiam Maria et divinus Infans sint depicti, de hac imagine infra sermo redibit.

Christi nuntiatio. — Ecclesiae primordiis longe aliter quam post apocrypha Evangelia evulgata haec a pictoribus expressa est. Primaevi enim Christiani qui ex Evangelio Lucae (3) mysterii huius collegerant notionem, illam evangelistae narrationi congruenter repraesentarunt. Quae quidem repraesentatio primum in Priscillae coemeterio cernitur atque a Bosio, necnon deinde a Bottari, Garrucci, Liell et denique a Wilpert edita est. (4) Bosio eam interpretari nequivit, sed Bottari de eius vera significatione opinionem quamdam habuit quam ceteri secuti sunt. Wilpert tamen debetur quod tandem eius significatio plane fuerit determinata; nam aliud eiusmodi patefecit et

(1) Wilpert, *Le pitture* etc. text. pp. 148–149, tabb. 158, 159, 165. Istas picturas veluti Moysem legem a Domino recipientem repraesentantes Bosius ac deinde ceteri archaeologi interpretati sunt.

(2) « Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel (Matt. II, 6) » (Wilpert, op. cit. text. p. 185, tab. 229).

(3) « In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus ... Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus » (Luc. I, 26–38).

(4) Bosio, *Roma sott.* p. 541; Aringhi, *Roma subt.* t. II, p. 290; Bottari, *Roma sott.* t. III, p. 142, tav. 176; Garrucci, *Storia* etc. t. II, pp. 81–82. tav. 75 1; Liell, *Mariendarstellungen der Katakomben*, p. 199 sq. tab. II, 1; Wilpert, *Ein Cyklus*, tabb. I–IV et VI, 2.

Tab. 113.
Omnium antiquissima Virginis Mariae imago (saec. ineunte II) in coem. Priscillae.
(Ex WILPERT, *Le pitture*, etc. Tab. 23).

illustravit exemplum, in coemeterio Ss. Petri et Marcellini, ita nempe evidens, propter ceteras adiunctas picturas, ut locus dubio amplius dari nequeat. Sed de hoc etiam inferius. (1)

(1) De hac Priscillana Annuntiationis pictura haec praeclara habet WILPERT: « La scena priscillana merita la nostra speciale attenzione, poichè non è un anello di una catena continuata di pitture cristologiche che in certo qual modo si risolva in esse, ma perchè comparisce isolata e come unica rappresentazione d'un intiero soffitto. Con questo l'artista mostrò quanto gli stesse a cuore la persona della Beata Vergine » (*Pitt.* etc. p. 188).

Tab. 114. Angeli ad Mariam nuntiatio. Pictura saeculi II in coemeterio Priscillae. (Ex Wilpert, *Ein Cyklus*, etc., Tav. VI).

Documenta apocrypha, praesertim illud cui *protoevangelium S. Iacobi* nomen est, bis angelum affirmant Mariae apparuisse, nimirum dum Virgo ad aquam hauriendam egressa erat, et postea dum in propria domo laborabat. Hinc quasi duplex huius repraesentandi mysterii modus, quem aliqua hagiographica vel etiam liturgica scripta interdum commemorant.

Nato Domino, angelus pastoribus, stella vero Magis prodigium nuntiavit. In coemeteriorum autem picturis, semel tantum pastores depicti inveniuntur, haud raro autem Magi. Eorum repraesentatio quae in hypogeo Ss. Petri et Marcel-

cellini extat, vere dici potest Christi nati nuntiatio, nam non quidem ante Virginem Natumque stantes, sed stellam conspicientes exhibentur. Quae quidem stella Christi monogrammatis formam praefert ☧ (Ιησοῦς Χριστός); Magi autem, laetitia velut gestientes, digito monogramma indicant eorumque medius insuper genu flectit; quod illa Pauli revocat in mentem verba: « In nomine Iesus omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum »[1] (Tab. 115).

Christus natus. — Picturae quae Christum natum ostendunt haud paucae sunt, quarum antiquissima Priscillana illa est de qua supra iam verbum fecimus. Maria, sedens, gerit ante pectus Christum infantem ac nudum, qui caput retro vertit. Ei, imberbi et philosophorum pallio induti, viri figura adstat, dextrae digito indicans stellam, sinistra vero volumen tenens. Non immerito egregius Wilpert hunc Isaiam dicit, qui et lucem supra Ierusalem orituram, et virginem quae concipiet et pariet filium cuius nomen erit Emmanuel, vaticinatus est.[2] Verum quaedam mihi hic consideranda occurrunt; nempe cur in picturis ter Magi Iesum adorantes inveniantur simul cum stella, quae tamen amplius non requiritur ad picturae perspicuam significationem. Ceteroquin excludenda est opinio, iuxta quam, propter

(1) *Phil.* II, 10. Cf. Wilpert, op. cit. p. 182.

(2) Wilpert, loc. cit. p. 172 sq.: « Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel (Isaia, VII, 4) ». Praestat hic aliqua Wilpert verba referre: « Per ragione della stella, alcuni hanno voluto vedere, nella figura che accenna, il profeta Balaam, il quale predice il sorgere della stella da Giacobbe (*Num.* XXIV, 17), ma mi pare a torto, poichè se è vero che Isaia non usa la parola " stella ", egli parla tuttavia della pienezza della *luce* sorta alla nascita del Messia, e poi la stella come simbolo di Cristo appare anche negli affreschi dei Magi, che nulla hanno a vedere colla profezia di Balaam. Ma ciò che in questo caso dà il colpo di grazia è la circostanza che il pittore evidentemente ha collocato il rilievo principale verso il gruppo della Madonna col fanciullo, quindi nella effettuazione del vaticinio di Isaia. Non va trascurato che San Giustino Martire (*Apol.* I, 32) confuse la profezia di Balaam con quella di Isaia (XI, 1) al quale le attribuisce ambedue ... Questo errore dimostra come a quel tempo stesse in prima linea la figura d'Isaia » (Wilpert, op. cit. textus, p. 174).

commenticiam quamdam similitudinem inter has repraesentationes et modo relatam (Tab. 113) non quidem Isaias, sed unus Magorum esset in Priscillana repraesentatione delineatus. Etenim nec vestis, nec gestus, cum utrinque minime similes sint, huic interpretationi congruunt. Horum solummodo sententia forsan est perpendenda qui, hic de propheta agi haud

Tab. 115. Magi stellam Christi monogrammate adumbratam indicantes. Pictura saec. III in coemeterio Ss. Petri et Marcellini. (Ex WILPERT, *Ein Cyklus*, Tab. I, 1).

dubie confessi, Michaeam potius quam Isaiam Mariae adstare dicant.

Ad stellam ergo quod attinet, arbitror hanc interdum non dumtaxat ut Magorum itineris ducem proferri; huius mihi scilicet sideris significatio talis videtur quae non solum congruat cum illis quae de Christo luce exposui, [1] verum etiam, ac praesertim, divinitatem innuat Salvatoris. Notum enim est apud Babylonios, Syros, Arabes, ac generatim apud omnes Orientales populos, sidus fuisse summae potentiae, virtutis ac divinitatis signum, adeo ut ἄστρον seu *aster* vocabulum divinitatis

(1) Vol. II pars prima, p. 103 sq. et vol. I pars prior, p. 364 sq.

ipsius nomen aliquatenus evaderet (Istar, Athar, Astarte). Quod Arabes vero, tum qui septentrionales, tum qui meridionales incolebant regiones, matutinam stellam quasi deam adoraverint, omnes fere Patres testantur, atque in vita Sancti Hilarionis, S. Hieronymo adscripta, haec leguntur: « Colunt autem illam (idest Venerem, seu matutinam stellam) ob luciferum cuius cultui Saracenorum natio dedita est ». (1) Significatio haec vel monumentis confirmatur. Tres enim pueri Babylonienses aliquando in anaglyptis ita apparent ut, dum regis statuam adorare

Tab. 116. SEVERA IN DEO VIVAS (saec. IV).

abnuant, stellam indicent, quae non nisi de Deo vero, proindeque solo adorando, ibi intelligi potest.

In coemeterio Domitillae aliud exemplum est prophetae qui, Mariae adstans, stellam indicat; at cum secundae tertii saeculi partis haec sit effigies, Infans vestitus cernitur; (2) quod proprium huius ac sequentis temporis est.

Notandum praeterea hic duplex in eadem compositione factum repraesentari: scilicet prophetae nuntiatio et ortus Christi simul proponuntur, quasi eiusdem temporis essent ambo. Hoc quidem et in aliis picturis videre est, nec non in anaglyptis ac in titulo tabula 116 repraesentato.

Semel tantum praesepe in coemeterialibus cernitur picturis, nempe in S. Sebastiani catacumba; sed haec repraesentatio ut

(1) Cf. LAGRANGE, *Les religions sémitiques*, pp. 123–133; *Revue biblique*, 1908, avril, pp. 227–240; CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE, *Manuel d'histoire des religions*, p. 145 sq.

(2) Cf. WILPERT, loc. cit. p. 175, tab. 83, 1.

deperdita habenda est, nam cum imprudenter a viro imperito lota fuerit, colores prorsus evanuere (Tab. 117). Christi caput nimbo cinctum satis picturae huius aetatem prodit; sed serioris aetatis quoque indicium est quod ibi bos et asinus sint depicti. Haud dubie id Pseudomatthaei evangelium sapit, in quo Maria, tertio post Domini ortum die, e specu ubi pepererat exiisse dicitur, ac in quodam stabulo inter bovem asinumque Christum infantem reposuisse; idque ut Isaiae compleretur prophetia: « Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui ». Animalia enim, iuxta idem apocryphum, reverenter et assidue Iesum adorarunt, necnon ibi Ioseph ac Maria tres morati sunt dies. (1)

Tab. 117. Praesepe. Pictura saec. IV, in coem. S. Sebastiani. (Ex *Bull. di arch. christ.* 1877, Tab. II).

Licet fides valde exigua eiusmodi commenticiis scriptis sit adhibenda; nihilominus mentio de duobus animalibus non prorsus videtur spernenda. Nam quamdam Habacuc prophetiam ad illud alludere quidam putant, scilicet: « In medio duorum animalium innotesceris »; (2) ac Natalis Domini liturgia idem redolet; Christianus vero poeta Prudentius, saeculo exeunte quarto, ita cecinit:

> Aeterne rex, cunabula,
> Populis per saeclum sacra
> Multis et ipsis credita,
> Adorat haec brutum pecus. (3)

(1) BRUNET, *Les Evangiles apocryphes*, Paris, 1848, p. 201.

(2) III, 2. Verum haec verba tantummodo in Septuaginta versione leguntur, in textu vero Hebraico et in lectione Vulgata omnino desiderantur.

(3) PRUDENTIUS, *Cathemerimon*, XI, 78, *P. L.* t. LIX, col. 896.

Antiquissimam autem huiusce rei repraesentationem sarchophagi quoddam fragmentum praebet, cuius inscriptio, consulum nota anni 343 est consignata (Tab. 118); antiquius tamen anaglyptum tabula 119 exhibitum libenter propter perfectiorem artem dixerim, nisi anno 1632 editum fuisset. Utrum vero ante an post hanc aetatem praefatum apocryphum scriptum redactum fuerit non parum inter eruditos disputatur.

Tab. 118. Anaglyptum anni 343. (Ex De Rossi, *Inscript.* Vol. I, p. 51, n. 73).

Christi adoratio. — Semel tantum una cum Magis, pastores apparent, idque in coemeterio Ss. Petri et Marcellini; pictura vero ad primam saeculi quarti partem pertinet. Dum autem pastores Iudaicae plebis tamquam primitiae ad

Tab. 119. Anaglyptum saeculi IV (Ex Bosio, *Roma sott.* p. 387).

praesepe adstiterant, Magorum adventu primum fuit a gentibus exteris exhibitum Christo obsequium: «Et intrantes domum, narrat evangelista Mattheus, invenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum». Et quidem ut

Christum dominum ac Deum profiterentur et adorarent Bethleem venerunt Magi, quod alioquin donorum innuit genus: « Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham ».(1) Patres nempe de hac munerum significatione fuse disserunt, ut S. Irenaeus(2) aliique secundi ac sequentium saeculorum scriptores, quorum doctrinam sic belle expressit Prudentius:

Regem Deumque annuntiat
Thesaurus et fragrans odor,
Thuris Sabaei: ac myrrheus
Pulvis sepulchrum praedocet.(3)

Itaque etiam de Magorum adoratione aiebat:

Quae porro causa, aut ratio submittere colla
Ante pedes Mariae puerique crepundia parvi,
Si tantum mortalis erat nec summa potestas
Implebat teneros divinis flatibus artus?(4)

Tredecim adhuc extant huius mysterii repraesentationes in coemeterialibus picturis, quarum antiquissima in Priscillae coemeterio cernitur, estque initii secundi saeculi. Ipsa vero, ut clarissimus notat Wilpert, ab omnibus aliis eo differt, quod Maria in subsellio sedeat, nempe in sedili sine dorso, et Magi dona nudis manibus porrigant; in ceteris quippe Maria in cathedra sedet, ac dona super discis offeruntur a Magis. Item, Virgo in antiquioribus picturis tunica discincta vestita est; post autem saeculum quartum, dalmatica largis manicis praedita conspicitur induta. Denique Magi semper ut Orientales viri repraesentantur, bracis videlicet, ac pileo Phrygio muniti; necnon plerumque, iuxta antiquissimam traditionem, tres sunt numero. Quod si duo tantum vel quattuor Magi inveniantur aliquando, spatii vel, ut dicunt, symmetriae ratione hoc fit (Tab. 121). Ut autem id omnibus sit persuasum animadver-

(1) MATTH. II, 11.
(2) IREN. *Contra haeres.* 3, 9, 2, *P. G.* VII, 870.
(3) PRUDENTIUS, *Cathemerimon*, 12, 15, *P. L.* LIX, 905.
(4) PRUDENTIUS, *Apoth.* 642 sq. *P. L.* LIX, 975.

Tab. 120. Epiphania. Pictura saeculi III in coemeterio Priscillae.
(Ex Wilpert, *Fractio panis*, Tab. VII).

tere sufficit semper in anaglyptis hucusque inventis, in quibus Magorum apparet adoratio (sunt autem circiter septuaginta), tres Magos nec minus nec amplius esse repraesentatos. In

Tab. 121. Epiphania. Pictura saeculi III in coemeterio Ss. Petri et Marcellini.
(Ex Wilpert, *Ein Cyklus*, Tab. V, 1).

picturis vero, praeter hanc quam attulimus symmetriae rationem, eorum in quibus duo aut quattuor Magi cernuntur

exemplorum paucitas tunc exceptionem novitatemque adesse quamdam sat ostendit, quin vere dubium de numero Magorum ternario ingerat.

MARIA ET CHRISTUS PUER. — Praeter illam picturam in qua Mariae propheta Isaias adstat, bis insuper Virgo Mater cum Christo puero sine Magis cernitur, et hae quidem picturae dignae sunt quae breviter hic illustrentur. Earum prior, quae in Priscillano inventa est hypogeo, Mariam cum divino infante

Tab. 122. Virgo velum ab episcopo accipiens. Maria cum divino Infante. Pictura saeculi III in coemeterio Priscillae.
(Ex WILPERT, *Die Katakombengemälde und ihre alten Copien*, Tav. IX).

repraesentat quasi puellae cuidam cui velum ab episcopo imponendum est adsistentem. Episcopus puellam alloqui videtur, Mariam visu gestuque indicans, quasi dicat: *Hanc imitare, filia.* (1) Virgo autem Maria in opposita picturae parte sedens apparet, Christum infantem nudumque ante pectus gerens, eodem prorsus modo atque in Isaiae pictura (Tab. 113). In medio figura defunctae puellae repetita est, veluti totius compositionis centrum, statura quidem pergrandis ob errorem quem *prospe-*

(1) S. AMBROSIUS, *De instit. virg.* 14, *P. L.* XVI, 326. Cf. WILPERT, *Pitture*, p. 190 sq. ac praesertim *Gottgeweihte Jungfrauen*, ubi egregius auctor virginum institutum monumentis Patrumque documentis mirum in modum illustrat, et antiquissimum illud esse demonstrat.

ctus dicunt, in eadem ac ceterae figurae quasi fronte et linea, dum contra multo amplius ab illa discedentes, sive in altiori linea effingi debuissent. Ceterum est haec una ex pulcherrimis catacumbarum figuris, ad secundam saeculi tertii partem pertinens.

De velo aliquid notandum venit. Iam ab apostolicis temporibus, qui castitatem servaverint utriusque extitere sexus, idque abunde in praecedenti ostendimus libro.[1] Quod autem virgines velatae esse deberent, non minus evidenter e saeculi secundi monumentis colligitur; verum hunc antiquissimum usum fuisse luculenter Tertullianus testatur in suo *De velandis virginibus* opere. Virgines enim, voto propalam emisso, veli impositione consecrabantur; atque ita mos eiusmodi sacer habebatur, ut Tertullianus velum *dicatum Deo habitum* vocaret, atque contra quemdam episcopum, qui in Africae aliqua regione usum virgines velandi aboleverat his inveheretur verbis: « O sacrilegae manus quae dicatum Deo habitum detrahere potuerunt! Quid peius aliquis peccator fecisset, si hoc a virgine electum cognovisset? Denudasti puellam a capite, et tota iam virgo sibi non est: alia est facta. Exurge igitur, veritas, exurge, et quasi de patientia erumpe: nullam volo consuetudinem defendas,... Te esse demonstra qui virgines tegis ».[2]

Altera cum Infante divino Deiparae imago in coemeterio quod veteris martyrologii conscriptor Maius dicit et plerique nunc vel Ostrianum vel S. Agnetis coemeterii regionem vocant, apud quoddam nempe arcosolium conspicitur (Tab. 123), quae tamen pictura non ab omnibus ut talis habetur. Namque quod matrem defunctam pro filio suo orantem potius quam beatam Virginem exhibeat, primum suspicatus est Bottari; alii vero auctores, vel inter recentiores, illud pro certo habuere. Nihilominus, haud obliviscendum est hinc illincque, ad utrumque videlicet figurae latus duo adesse Christi monogrammata, quae in non paucis imaginibus ipsius personam Christi quasi designant.

(1) Vol. II, pars prima, p. 213 sq.
(2) TERTULL. *De vel. virg.* 3, *P. L.* II, 892.

Praeterea, uti recte Wilpert animadvertit, ubi in aliquo arcosolio clypeata (id est in ovato depicta spatio, seu hermulae instar dimidia) Christi adest figura, numquam alia eiusdem integra, sive pueri, sive miracula patrantis aut apostolos docentis, imago deest; idque novies cernitur. Atqui, apud arcosolium de quo nunc agitur, proprie in arcuata fornice (italice *sottarco*), clypeatam, seu dimidiam, videre est Salvatoris effigiem; ergo et alia Christi figura ibidem inveniatur necesse

Tab. 123. Maria et Christus puer. Pictura saeculi IV in coemeterio S. Agnetis. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

est; quae quidem alia esse nequit nisi ea quam illustrandam suscepimus.[1] Hinc etiam patet cur puer non orantis habitu adumbratus sit.

In primaevis igitur monumentis Maria numquam sola apparet, sed veluti Salvatoris Mater et quasi ipsum adorandum proponens. Non absimili modo Abercianum carmen de Maria loquitur, hoc tamen discrimine, quod in eo Virgo Deipara Chri-

(1) Haec sane conclusio egregio Wilpert debetur, qui tamen non ita olim arbitrabatur (*Ein Cykus*, p. 48). Pertinaciter autem contrarium tenuit Schultz, qui, dum Romanos archaeologos dixerit ita apologetica praeoccupatos cogitatione, ut plures aliquando significationes in eadem ac simplicissima cernerent figura; ipse in hac una imagine orantis conspicere haud dubitavit protectionis, benedictionis et commendationis actus cuiusdam mulieris pro filio suo! (*Studien über altchristliche Monumente*, p. 186).

stum sub piscis speciem porrigit edendum: « Fides ubique mihi dux fuit praebuitque ubique cibum IXΘYN e fonte, ingentem, purum, quem prehendit virgo immaculata deditque amicis perpetuo edendum ». Eamdem hanc cogitationem trecentis post annis S. Maximus Taurinensis aliquatenus significavit: « Quin potius ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis et virgo; quae, velut caelitus veniens, cunctis ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluit, quem qui edere et manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: *Nisi quis manducaverit meam carnem, et biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso* ». (1)

Antequam ad ceteras Christi repraesentationes transeamus, haud inutile videtur huc egregii Wilpert aliqua verba referre, quae nobis quid sit ex recensitis picturis concludendum commonstrant: « Quamplurimas picturas examinavimus, Beatam Virginem cum Dei Filio repraesentantes, quae ab ineunte saeculo secundo ad quartum usque egrediens temporis spatium complectuntur. Christus in ipsis princeps figura est etiam si, uti plerumque, in Matris gremio apparet; *Eum* Magorum spectat adoratio, *Eum* Isaias vaticiinis suis magnificat; Ipse est stella quam Balaam vaticinatus est, ac propter *Eum* Michaea ad Bethleem gratulans adclamat. Ceterum negari nequit Mariam quoque locum occupare eminentem, idque potissimum in tabulis 22; 83, 1; 81, 207 sq. ».

« Ibi enim Maria, uti Virgo Deipara, virginum Deo consecratarum exemplum eorumque quos defuncti superstites reliquerunt advocata proponitur. Istae igitur quattuor imagines magna produnt privilegia quibus Deus providus Deiparam insignem reddidit: praeterea, quod in nullo persecutionum temporis documento scripto reperiri fas est, paucis quidem at praestantibus lineis, quemnam in primaeva Ecclesia locum Maria teneret, perspicue picturae illae commonstrant, eamque ne haud aliam fuisse innuunt quam postea fuit ». (2)

(1) S. Maxim. Taur. *Homil.* XLV, *P. L.* LVII, 330.
(2) Wilpert, *Pitt.* textus, pp. 196–197.

IESU BAPTISMA. — Quater, in picturis coemeterialibus, Christi baptisma nunc cernitur, sed alia saltem pictura eiusmodi in Priscillae coemeterio olim exstitit. Omnium antiquissima ea est, quam in crypta Lucinae (coem. Callisti) I. B. De Rossi primus invenit, et a ceteris eo discriminatur, quod

Tab. 124. Salvatoris baptismatis omnium antiquissima imago. Pictura prioris saeculi II partis in coemeterio Callisti. (Ex WILPERT, *Le pitture*, etc., Tab. 124).

fideliter iuxta Matthaei et Marci evangelia Domini baptisma repraesentat: « Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei caeli, et vidit Spiritum Dei descendentem ut columbam, et venientem super se ».[1] Iesus, scilicet, iam baptizatus, exit de flumine manum Ioannis sibi porrectam arripiens; et columba ex alto versus eum volat

(1) MATTH. III, 16. Cf. MARC. I, 9-11.

(Tab. 124). Discrimen quoque est in Christi aetate, nam praefata pictura Christum, ut par est, adultum exhibet, neque minus quam ipsum Baptistam; in ceteris vero non ita. (1)

Secunda eiusmodi figura in cubiculo coemeterii Callisti reperitur ac secundam saeculi secundi respicit partem. Mutatio

Tab. 125. Salvatoris baptisma. Pictura saeculi vertentis II in coemeterio S. Callisti.

quae hic notatur, Christi nempe ut pueri effigies, ad saeculum usque sextum constans erit. Evangelia non satis perspicue

(1) Sunt qui quod Christus manus Ioannis auxilio de aqua exeat, hoc alludere dicant ad Psalmistae verba: « Misit de summo et accepit me, et assumpsit me de aquis multis ... et dextera tua suscepit me ... Emitte manum de coelo; eripe me et libera me de aquis multis » (ps. CXLIII) Cf. D. CABROL, *Dictionn. d'arch.* etc. art. *Baptême de Jésus*, col. 350. Huius picturae significationem I. B. De Rossi primus interpretatus est, quem non omnes secuti sunt, propterea quod columbam ramum rostro ferentem putaverint. Sic Garrucci, allegorice haec explicans, fidelem esse dicit qui ab aquis tribulationis salvetur (*Storia*, I, p. 203); Martigny ibi Petrum esse putavit ambulantem super aquas; Schultz arbitratus quidem est de baptismo agi, non autem Christi, sed cubiculi huiusce possessoris (*Die Katakomben*, p. 313) et aliter alii.

Christi natalem indicant annum, unde diversae chronologorum doctorumque sententiae, quae inter annum 27 ac 35 post aerae vulgaris initium Salvatorem fuisse crucifixum docent.[1] Verum, cum Lucas Christi ortum respondentem faciat Quirini recensioni, quae anno trigesimo septimo aerae Actii, iuxta Iosephum, acta esset,[2] nonnulli Christum decimum septimum circiter annum agentem baptizatum fuisse excogitaverunt, et ea ratione explicare voluerunt cur in praefatis picturis Christus infans appareat. Chronologicam hanc et perdifficilem quaestionem nostrum profecto non est hic evolvere; satis nobis sit animadvertere, tali modo minime parvam figurae Christi staturam, comprobari et insuper aliam difficultatem exoriri; nam et Ioannes eiusdem atque Iesus staturae esse deberet, cum sex tantum mensibus Domino fuerit maior. Ecce quidem quomodo a C. Torr solvitur obiectio: Sex mensium discrimen inter Ioannis et Christi ortum ita accipiendum est, ait, ut decurrere supponatur non ab ortu Ioannis, sed ab illius in Israelis communitatem admissione usque ad ortum Iesu, quae nempe admissio duodecimum aetatis annum requirebat.[3] Sed haec interpretatio Evangelii veritati plane adversatur; nam Gabriel angelus, Mariae virgini Verbi incarnationem nuntians, de Ioannis matre, tunc praegnante, ait: « Elisabeth... concepit filium in senectute sua et *hic* mensis sextus est illi quae vocatur sterilis »;[4] nec praetermittendum est quomodo, Virgine ipsa, paulo post, ad cognatam accedente, Ioannis in utero matris suae exsultasse narretur.[5] Denique, statim post narratum Christi baptisma, Lucas haec subiungit: « Iesus autem erat incipiens quasi annorum triginta... ».[6] Qua autem audacia illud verbum *quasi*

(1) Cf. Cornelius a Lapide, *Comm. in Lucam*, c. II, 1.

(2) Flav. Iosephus, *Ant. Iud.* libb. XVII, XIII; XVIII, 1.

(3) C. Torr, *Jésus et saint Jean dans l'art et suivant la chronologie* ap. *Revue arch.* 1902, pp. 14–17. Cf. D. Cabrol, *Dictionn.* vol. II, coll. 354, 355, 356.

(4) Luc. I, 36.

(5) Luc. I, 44.

(6) Luc. III, 23: Καὶ αὐτὸς ἦν Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ..

(ὡσεὶ), id est circiter, de duodecim aut tredecim annorum differentia intelligi posset? Quod si igitur in picturis saepe parva Christus repraesentetur statura, id e liturgico potius repetendum est more, quo recens baptizati, ut renati, infantes pueri habebantur (1) ac baptisma Christi catechumenorum baptismatis velut archetypum exhibebatur.

Utcumque res se habeat, imago quam modo recensuimus pretiosa admodum est, nam modum nobis ostendit quo sacramentum hoc administrabatur, et evidenter probat, non so-



Tab. 126. Salvatoris baptisma.
Pictura saeculi III in coemeterio Ss. Petri et Marcellini.

lum immersionem sed etiam aspersionem et infusionem adhibitas fuisse. Tabula nostra (125) columbam satis perspicue commonstrat, sed non ita clare in archetypo cernitur, neque I. B. De Rossi tempore cernebatur: unde per aliquot annos haec pictura veluti catechumeni baptisma repraesentans habita est, licet ex eo quod minister nudus, ac solummodo brevi panno, seu perizomate, circa pudenda coopertus esset, haud parum oriretur difficultatis. Sed lynceus Wilperti oculus columbam discrevit, quod controversiam prorsus diremit.

Tertia baptismatis Domini figura in coemeterio Ss. Petri et Marcellini reperitur ac ad tertium pertinet saeculum. Quae quidem aliquid proprium habet, nempe quod Spiritus Sanctus

(1) Cf. vol. II, pars prima, p. 159.

in Iesum orantem descendat, iuxta haec evangelii verba: « Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Iesu baptizato, et orante, apertum est caelum: descendit Spiritus Sanctus, corporali specie sicut columba in ipsum ... ».[1] Praeterea hic primum columba cum alis ordinatim expansis et capite deorsum inclinato delineata cernitur, quod nonnisi serius iterum in monumentis apparebit (Tab. 126).

Quarta denique huiuscemodi repraesentatio in Domitillae extat coemeterio, sed pro Abraham sacrificio a plerisque accepta fuerat. Wilpert autem, postquam eam lavit, facile Christi recognovit baptisma.[2]

PICTURARUM IN HOC RECENSITARUM ARTICULO COMPROBATA SIGNIFICATIO. — Quod supra affirmavimus de recensitis scilicet picturis, quatenus priscorum Christianorum fidei sint testimonia aliqua nunc animadversione confirmandum est. Fuerunt quippe auctores qui Wilpert, eo quod id docuerit, praeter modum picturarum coemeterialium momentum auxisse dixerint. Verum enimvero, ipsis fatentibus, immo propalam profitentibus auctoribus supradictis, e sepulcrali supellectile, e picturis et anaglyptis funerariis, certas de cuiuslibet antiqui populi - ergo et Christianorum - relligione notiones merito erui possunt; sed, nisi insulse omnino ac ludendi caussa egisse dicantur, existimandum est Christianos illos, qui prophetarum vaticinia, Christi ortum vel baptisma, etc., apud parentum cognatorumque suorum sepulcra depingi curaverunt, aliquid de fidei suae dogmatibus seu argumentis exprimi voluisse.

Sic hodiedum, si quis in proprio sepulcro Deiparam, exempli gratia, pingi iusserit cum Iesu infante, nonne eum aut fidem in hoc habere mysterium, aut saltem talem velle ostentare fidem putemus? Ceteroquin, ubi plures eodem in loco sunt repraesentationes, curnam non suspicemur nexum inter eas intercedere simulque unicam aliquando compositionem eis constitui? Huiuscemodi colligationes vel imperitiores nostrae tempestatis

(1) LUC. III, 21–22.
(2) WILPERT, *Le pitt.* textus, p. 239, tab. 240.

artifices haud raro quaerunt, idemque omni aetate factum est. Recensitae vero picturae iam nobis modum porrigunt quo cuiusdam figurarum seriei indoles in coemeterio Ss. Petri et Marcellini determinari queat.[1] En earum picturarum schema tabulae 127 respondens:



Porro nemo dixerit haec casu fuisse ita depicta; nam artificem, aut qui ei praefuit, Iesu primordia voluisse ibi adumbrare haud est dubium. Etenim, statim in limine mysterium annuntiationis et incarnationis apparet, cui ex altera parte respondet Salvatoris memoria per stellam sub forma monogrammatis repraesentata. Deus nempe incarnatus lux est mundi;[2] unde Magi, quibus prius se revelat, postea eum natum humana sub forma adorant, eique munera offerunt: et hoc quidem primum est a principibus terrae Dei Filio tributum obsequium. Pater autem aeternus solemniter in baptismate Filium suum Christum declarat, quod in quarta laquearis parte perspicitur. Haec inquam, ex industria ita fuisse disposita nemo, serii animi compos, infitiabitur, nimis enim congrua sunt iis quae in epitaphiis invenimus, de fide videlicet in Christum. Christus hic

(1) Wilpert, *Ein Cyclus Christologischer Gemälde*, Freiburg im Breisgau, 1891.

(2) Ioann. VIII, 12; IX, 5; XII, 46.



Tab. 127. (Ex Wilpert, *Ein Cyclus*, Tab. I, n. 1).

verus Messias ac Dei nec non Mariae Virginis Filius, scilicet Homo-Deus, vel Deus-Homo picturis declaratur; et quia ipse, ut suam probaret divinitatem veramque a Patre sibi creditam declararet legationem, miraculorum signis est usus, hic in parietibus eiusdem cubiculi quattuor Christi cernuntur miracula, quae divinam eius significent missionem. Sed de hoc in sequenti proprioque articulo tractandum.

ART. II. — **Christus miraculorum patrator.**

Antequam singulae miraculorum repraesentationes recenseantur, duo hic statim notanda veniunt, nempe: 1, epitaphia fidem in Christum prodere veluti rationem aeternae obtinendae beatitudinis; 2, Christum ab iis quibus largiturus esset sanitatem, vel a quibus ut infirmos sanaret efflagitatus esset, fidem in semetipsum semper exegisse, sicque divinitatem suam, ut modo dictum est, per miracula revelasse.

Ad primum quod attinet iam a nobis probe cognoscuntur epitaphia plurima illud prae se ferentia, quorum aliqua magis explicita huc iterum adducere placet:

— *Iu*CVNDIANVS ... *credidit in* CHRISTVM IESV*m, vivit* (?) *in Patr*E ET FILIO ET ISP*iritu sancto* (Coem. Domitillae).(1)

— *in Ch*RISTVM CREDENS PR*a*EMIA LVCIS *h*ABET (2)

— (Χρ)ΙCTINA Η ΕΝ ΘΕΩ ΚΑΙ ΧΡΙCΤΩ ΠΙCΤΕΥCACA ... πρΟC ΤΟΙC ΑΝΓΕΛΟΙC = Christina cum in Deo Christoque credidisset (recepta est) ad angelos (Coem. Callisti).(3)

Quibus prorsus concinunt quae in antiqua Romana liturgia legimus, ubi de corporis depositione agitur; oratio videlicet pro deposito defuncto ita concluditur: « Proficiat (ei) in aeternum quod speravit et credidit »;(4) et in *Ordine commendationis animae*: legimus « Laetifica, Domine, animam eius in conspectu

(1) DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* 1881, p. 66.
(2) DE ROSSI, *Inscr. Christ.* t. I, p. 180, n. 412.
(3) Cf. vol. II pars prima, p. 76, tab. 33.
(4) MURATORI, *Liturgia romana vetus*, p. 751.

tuo, et ne memineris iniquitatum eius antiquarum... Licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum non negavit, et zelum Dei in se habuit, et Deum qui fecit omnia fideliter adoravit ».[1] Aliquatenus vero in proprio epitaphio eamdem Damasus expressit:

QVI GRADIENS PELAGI FLVCTVS COMPRESSIT AMAROS
VIVERE QVI PRAESTAT MORIENTIA SEMINA TERRAE
SOLVERE QVI POTVIT LETALIA VINCVLA MORTIS
POST TENEBRAS FRATREM POST TERTIA LVMINA SOLIS
AD SVPEROS ITERVM MARTHAE DONARE SORORI
POST CINERES DAMASVM FACIET QVIA SVRGERE CREDO[2]

Quod autem Christus fidem ab iis quos curasset, aut a quibus de sanationis gratia esset efflagitatus exegerit, id ex pluribus Evangelii locis eruitur. Sic, antequam Lazarum resuscitaret, hanc a defuncti sorore Martha confessionem voluit audire: « Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti »;[3] necnon paralytico peccata remisit eumque postea curavit, quia viderat *fidem illorum* qui sibi infirmum attulerant.[4] Mulieri vero, fluxu sanguinis laboranti, postquam sanitatem erat largitus, dixit: « Filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace, et esto sana a plaga tua »; deinde archisynagogo mortuam filiam suam esse nuntianti: « Noli timere, ait, tantummodo crede »;[5] sicque de aliis.

(1) Formula: *Patrem ... non negavit* persecutionum tempora videtur respicere.

(2) Maximilianus Ihm, *Carmina Damasiana*, p. 13, n. 9.

(3) Praestat largius huc locum adducere: « Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed et nunc scio, quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dixit ei Iesus: *Ego sum resurrectio, et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc?* Ait illi: *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi ...* » (Ioan. XI, 21–27).

(4) Matth. IX, 2–8; Luc. V, 19 sq.

(5) Marc. V, 34–37; Luc. XVIII, 42 sq.

Quidnam vero sit de Christi miraculis in coemeteriis depictis sub hac ratione cogitandum, Damasi supra relato epigrammate clare indicatur. Christi scilicet adducuntur miracula ut Messias atque aeterni Patris Filius demonstretur; Christiani autem in Christum Deum credentes aeterna beatitudine se fruituros ac resurrecturos sperant; nam, ut in Constitutionibus Apostolicis legimus, ille *qui Lazarum quarto post die suscitavit... qui Ionam tribus post diebus e ventre marini monstri vivum illaesumque traxit, tresque pueros e fornace Babyloniae, et e leonum faucibus Danielem (liberavit) potens erit facere ut defuncti reviviscant*».[1] Idem etiam habet *Officium pro defunctis*, in quo pluries Lazarus commemoratur, ut, exempli gratia, in primo nocturno: «Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiae».

Iam vero, quis non videt ista omnia prorsus sibi consonare naturamque coemeterialium picturarum quae Christi miracula producant perspicue nobis manifestare? Nonne Damasus idem atque epigrammate expressit, imaginibus depictis significare potuisset? Saepissime enim eadem in sepulcris depicta deprehenduntur, quae in praefata Constitutionum Apostolicarum prece invenimus! Immo nil communius in sepulcris, iam inde a saeculo secundo, quam cyclus quattuor illorum prodigiorum, *Lazari*, *Ionae*, *trium puerorum* et *Danielis*. Sed praeterea, ut egregius Wilpert aliique magni nominis archaeologi animadverterunt,[2] id quod Damasus et Constitutiones Apostolicae, in textibus relatis aliisque quos brevitatis studio omisi, enuntiant, iam veluti receptum superioribus habebatur temporibus. Et re quidem vera, in opere *De resurrectione mortuorum*, Cypriano tributa, haec leguntur:

(1) Ὁ καὶ Λάζαρον ἀναστήσας τετραήμερον ... ὁ τὸν Ἰωνᾶν διὰ τριῶν ἡμερῶν ζῶντα καὶ ἀπαθῆ ἐξαγάγων ἐκ τῆς κοιλίας τοῦ κήτους, καὶ τοὺς τρεῖς παῖδας ἐκ καμίνου Βαβυλονίας, καὶ τὸν Δανιὴλ ἐκ στόματος λεόντων οὐκ ἀπορήσει δυνάμεως καὶ ἀνεγεῖραι (*Const. Apost.* V, 10, ap. PITRA, *Iur. Eccl. Graec.* t. I, pp. 169, 270).

(2) WILPERT, *Le Pitture delle cat. rom.* p. 198. Cf. SCHULTZ, *Studien*, p. 15 sq.

Cuncti Dominum cognoscite verum,
Qui solus animam faciet contendere lucem,
Eamdemque potest in tartara trudere poenae,
Et cui cuncta patet vitae mortisque potestas. (1)

Irenaeus autem ita loquitur: « Qui igitur curationem confert, hic et vitam; et qui vitam, hic et incorruptela circumdat plasma suum ». (2) Sed ante illum et Iustinus: « ... Christus, qui et in vestra gente apparuit, ac homines ab ipso ortu et secundum carnem caecos et surdos et claudos sanavit, verbo suo efficiens, ut alius quidem exsiliret, alius audiret, alius videret. Quinetiam mortuos exsuscitans et vitae restituens, etiam ex operibus homines illius aetatis excitabat, ut cum haec etiam fieri viderent, magicas esse praestigias dicebant; eum enim magum et populi deceptorem dicere audebant. Haec autem ipse eo quoque consilio faciebat, ut et crediturus sibi hominibus persuaderet, etiamsi quis aliquo corporis vitio laboret, modo tradita a se praecepta custodiat, integrum illum a se, in secundo suo adventu, ac praeterea immortalem, et corruptionis et doloris expertem excitatum iri ». (3)

Hisce praeiactis, ad singula miracula proponenda veniamus, quae in tres possunt classes distingui, nempe: morborum infirmitatumve sanationes, panum multiplicationes, mutationem aquae in vinum, denique mortuorum resurrectiones. His omnibus Veteris Testamenti prodigia atque exempla permista sunt, non secus atque in precibus liturgicis et in ceteris documentis

(1) Inter opp. S. Cypr. 372 sqq. ed. Hartel, 324.

(2) IREN. *Contra haeres.* V, XII, 6, *P. G.* VII, 1156. Idem prorsus sed fusius in capite XIII significat.

(3) ... Χριστός, ὅς καὶ ἐν τῷ γένει ὑμῶν πέφανται παὶ τοὺς ἐκ γενετῆς καὶ κατὰ τὴν σάρκα πηροὺς καὶ κωφοὺς καὶ χωλοὺς ἰάσατο, τὸν μὲν ἄλλεσθαι, τὸν δὲ καὶ ὁρᾶν τῷ λόγῳ αὐτοῦ ποιήσας καὶ νεκροὺς δὲ ἀναστήσας καὶ ζῆν ποιήσας ... αὐτὸς δὲ καὶ ταῦτα ἐποίει, πείθων καὶ τοὺς ἐπ' αὐτὸν πιστεύειν μέλλοντας, ὅτι κ' ἄν τις, ἐν λώβῃ τινὶ σώματος ὑπάρχων, φύλαξ τῶν παραδεδομένων ὑπ' αὐτοῦ διδαγμάτων ὑπάρξῃ, ὁλόκληρον αὐτὸν ἐν τῇ δευτέρᾳ αὐτοῦ παρουσίᾳ μετὰ τοῦ καὶ ἀθάνατον καὶ ἄφθαρτον καὶ ἀλύπητον ποιῆσαι ἀναστήσει (IUST. *Dial. cum Tryph.* c. 69, *P. G.* VI, col. 658 sq.).

litterariis et epigraphicis plerumque inveniuntur; sed haec omnia non unius capitis materiam suppeditabunt.

Paralytici sanatio.[1] — Paralytici sanatio, fidem in Iesu Christi divinitatem quidem significavit, a saeculo solummodo tertio; nam illud ante tempus, sive ob populi opinionem, sive ob locum in quo paralyticus depictus cernitur, aliam habuisse significationem videtur, de qua infra erit sermo, quando baptismi symbola expendentur. Cum autem sola paralytici sanati figura grabatum ferentis satis clare miraculum exprimeret, bis ipsius tantum Christi figura apparet, et quidem in picturis ubi duas personas symmetriae lex exigebat; nempe quia huic sanati paralytici imagini erat ex adverso opposita vel Christi cum Samaritana muliere figura, vel caeci curatio quae prorsus sine Christi praesentia minime fuisset intellecta. Paralytici autem sanatio quindecies invenitur inter coemeteriales Romae picturas a tertio ad quintum usque saeculum. Semel olim et in Gallia notata est; attamen haec ultima effigies amplius non extat.[2]

Mulieris Samaritanae conversio. — Haec repraesentatio, non secus atque paralytici figura, duplici potest modo intelligi, atque hic eam consideramus quatenus in Messiam promissum fidem significet. Christus se Samaritanae revelavit ut Messiam,[3] unde « plures crediderunt in eum propter sermonem eius, et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et scimus quia est vere Salvator mundi ».[4]

Hoc quidem sensu bis illa conversio repraesentata est, nempe in quodam coemeterii Praetextati hypogeo quod Passionis cryptam vocant, prima saeculi secundi parte; atque in coemeterio Ss. Petri et Marcellini, medio saeculo tertio. Prior quidem

(1) Cf. Wilpert, *Pitt.* textus, p. 201.

(2) Le Blant, *Inscr. chrét. de la Gaule*, p. 449.

(3) « Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus), cum ergo venerit ille nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum. Et continuo ... » (Ioan. IV, 25-26).

(4) Ioan. IV, 41 et 42.

harum repraesentationum una est ex pulcherrimis catacumbarum picturis, sive propter stilum pictorisque praestantiam, sive propter colorum nitorem. In posteriore mirum in modum compositio textui evangelico consonat; pictura vero temporis iniuria vix cerni hodie potest.

CAECI CURATIO. — Sanatio caeci nonnisi in Romanis catacumbis apparet, et quidem raro in picturis, cum ex adverso fere nunquam deest in sarcophagorum anaglyptis. Sex tantum eius representationes ad nos usque pervenerunt, sed est memoria de septima quadam eiusmodi figura nunc prorsus destructa. Omnium antiquissima ad priorem saeculi tertii partem pertinet, sed, ut Wilpert merito suspicatur, aliae antiquiores extiterunt. (1)

Generalis sententia est, de caeci nati curatione, quae pulchre a Ioanne narratur (2) in picturis agi; sed Wilpert animadvertit, una tantum figurarum hanc corroborari sententiam; reliquas vero etiam ceteris caecorum in Evangelio relatis convenire curationibus. (3) Duae antiquiores repraesentationes Christum produnt dum oculos caeci digito linit; in aliis miraculum iam patratum apparet, et Christus manum capiti sanati imponere cernitur; qui gestus gratiam indicat concessam.

CURATIO MULIERIS FLUXU SANGUINIS LABORANTIS. — Etiam haec repraesentatio perrara est, licet iam prima saeculi secundi parte efficta sit in coemeterio Praetextati; et haec quidem antiqua imago fideliter textum sacrum reddit, quatenus Christum duo apostoli comitantur. (4) Alibi vero mulier infirma semper ante Iesum genu flectit, Salvator autem loqui videtur. Quattuor

(1) WILPERT, *Pitture*, textus, p. 203, § 67.

(2) IOANN. IX, 1–38.

(3) WILPERT, *Pitture*, textus, p. 203, § 67.

(4) « Et ecce mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero. At Iesus conversus, et videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora » (MATTH. IX, 20 sq.). — Cf. MARC. V, 25 sq. LUC. VIII, 43 sq.

solummodo hodie huiusmodi cognoscuntur repraesentationes, neque, ut veri simile est, multo plures esse debuere. (1)

Leprosi sanatio. — De hac repraesentatione pauca dicenda, nam et bis tantum invenitur in Romanis catacumbis, nunquam vero extra Urbem, et parum a caeci sanatione differt. Leprosus scilicet, altero genu flexo, manus in supplicantis more extendit ad Christum, qui alloquentis, id est oratoris instar delineatus est. (2) E duabus picturis altera ad primam, altera ad secundam saeculi tertii pertinet partem.

Viri daemonium habentis liberatio. — Semel tantum cernitur hoc in funerariis picturis miraculum, idque in coemeterio S. Ermetis. Interpretatio huius picturae egregio P. Garrucci debetur, atque ideo solummodo clare evadit quod apud Ravennam in ecclesia S. Apollinaris dicta Novi, musivum quoddam opus fere Romanae similem imaginem aliam exhibeat: in utraque videlicet repraesentatione vir, qui a spiritu vexatur maligno, nudus, genu flexus, brachiis nonnihil demissis, manus instar supplicantis extendens figuratur; sed praeterea in musivo opere etiam porci, in quos intraverunt daemonia conspiciuntur, qui prorsus in pictura desunt. (3)

Quattuor priores recensitae compositiones, nimirum *paralyticus, Samaritana, caecus* et *mulier fluxu laborans sanguinis* in illo cernuntur cubiculo coemeterii Ss. Petri et Marcellini, ubi iam annuntiationem, revelationem et primordia Christi esse repraesentata deprehendimus. Quam igitur istis miracula illa Salvatoris bene cohaereant, post ea quae supra dixi, non est qui non videat. In Christo igitur firma fides, quae evangelicis fuit miraculis confirmata, necessaria salutis conditio declaratur; et inde dumtaxat speratur, ut scilicet benignus ac misericors animae iudex sit Christus, velutique Pastor bonus ovem perditam, scilicet animam, in ovile humeris reportet, seu inter electos admittat. Et re quidem vera, in medio laqueari supra-

(1) Wilpert, *Pitture*, textus, p. 199, § 199.
(2) Cf. Marc. I, 10 sq.; Wilpert, *Pitture*, textus, p. 205, § 68.
(3) Luc. VIII, 33. Cf. Wilpert, *Pitture*, textus, p. 206, § 69.

dicti cubiculi, Christus iudex conspicitur, atque in quattuor angulis, alterna vice, bonus Pastor ovem ferens et figura animae orantis (scilicet animae in aeterna iam beatitudine) apparent. (Tab. 127).

Alia Christi nunc adeamus miracula aliud praecipue significantia, nempe spem in mortuorum resurrectionem divina virtute illa, qua in vita sua terrestri Salvator mortuos suscitavit, operandam, iuxta iam relata cuiusdam *Constitutionum apostolicarum* orationis verba: « Praeterea credimus resurrectionem fore vel ob ipsam Domini resurrectionem. Ipse enim est qui Lazarum quattuor dierum mortuum resuscitavit; qui filiam Iairi, filiumque viduae ad vitam reduxit... » (1)

Resurrectio Lazari. — Repraesentatio haec inter communissimas effigies haberi debet, nam in picturis quae nobis manent quinquagies Romae cernitur, semel in Neapolitanis catacumbis, semel in Sardinia insula, semel in catacumbis Syracusanis. Romae igitur plusquam alibi haec familiaris fuit imago; ac non solum in picturis, verum etiam in ipsis titulis sepulcrorum ipsa deprehenditur, non secus atque orantis figura, licet in istis saeculo tantum quarto appareat. Damasianum quod apprime novimus epigramma, potissimum Lazari quoque resurrectionem commemorat:

SOLVERE QVI POTVIT LAZARO SVA VINCVLA MORTIS
POST TENEBRAS FRATREM POST TERTIA LVMINA SOLIS
AD SVPEROS ITERVM MARTHAE DONARE SORORI
POST CINERES DAMASVM FACIET QVIA SVRGERE CREDO

Tertium ante saeculum diversis modis Lazari resurrectio depicta est; saeculo autem tertio eius figura ad unicam determinatur formam quae constans per plura saecula perdurat. Una cum Lazaro, saeculo secundo, bis cernitur eius soror Martha, semel vero Christus deest, qui tamen semper apparet in ceteris eiusmodi imaginibus; Martha, denique, non nisi saeculo quarto, et quidem raro, iterum conspicitur. Sed maximum di-

(1) *Const. Ap.* lib. V, c. VII, *P. G.* I, col. 843.

scrimen inter picturas primi alteriusque saeculi et posteriores in hoc consistit, quod in illis Lazarus liber solutusque appareat, dum contra in istis semper veluti infans involutus sit,[1] quod quidem ad morem attinet apud Orientales populos receptum corpora videlicet defunctorum pollingendi, ut corruptio, quantum fieri posset, retardaretur. Sepulcrum autem eodem semper modo repraesentatur, nempe ut parva aedicula sepulcrorum iuxta Romanas vias constructorum simillima, cui plerumque scala addita est. Tandem Christus plerumque virga caput Lazari tangit ac interdum, erroris caussa, verticem sepulcri.

Iairi filiae resurrectio.[2] — Praeter Lazari resurrectionem, non nisi semel resurrectionem archisynagogi filiae in picturis reperimus, idque Romae, in coemeterio Priscillae, licet tum ipsa, tum viduae filii resurrectio in sarcophagorum anaglyptis plus semel appareant. Sed mutila Priscillana est figura, unde eius forma ex duabus eiusdem rei repraesentationibus sculptis colligenda est, scilicet e quodam Romano et ex altero Arelatensi sarcophago.[3] Ibi autem miraculum iam factum proditur; defuncta enim puella iam rediviva in lectulo sedet, dum Salvator eius apprehensam tenet manum.

Resurrectionem quoque, ut vidimus, quattuor anni tempora innuunt, iuxta Pauli Apostoli Patrumque doctrinam, de quo vide supra (pag. 66 sq.).

Art. III. — Christus Pastor, Legislator et Doctor.

Illorum fides, qui Christo vel Apostolis docentibus crediderunt, multo perfectior illa erat fide, quam in patrandis miraculis Christus exigebat. Quae insuper fides, una cum baptismate, necessaria fuit a Christo posita salutis conditio cum dixit: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium

(1) Cf. Wilpert, *Pitture*, textus, p. 285 sq.

(2) Cf. Wilpert, *Pitture*, textus, pp. 296–297, tab. 123, 2.

(3) Garrucci, *Storia dell'arte crist.* vol. V, tabb. 316, 3; 376, 4; Le Blant, *Sarcophages d'Arles*, tab. 17.

omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur ».[1] Huius igitur magisterii cogitatio in picturis coemeterialibus deesse nequibat, cum plerumque praedicatione et exemplo, non autem miraculis, fuerant prisci fideles ad legem Christi conversi. Divinae autem legis ac magisterii cogitatio, praeterquam defunctos respiciebat, qui fideles fuisse picturis, non secus atque epitaphiis, declarabantur; etiam ad viventes pertinebat veluti salutis ac perfectionis argumentum. Modus autem quo eiusmodi argumentum adumbrarunt suavis prorsus est, varius et eloquentissimus; scilicet, vel ut doctorem, vel ut legislatorem, vel denique ut pastorem Christum repraesentando.

Imago Christi docentis iam inde a saeculo secundo symbolice repraesentata est, nimirum sub figura Orphei, qui lyram dulcissimo tractans modo animalia omnigena ad se attrahit. Mirabilis hic soni effectus Salvatoris doctrinae effectum adumbrare videbatur, unde ista Eusebii Caesareensis verba:

« In hunc igitur modum communis omnium Servator, beneficum se ac salutarem omnibus praestitit; non aliter ac musicus quidam per instrumentum corporis humani quod assumpserat, velut per lyram quamdam artis suae peritiam ostendens. Orpheum quondam omnia bestiarum genera cantu deliniisse, et instrumenti fidibus plectro percussis belluarum immanium furorem mitigasse, Graecorum fabulae narrant. Atque id passim et canitur a Graecis, et verum esse creditur; lyram scilicet animae expertem feras mansuefecisse, et quercus suavitate cantus delinitas immutasse.

« Verum sapientissimus omnisque harmoniae peritissimus Dei sermo, cum hominum animis multiplici improbitate corruptis omne curationis genus adhiberet, sumpto in manus instrumento musico a sua ipsius sapientia fabricato, humana scilicet natura, eo instrumento cantica et quasi incantamenta quaedam, non brutis, ut ille, sed ratione praeditis animantibus insonuit, moresque omnium tam Graecorum quam barbarorum mansue-

(1) MARC. XVI, 15 sq.



Tab. 128. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

fecit, et feroces ac belluinas animorum perturbationes caelestis doctrinae remediis persanavit ».[1]

Ad hanc inter Christianos inducendam comparationem non parum vetustissima illa valuit opinio, iuxta quam Orpheus carmina prophetica, non secus atque sybillae, de Christo Salvatore scripsisset. Videlicet, a plurium deorum cultu, sacrae studens Scripturae, cum ad veri cognitionem Dei pervenisset, eius Verbi futura carmine praedixit mysteria.

(1) Eusebius, *De laudibus Const.* 14; *P. G.* XX, 1410-1411.

Contra usum huiusce symboli acriter locutus est Clemens Alexandrinus, qui tamen inter symbola in annulis incidenda lyram quoque Orpheicam praescribit, cuius soni effectum doctrinae assimilat Salvatoris.(1) Eodem fere tempore, Romae, Iustinus non dedignabatur Orpheicum oraculum in sua ad Graecos cohortatione referre,(2) quod quidem et alii apologetae praestiterunt; symbolum vero diu permansit, nam, praeterquam in sarcophagis saeculi quinti, in Oriente etiam opere musivo, post illam aetatem, eius imago efficta fuit. Quam autem esset symbolum eiusmodi acceptum, ex his Damaso et S. Hieronymo versibus adscriptis patet:

Psallere qui docuit dulci modulamine sanctos,
Noverat iste decem legis qui verba dedisset,
Quod digitis citharam chordis totidemque dicavit,
Nomina vel signum, numerum crux ipsa notaret.
Credere quid dubitas? virtus regit omnia Christi,
Qui varias uno iunxit sub carmine linguas,
Ut pecudes volucresque Deum cognoscere possint.
Hic sonus est fidei, mentes qui mulcet amaras,
Sic creatura prior tanto pro munere gaudet,
Offerat ut Domino salvet quos gratia vocis.(3)

(1) Clem. Alex. *Paedag.* III, 11, *P. G.* VIII, 634; *Cohortatio ad gentes*, 1, *P. G.* VIII, 55.

(2) Iustinus M. *Cohortatio ad Graecos*, XV, *P. G.* VI, 270: « Orpheus igitur, qui vestrae, ut ita dicam, plurimae divinitatis primus magister extitit, quid postea filio suo Musaeo, ceterisque germanis auditoribus de uno ac singulari Deo praedicaverit, nec esse est ut vos submoneam ». Deinde postquam versus pseudoorpheicos Deum verum et unum proclamantes retulit, ita loquitur: « Quid sibi vult cum dicit:

Adiuro te per vocem Patris, quam primum pronuntiavit?

Vocem hoc loco Dei appellat Verbum, per quod caelum et terra et universa condita et creata, ut nos docent divina sanctorum hominum oracula, quibus et ipse aliqua ex parte in Aegypto animadversis, Verbo Dei omnem creaturam conditam esse cognovit. Quapropter postquam dixit:

Adiuro te per vocem Patris, quam primum pronuntiavit;

protinus subiungit:

Cum mundum universum suis firmavit consiliis.

Hic verbum... etc. » (col. 271).

(3) Maximilianus Ihm, *Damasi epigramm.* p. 66: « La Sacra Scrittura, ait Wilpert, sembrava favorire un riavvicinamento tra Orfeo e Cristo,

Porro omnium antiquissima Orphei imago (Tab. 128) eiusdem fere temporis est ac S. Iustinus, – aliaeque quattuor eiusmodi figurae solummodo saeculo tertio quartoque sequuntur. Quaenam fuit tam exigui numeri caussa? Verisimiliter quod non omnibus haec Salvatoris et Orphei placeret comparatio, nam nec solum a Clemente Alexandrino ut videtur, nec saeculo dumtaxat secundo contra hoc symbolum repugnatum est.(1) Praeterea, in tabula relata Orpheus non quidem secundum ethnicam artem repraesentatus est, sed veluti pastor inter duas oves. Itaque haud dubium esse potest Thracem poëtam hic Christum significare, ex quo insuper apparet quanta sit inter hanc et boni Pastoris cum grege imaginem, ad quam ipsa Orphei tabula relata, paucis mutatis, verti poterat. Merito proinde egregius Wilpert arbitratus est artificem, in illa pictura elaboranda, si non consulto, saltem re praecipua pastoris cum grege compositionis elementa exhibuisse.(2)

descrivendo il profeta il regno del Messia in termini che involontariamente ricordano i favolosi successi di Orfeo: ... *Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hoedo accubabit: vitulus et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus, et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: et leo quasi bos comedet paleas* » (Is. XI, 6–9) (WILPERT, *Le pitture*, Textus, p. 223).

(1) En quid egregius Wilpert, in loco citato, de hoc scribit: « Il modo con cui Clemente Alessandrino tratta Orfeo, mostra tuttavia che nella Chiesa vi erano certuni che respingevano, disapprovavano il confronto di Cristo col cantore tracio; ed è possibile che quei medesimi, a sostituire Orfeo, abbiano creata la immagine, divenuta ben presto popolare, del pastore che veglia il gregge; e con ciò si accorda anche il fatto che quest' ultima immagine comparve *dopo* l' altra di Orfeo. Il simbolismo dell'Orfeo–Cristo forse rimase patrimonio di alcuni cristiani particolari, formati al classicismo, piuttosto che di tutta la comunità. Certo è che Orfeo comparisce solo *cinque volte* nella pittura cimiteriale, mentre si sono citate ventuna rappresentazioni del pastore che pascola il gregge ».

(2) « L'artista, se non di proposito, certo di fatto, preparò il gruppo del pastore pascolante il gregge e bastò sostituisse ad Orfeo che suona la lira innanzi a due pecore, il Bonus Pastor con la siringa, circondato dal gregge, ed era bell' e fatta la composizione cristiana. La prima immagine di questa specie risale... alla seconda metà del III secolo. Quindi la rappresentazione callistiana dell' Orfeo ha un gran valore per il sim-

Pastoris figura gregem pascentis post medium saeculum tertium in coemeterialibus picturis apparet eiusque viginti duo exemplaria inveniuntur; nempe viginti unum Romae, et unum in Oasis Maioris necropoli; modus vero, quo repraesentata imago est, varius non parum exhibetur. Grex enim aliquando ove una consistit, quae discipulum innuit boni Pastoris iuxta Abercianum epitaphium, ac sicut in quadam coemeterii Praetextati pictura, ubi insuper et scrinium voluminum adest, lex scilicet, seu *litterae fideles vitae*. Plerumque tamen grex pluribus constat ovibus, semel vero, item in coemeterio Praetextati, Pastor oves a duobus animalibus, porco scilicet asinoque, gregem defendit. Procul dubio his animalibus animarum inimici designantur et quidem apte, nam asinus Satanae, porcus vero moralis impuritatis symbola fuerunt.[1]

bolismo cimiteriale, somministrandoci una novella prova che le immagini cristiane dell'Orfeo, pel contenuto, sono identiche a quelle del pastore che pascola il gregge» (WILPERT, *Le pitt.* etc., Textus, p. 223).

(1) «Dalla descrizione della pittura risulta che noi ci troviamo in presenza di una scena quanto inusitata, altrettanto importante. Ce ne dischiude in parte il senso il libro conosciuto sotto il nome di *Fisiologo*, composto ad Alessandria prima del 140 ed il cui uso, da parte degli scrittori ecclesiastici, può rintracciarsi con grande probabilità fino in Giustino martire. Dal *Fisiologo* sappiamo che l'*asino selvatico*, onager, significa *il diavolo nella sua impotenza: Egli*, così vi si legge, *raglia* perchè scema il suo regno *delle tenebre*. Il porco, come oggi, così pure nel paganesimo, era ritenuto simbolo della impurità morale, significato attribuitogli anche dalla Sacra Scrittura (MATTH. VII, 6; MATTH. VIII, 30 sq.; MARC. V, 11 sq.; LUC. VIII, 32). ... Pertanto l'onagro ed il porco significano il medesimo nemico, il diavolo, che cerca di strappare a Cristo i fedeli e di danneggiarli nell'anima e nel corpo . . . . . .

«Scorrendo tutto il tesoro delle pitture cimiteriali, questa nostra rimarrebbe l'unico esempio dell'applicazione del simbolismo tracciato dal *Fisiologo*. Non deve farci meraviglia se non ne troviamo altre tracce nelle catacombe, perchè il simbolismo cimiteriale degli animali s'è attenuto ai simboli della Sacra Scrittura. Neanche la fenice, la cui storia favolosa fu usufruita dalla maggior parte degli scrittori ecclesiastici a cominciare da Clemente Romano, a scopo apologetico per la dottrina della risurrezione e che occupa un posto importante nel *Fisiologo*, trovò adito nelle pitture delle catacombe» (WILPERT, *Le pitture*, Textus, pp. 215, 216).

In his igitur boni Pastoris imaginibus Christus pascens, docens ac defendens gregem apparet; magisterii tamen cogitatio clarius in alio picturarum genere conspicitur, scilicet ubi Christus cum Apostolis repraesentatus est. Et primum quidem imago quaedam coemeterii Domitillae consideranda venit in qua Christus, ut legislator, LEGEM dat Petro. Argumentum istud pluries in anaglyptis invenitur, nec raro verba explicativa

Tab. 129. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

adsunt aut volumini Petro credito inscripta: LEX DOMINI, aut apud Salvatoris figuram: DOMINVS LEGEM DAT. Pictura illa, tam pretiosa, ad medium saeculum tertium pertinet; sed postquam a I. B. De Rossi inventa fuit,[1] tota fere pessumivit. Aliam tamen multo illa antiquiorem, licet non prorsus similem, in coemeterio *ad duas lauros* Wilpert invenit; nempe Petrus apostolus sedens apparet, dum legis volumen legit. Huius imaginis momentum in hoc consistit, quod apostoli figura illic figurae Christi eodem more sedentis ac legentis opposita est. Itaque Petrus ibi quodammodo Christo comparatur, quod quantum cum Apostolorum Principis prae-

(1) *Bullett. di arch. crist.* 1887, Tab. VII.

rogativis concinat non est qui non videat. Pictura ista ad secundam saeculi tertii partem pertinet.[1]

In coemeterio Ss. Marci et Marcelliani, Christus in throno sedens et quattuor loquens Evangelistis cernitur. Isti autem eo agnoscuntur, quod eorum unus stellam indicat quique procul dubio Matthaeus est; initio enim eius Evangelii de stella ortus Salvatoris nuntia sermo est. Christi caput hic primum nimbo circumdatum apparet, estque pretiosum indicium chronologicum, nam pictura, iuxta alia certissima indicia, paullo post annum 341 elaborata fuit.

Tab. 130. (Ex WILPERT, *Le pitture*, etc).

Denique Christi imago simul cum Apostolis apparet, inter quos etiam Paulus conspicitur, et aliquando, sicut Petrus, aut ad Christi latus aut speciali sedens loco. Quandoque etiam spatii angustiae caussa, pauciores quam duodecim Apostoli depicti fuerunt, et in coemeterio Domitillae bis Christus cum Petro Pauloque tantum apparet. Denique Christus plerumque volumen sinistra manu tenet, dextera vero elevata ac more oratorio disposita.[2]

(1) Cf. WILPERT, *Le pitture* etc., textus, p. 231, Tab. 93 sq.
(2) Cf. WILPERT, *Le pitture* etc., textus, p. 225 sq.

CAPUT V.

Picturae sacramenta significantes.

ANIMADVERSIO PRAEVIA.

In epitaphiis dogmata significantibus recensendis,[1] non nisi duo sacramenta, tribus prioribus saeculis, clare nominata deprehendimus, baptisma et eucharistiam. Saeculo dumtaxat quarto, aliqua perrara mentio confirmationis apparet, sed numquam a baptismi commemoratione separata, immo veluti huius complementum nominata videtur. Nihil denique amplius posteriora epitaphia et inscriptiones produnt, unde concludere licet, morem non fuisse alia, praeter commemorata, sacramenta in sepulcris significandi.

Id quidem non parvi ponderis est, nam fuerunt quidam, ex modernistarum secta, qui ex eo quod primitiva Ecclesiae monumenta non nisi duo sacramenta exhiberent, negare ausi sint immerito alia, praeter commemorata, sacramenta initio Ecclesiae extitisse. Uti paullo ante notavimus, in hoc non solum epitaphia, sed et symbola titulis incisa sunt liturgicis precibus funerariis conformia. Symbola enim, non secus atque epitaphia, eadem duo solummodo indicant sacramenta. Igitur, cum non sit cur in picturis plura nos confidamus esse reperturos, tum quidem concludere debemus, in primaevis Ecclesiae monumentis non posse magis quam in tardioris temporis monumentis circa sacramentorum doctrinam amplius quidquam explicitiusque inveniri. Et re quidem vera, priorum quattuor saeculorum picturae non nisi baptisma et eucharistiam profe-

(1) Cf. vol. II, pars prima, p. 154 sq.

runt; neque aliud quidquam exhibent amplius picturae subsequentis aetatis. Sed ipsam eiusmodi picturarum recensionem hic statim aggrediemur.

Art. I. — Baptismatis repraesentationes.(1)

Ut pronum est, praeter baptisma Christi etiam catechumeni baptisma deesse in picturis non poterat. Hinc caeleste illud donum, quo homo fit Iesu Christi membrum, Ecclesiae filius ac regni aeterni haeres, iam in quodam Salonitano titulo adumbratum conspeximus (p. 41, tab. 84) in quo insuper cum Christo adstante, agni duo cernebantur, quasi futuram cum sanctis vitam post hoc saeculum per baptismum obtinendam indicantes. Id prorsus cum illis Salvatoris congruit verbis Nicodemum alloquentis: « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei ».(2) Patet igitur ratio qua toties in sepulcris *gratia Dei* aliaque verba leguntur, quae, uti vidimus, baptisma receptum iuxta arcanum tunc temporis loquendi modum significant.(3)

(1) Cf. Wilpert, *Pitture*, textus, p. 235 sq.

(2) Ioan. III, 5.

(3) Erit forte qui quaerat curnam baptismatis vocabulum numquam aperte in monumentis descriptum sit, ipsa vero baptismatis repraesentatio, licet raro, tamen clare distincteque fuerit in ipsis monumentis depicta: arcani lex nempe in picturis aeque ac in titulis valere, ut videtur, debuisset. Equidem certum nescio responsum dare, dicam tamen breviter quid sentiam. Inprimis, baptismi repraesentatio ita raro apparet, ut credere possimus eam exceptionem constituisse, sicut esset pro exceptione habendum si semel iterumque nomen baptismi inveniretur. Dein probabile est eo interdum in picturis baptisma inveniri, quod lotionis repraesentatio nullam inducere poterat apud quoslibet malignam mirationem, nam et apud ethnicos ipsosque Romanos corporis ablutio actus relligiosus erat. En quid de eo habet Tertullianus: « Sed enim nationes extraneae ab omni intellectu spiritualium potestatum eadem efficacia idolis suis subministrant. Sed viduis aquis sibi mentiuntur. Nam et sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicuius, aut Mithrae. Ipsos etiam deos suos lavationibus efferunt. Ceterum, villas, domos, templa totasque urbes asper-



Tab. 131.

Ut egregius Wilpert animadvertit, primaevi pictores clare Christi baptisma a catechumeni distinxere baptismate, nam in illo columba nunquam deest, ac Ioannes aut nudus et solo perizomate praecinctus, aut tunica exomide convestitus, apparet. In catechumeni vero baptismate minister sacris vestimentis indutus cernitur, nempe tunica et pallio. Omnium antiquissima huiusce repraesentatio baptismatis catechumeni est in cu-

Tab. 132.

biculo A^2 coemeterii Callisti, quae ad secundam saeculi secundi partem pertinet. Catechumenus infans cernitur, nudus atque in aqua solummodo pedes habens immersos. Minister, leviter inclinatus, dexteram super caput eius ponit.

Fuerunt qui hanc manus impositionem pro sacramenti confirmationis indicio acciperent; verumtamen id minime admitti potest, quia neophytus adhuc est in aqua, et alioquin ex anti-

gine circumlatae aquae expiant passim. Certe ludis Apollinaribus et Eleusiniis tinguntur; idque se in regenerationem et impunitatem periuriorum suorum agere praesumunt. Item penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat» (*De baptismo*, c. V).

quis liturgicis codicibus scimus morem fuisse ut minister manum ad professionem fidei imponeret baptizando. Sic enim legimus in decimo nono Hippolyti canone: « Tunc descendat in aquam. Presbyter autem manum suam imponens ei, interrogat eum ita: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* Baptizandus respondit: *Credo* ».[1] Eiusdem circiter aetatis (saec. III) atque Hippolyti canones alter est codex quem *Aegyptiam Constitutionem* eruditi vocant, atqui in eo legimus: « Et baptizans manum suam capiti eius imponet terque eum merget confitens haec singulis vicibus ».[2]

Itaque baptizans eo repraesentatur instante, quo baptizandus, antequam mergatur aut aspergatur, de fide in Triadem sacrosanctam interrogabatur, quam quidem fidei formulam nobis praefata documenta tradiderunt. Item, sed fusius, in canone Hippolyteo undevigesimo: « Manum habens (baptizans) in caput eius impositam, baptizat eum semel in aqua. Deinde altera vice eum interrogat his verbis: *Credis in Iesum Christum, Filium Dei, quem peperit Maria Virgo ex Spiritu sancto, qui venit ad salvandum genus humanum, qui pro nobis crucifixus est sub Pontio Pilato, mortuus est, et tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in coelo, sedet ad dexteram Patris, et veniet iudicare vivos et mortuos?* Respondit: *Credo*, et iterum baptizat eum in aqua. Et tertia vice interrogat eum: *Credis in Spiritum sanctum Paraclitum, qui procedit a Patre et Filio?* Cum ille dixerit: *Credo*, tertia vice baptizat eum in aqua. Singulis autem vicibus dicit: *Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, aequalis in se Trinitatis* ».[3] Neque aliter habet *Aegyptia Constitutio*.

(1) Achelis, *Die ältesten Quellen des oriental. Kirchenrechtes.* I. *Die Canones Hippolyti*, Leipzig, 1891, p. 93 sq. — De aetate huius codicis valde disputatum est inter eruditos, sed probabilior sententia, praeterquam Romanam ei vindicat originem, eum haud saeculo posteriorem tertio facit, dignumque titulo suo demonstrat.

(2) Hauler, *Didascaliae Apostolorum fragmenta Veronensia latina: accedunt Canonum qui dicuntur Apostolorum et Aegyptiorum reliquiae*, Lipsiae, 1900, p. 111.

(3) Achelis, loc. cit. Ceterum quod baptisma vel ab apostolicis temporibus infusionis forma fuerit ministratum, id evidenter e Διδαχῇ τῶν

Pictura igitur nostra, cum ad secundum pertineat saeculum, illud certe innuit, quod frustra in documentis saeculo anterioribus tertio quaereremus. Parva autem baptizandi statura, uti iam de Christi baptismate loquentes notavimus, non quidem usum infantes abluendi confirmat, de quo sane non pauca documenta testantur, sed e liturgico pendent more infantium, puerorumque recens baptizatos designandi. (1)

Denique animadvertendum venit, hic, non secus atque in Christi baptismatis repraesentationibus, nihil apparere quod proprium ad baptizandum locum indicet; sed catechumenus quasi in rivo esse videtur. Haec omnia clarius in quodam saeculi quarti sarcophago cernuntur, ubi non solum baptizans dexteram baptizando imponit, verum etiam sinistra manu apertum tenet volumen super capite eius, fidei videlicet volumen in quo formulam interrogando minister legere debet; ac denique catechumenus in loco prorsus palustri conspicitur, perinde quasi sculptor designare voluerit quolibet in loco baptisma ministrari potuisse. (2) Id sane, nedum saeculo quarto ac postea,

δώδεκα ἀποστόλων eruitur ubi de hoc loquitur sacramento: « In quanto al battesimo », ait I. B. De Rossi, « osservo che nella Διδαχή si parla esplicitamente non solo della immersione, ma anche della infusione dell'acqua sul capo, come di rito non al tutto eccezionale nel solo caso di malattia (battesimo clinico), ma praticato frequentemente; cioè ogni volta che non si aveva acqua corrente o raccolta in un bacino quanta bastasse all'immersione. Codesta prescrizione così esplicita, come di norma ordinaria, è unica nella primitiva letteratura cristiana relativa al rito del battesimo; e fu soppressa quando quel testo passò dalla Διδαχή alle così dette Costituzioni apostoliche. La ragione di ciò è nella costruzione regolare di piscine battesimali fatta col progredire del tempo, ovunque le comunità dei cristiani erano costituite od avevano luoghi acconci alle sinassi ed alla liturgia. Talchè il difetto delle condizioni necessarie ed opportune al rito dell'immersione allora non occorreva frequente, come nei tempi più antichi; ma d'ordinario nei casi soltanto dei battezzandi in letto per malattia (clinici), od in altre congiunture assai rare » (*Bull. di arch. crist.* 1886, p. 19).

(1) Cf. vol. II partem primam, p. 157 sq.

(2) Praestat hac de re plura clarissimi MARUCCHI (ap. *N. Bull.* an. 1906, p. 202) adducere: « La figura del battezzando e del ministro sono poste,

quum turmatim saepe catechumeni baptizabantur, etiam saeculo primo duobusque sequentibus incongruum aut inusitatum haud fuit; certeque ad hoc alludit Tertullianus in suo *De baptismo* libro cum dicat: « ... Nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur. Nec quidquam refert inter eos quos Ioannes in Iordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit ».[1]

Praeter hanc, aliae tres baptismatis catechumeni imagines extant, eodem plus minus modo delineatae, duae ad tertium, reliqua ad quartum vergens saeculum pertinentes. Omnes autem baptisma etiam aspersione vel infusione, nec solum immersione, collatum fuisse probant.

Art. II. — Baptismatis symbola.

« Complura et varia sunt, ait egregius Wilpert, baptismatis sacramenti *symbola* quae ab ecclesiasticis scriptoribus proponuntur. Cum autem baptisma illuminatio fuerit vocatum, φωτισμός,[2] hoc ipso *caecorum curationum* quas Christus patraverat erat indicium. Re enim vera Clemens Alexandrinus, ac postea Ambrosius et Augustinus velut baptismatis figuras eas declarant. Tertullianus tractat ex professo de eiusmodi symbolis in suo libro qui *De baptismo* inscribitur; ac sacramentum nostrum in *mundi creatione* (c. 4), in *paralytici sanatione* ad piscinam Beth-

come si è detto, fra un albero e una pianta palustre. Ora questo particolare artistico richiama spontaneamente al pensiero il concetto che il battesimo si amministrò in origine anche in luoghi campestri e ovunque vi fosse dell'acqua; concetto espresso in epoca posteriore negli atti apocrifi di Liberio e Damaso. In questo documento, parlandosi del battesimo che il papa Liberio intendeva di amministrare sulla Salaria ad un grande numero di persone, si fa dire a lui dal diacono Damaso, che il battesimo poteva amministrarsi in qualunque luogo ed anche nei fiumi e nelle paludi: *Nam in fluminibus et in paludibus oportet baptizari* (*Acta Liberii et Damasi, P. L.* VIII, coll. 1888–1893) ».

(1) Tertull. *De baptismo*, c. 4.

(2) Iust. *Apol.* I, 61: καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανομένων.

saidae (c. 5), in *universali diluvio* (c. 8), in *transitu Hebraeorum per mare Rubrum*, in *aqua dulci facta per lignum* ac in *fontis miraculo in deserto* (c. 9) praefiguratum vidit. S. Cyprianus, qui eadem plerumque repetit symbola, addit insuper colloquium *Christi cum Samaritana* apud puteum Iacobi atque, S. Petri exemplum secutus (I, 3, 20 sq.), etiam *arcam Noeticam*, praebens hanc generalem normam circa baptismatis symbola: « Quotiescumque autem aqua sola in Scripturis sanctis nominatur,



Tab. 133. Christi baptisma, piscator et paralyticus. — Pictura cubiculi A^3 in coem. Callisti. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

baptisma praedicatur ».[1] Semper quidem praenicaena aetate, Didymus Alexandrinus[2] seriem baptismalium symbolorum exhibet, ac serius, ab eo pendens, S. Ambrosius eam repetit. Ipsa denique in diversis antiquioribus liturgiis baptismalibus invenitur, hac illaque figura interdum omissa; sic in quadam Coptica liturgia,[3] in Arabica (*Testamento Domini* Aegyptiae recensionis),[4] in Aethiopica[5] eam deprehendimus; neque ultimo in Romana liturgia, nam sub completa eius forma iam

(1) Cypr. *Ep.* LXIII, 8, ed. Hartel, 706.

(2) *De Trinitate*, II, 14.

(3) Ermoni, *Rituel copte du baptême et du mariage*, ap. *Revue de l'Orient chrétien*, VII, 1902, p. 308 (versione p. 315).

(4) Baumstark, *Eine ägyptische Mess- und Taufliturgie vermuthlich des 6. Jahrhunderts*, ap. *Oriens christianus*, I, pp. 38–41.

(5) *P. L.* 138, 447.

in *Sacramentario Gelasiano* apparet,[1] proindeque ut summum tempore Gregorii Magni stabilita dicenda. Paralyticus autem piscinae probaticae deest quidem in his textibus, sed ut baptismatis typus in Galliarum baptismali liturgia invenitur, quae in Missali Gothico (quod vocant) continetur ».[2]

PISCATOR EVANGELICUS. — Omnium eloquentissimum baptismatis symbolum piscator est, quod ipse nobis Salvator praebuit, cum apostolos, et praesertim Petrum, hominum fecit piscatores. Eiusmodi proinde conceptio perduravit, ac nihil communius fuit, saeculo vergente secundo, quam neophytorum cogitatio pisciculis significata. Sic in hymno quodam, inter Clementis Alexandrini opera evulgato, illud occurrit: Ἁλιεῦ μερόπων τῶν σωζομένων, etc.; ac nota sunt ipsius Clementis verba: « Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων πελειὰς, ἢ ἰχθὺς, ἢ ναῦς οὐρανοδρομοῦσα, ἢ λύρα μουσικὴ, ἢ κέχρηται Πολυκράτης, ἢ ἄγκυρα ναυτικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ· κἂν ἁλιεύων τις ᾖ, ἀποστόλου μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων ».[3]

His adamussim Tertulliani notissima haec verba respondent: « Sed nos pisciculi, secundum Ἰχθύν nostrum Iesum Christum, in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus ».[4] Nec minus perspicua illa Paulini Nolani: « Meminimus, nos Delphini filios factos esse, ut efficeremur illi pisces qui perambulant semitas maris ».[5] Piscatoris symbolum adhuc

(1) *P. L.* 74, 1108–1111.

(2) *P. L.* 72, 274; WILPERT, *Le pitture*, textus, p. 241.

(3) CLEMENS ALEX. *Paedag.* 3, II, *P. G.* VIII, 634: « Sint autem nobis signacula, columba, vel piscis, vel navis, quae celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus: et si sit aliquis qui piscetur, meminerit apostoli, et puerorum qui ex aqua extrahuntur ».

(4) TERTULL. *De baptismo*, I.

(5) PAULINUS NOLANUS, *Ep.* XX, *ad Delphinum*, *P. L.* LXI, 249 sq. Quidam episcopus Delphinus nomine fuit S. Paulini Nolani spiritualis pater; unde auctor ludens super verbum Delphini, ista relatis verbis subiungit: « Meminerimus te non solum patrem, sed et Petrum nobis esse factum: quia tu misisti hamum ad me, de profundis et amaris huius saeculi fluctibus extrahendum, ut captura salutis efficerer: et cui vivebam, naturae morerer et, cui mortuus eram, viverem Domino ».

saeculo nono in quodam baptisterio apparet, quod in museo monachorum S. Basilii apud Cryptam Ferratam asservatur.

Ter evangelicus piscator in picturis catacumbarum apparet, scilicet semel in Flaviorum hypogeo (saec. 1), et bis in sacramentorum cubiculis coemeterii S. Callisti. Figurae habitus semper idem est, piscator nempe, sedens in ripa, perizomate solum coopertus, extrahit ex aqua piscem, id est fidelem, iuxta Patrum sensum, seu Christianum, hamo captum. Antiquior tamen piscatoris figura egregio Wilpert haud symbolica visa est, sed pure ornativa quia inter cetera apparet ornamenta quae symbolica dici nequeunt. Quae quidem sententia mihi non nimis probatur; nam eodem in hypogeo iam saeculo primo aliae depictae sunt Christianae imagines, ut, exempli gratia, ter bonus Pastor.

Quomodocumque sit, omnes antiquitatis periti symbolice piscatores tabularum 132 et 133 interpretati sunt, sed quidam alio sensu, nimirum tamquam Iordani fluminis aut maris Tiberiadis personarum instar inductiones. Id autem eo esset, quod in tabula 132 piscator minime cum Moysis percutientis figura unicam efficiat compositionem, sed ab ea sit omnino extraneus, dum e contra sequenti sit unitus figurae, quae septem discipulorum convivium repraesentat. Alibi iam eiusmodi sententiam refutavi, at quantum sit absurda praeterquam e supra dictis textibus, etiam ex ipsis tabulis relatis colligitur.(1)

Praeter excerpta e catacumbis Romanis exempla, alia est

(1) C. M. KAUFMANN, qui eam protulit sententiam (*Manuale di archeologia cristiana*, 1908, p. 331), haud satis perspectum habuit: 1° rerum sub personarum specie inductiones in Christianis picturis ad tertium et quartum solummodo pertinere saeculum et esse quam rarissimas; 2° eas, ut sane admittantur, debere esse evidentissimas; 3° Tiberiadis maris ut personae inductionem nullibi in Christiana arte inveniri; 4° Iordani talem vero inductionem a saeculo tantum quinto apparere, neque a ceteris fluviorum personificationibus (quas vocant) in ethnicis monumentis repertis quidquam differre. Quando autem alicuius fluminis sub humana specie effigies exhibetur, semper propemodum figura est senis cubantis aut paene iacentis, amphoram doliumve a quo aqua defluit tenentis; numquam vero repraesentatio piscatoris (cf. *Ephemerides liturgicae*, 1908, p. 84 sq.). Quae quidem omnia picturis praefatis contradicunt.

repraesentatio, non quidem piscatoris unius sed piscatorum plurium, qui, ut par est, non hamum sed retia proiiecerunt ad homines utique capiendos. Verum ad mysticam navem non homo sed agnus ascendit, sicut agnus esse debet qui inter agnos sperat se humeris boni Pastoris ferendum. Pictura haec ad tertium labens saeculum iuxta I. B. De Rossi pertinere potest.(1)

MOYSES FERCUTIENS RUPEM ET FONS INDE SCATURIENS. — Fuit hoc symbolum maxime usitatum apud primaevos Christianos, nam septuagies circiter in Romanis catacumbis repraesentatum adhuc cernitur, semel autem in Neapolitanis catacumbis, atque unico semper modo delineatum: scilicet Moyses, vestibus indutus sacris (tunica et pallio), virga rupem percutit, indeque fons defluit ad quem, aliquando, unus vel duo Iudaei bibunt. Hoc ultimum non nisi a Constantiniana aetate coeptum est pingi, una cum Moyse barbato ac plerumque capillo aliquantum promisso; nam tribus prioribus saeculis, si unam imaginem excipias, semper ipse, quasi adolescens, sine barba effingitur.

Ut recte Moysis interpretetur figura, sedulo attendendum est aliis imaginibus quibus est adiunctus. Quod si, verbi gratia, una cum baptismi vel eucharistiae symbolis eius, aquam e saxo educentis repraesentatio conspiciatur, tum haud est dubium quin petra, de qua unda fluit, iuxta haec S. Pauli verba sit interpretanda: « Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus »;(2) nec minus certum est quin fons illius fontem significet aquae quam, qui acceperit, iuxta innumeras inscriptiones, salvus erit. Hoc quidem eo clarius elucet quod, in primis eiusmodi repraesentationibus, haud raro Moyses ita symbolis baptismatis praeit vel adhaeret, ut cum illis unam artis compositionem, quoad sensum perficiat; sic in cubiculo sacramentorum A^2 coemeterii Callisti, ipsa in aqua e rupe emanante evangelicus piscator pisciculum hamo capit (Tab. 131). Quod autem piscator baptismi sit figura, praeter textus supra

(1) *Bull. di arch. crist.* 1892, p. 185 sq., tabb. VI, VII, VIII.
(2) I *ad Corinth.* X, 4.

relatos, etiam tabula 333 confirmat, nam ibi in aqua, ubi capitur piscis, Christus infans dum a Ioanne baptizatur apparet. Sed de hoc infra loquendum.

Si vero Moyses, in catacumbarum picturis, minister veluti est huius gratiae tam saepe in epitaphiis commemoratae, erit forsan qui quaerat, cur ipse et non alius tanto fungatur officio, quod magis proprie Ecclesiae convenit. Quum autem hic de symbolica prorsus agatur conceptione, sane suspicari licet aliquem alium sensum in ea deprehendi posse.

Et quidem notum est saeculo quinto nihil fuisse Patribus familiarius quam Petri auctoritatem seu potestatem in ipso Moyse legislatore figuratam invenire. Petrus enim, ut aiunt, novus est Moyses, novus populi Dei dux, legislator et caput; denique, ubi Petrus, ibi Ecclesia. Sic, exempli gratia, S. Augustinus, habet: « Ob hoc petra appellatus personam Ecclesiae figurans... Non enim dictum est illi: *Tu es petra*, sed *tu es Petrus*; petra autem erat Christus ».(1)

Et S. Maximus Taurinensis: « Per Christum Petrus factus est petra; nam sicut in deserto, dominico sitienti populo aqua fluxit e petra, ita in universo mundo perfidiae ariditate lassato de ore Petri fons salutiferae confessionis emersit ».(2)

Nec aliter Leo Magnus: « Beatus Petrus, in accepta fortitudine petrae perseverans... sic prae ceteris est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, ... qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsam appellationem eius, mysteria nosceremus ».(3)

Haec aliaque Patrum scriptorumve testimonia quae brevitati studens omitto sane menti ingerunt, etiam in monumentis eiusmodi cogitationem forsan expressam fuisse; ceteroquin illi cognoscuntur versus, quos Constantinus Augustus triumphali arcui basilicae Vaticanae inscribendos curaverat:

QVOD DVCE TE MVNDVS SVRREXIT IN ASTRA TRIVMPHANS
HANC CONSTANTINVS VICTOR TIBI CONDIDIT AVLAM.

(1) S. AUGUST. *Retractationes*, c. 21.
(2) S. MAXIMI *Opp.* ed. Romae, 1784, p. 219.
(3) S. LEO, *Sermo* II ed. Ballerin. t. I, p. 6.

Atqui effossiones in Romanis catacumbis duo pretiosa nobis prodiderunt fragmenta quae rem prorsus conficiunt. Duo vide-

Tab. 134. Cuppae fundus auro pictus, qui in Museo Christiano Vaticano asservatur.

licet reperti sunt cupparum fundi Moysis dum rupem percutit imaginem exhibentes, cui retro vel super capite inscriptum

Tab. 135. Figura graphio ducta in quadam patera in Dalmatia inventa.

adest nomen: PETRVS (Tab. 134). Item in vitrea patera Docleae in Dalmatia inventa, inter alia, Moyses rupem per-

cutiens cernitur hac tamen inscriptione instructus: *Petrus virga perquodset, fontis ciperunt quorere*; id. est: Petrus virga percussit, fontes coeperunt currere (Tab. 135).

Profecto nihil clarius esse posset: hac enim inscriptione omne e medio tollitur dubium quod, ante hoc repertum, archaeologorum animos circa absolutam Moysis cum Petro assimilationem suspensos tenebat.(1)

Moysis figura primum in antiquissimo coemeterio Priscillae invenitur, atque cum ea baptismatis et paralytici sanati reprae-

(1) En quid de supra memoratae paterae inscriptione habet I. B. de Rossi: « L'epigrafe è tratta dalle parole del libro dei *Numeri*, XX, 11: *Moyses percutiens virga ... egressae sunt aquae largissimae*; il senso simbolico è tratto dal capo X dell'epistola prima di Paolo ai Corintii: *Haec in figura contingebant illis.* Quivi l'acqua, che scaturì dalla pietra nel deserto, dall'Apostolo è chiamata *potus spiritualis*; spirituale è altresì chiamata la pietra; *petra autem erat Christus.* Cristo, pietra angolare e fondamentale della chiesa, comunicò la sublime prerogativa di questo nome e delle sue qualità al Mosè della nuova legge, al principe e capo degli apostoli; il quale perciò fu dall'arte cristiana simboleggiato, percotente la mistica pietra che gli die' l'altissimo nome, ed armato della verga ed autorità, che gli fa disigillare ed aprire la sorgente delle acque spirituali: *Petrus virga percussit, fontes coeperunt currere.* Ottato di Milevi, contemporaneo o non molto distante dall'età del vetro di Doclea, disputando contro i Donatisti delle doti della chiesa, scrisse: *Fontem unam esse de dotibus, unde haeretici non possunt vel ipsi bibere vel alios potare, quia soli sigillum integrum, id est symbolum catholicum, non habentes, fontem verum aperire non possunt*: e poi del fonte, come delle altre doti predette, conchiude, che esse sono nella chiesa *per cathedram Petri quae nostra est* (*De schism. Donat.* II, 9). Perciò in un vetro cimiteriale del museo Britannico la cattedra, sormontata dal monogramma ☧, è addossata alla rupe, dalla quale sgorga l'acqua; e sulla cima sorge l'albero della vita, come egregiamente ha ravvisato il ch. p. Garrucci (*Vetri*, 2ª ed. p. 142; cf. *Storia dell'arte crist.* t. III, p. 175). Perciò nelle lettere mutue dei padri africani e d'Innocenzo I (vedi *Bull.* 1868, p. 6) la cattedra di Pietro è chiamata *natalis fons, unde aquae cunctae procedunt et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manant* (CONSTANT. *Epist. Rom. Pont.* p. 866). A questa unità delle simboliche acque procedenti da un solo capo e principio allude il *fontes coeperunt currere* dell'epigrafe, che ora illustro. E nell'elogio metrico dell'apostolo Pietro scritto da Neone vescovo di Ravenna per i musaici da lui quivi ordinati nel secolo quinto, si allude al principe degli apostoli come

sentationes depictae sunt. Eius igitur significatio dubia esse nequit, ac Tertulliani verba illa in mentem revocat: « Haec est aqua (scilicet saluberrima baptismatis), quae de comite petra populo defluebat. Si enim petra Christus, sine dubio aquae in Christo baptismum videmus benedici. Quanta aquae gratia penes Deum et Christum eius est ad baptismi confirmationem! Numquam sine aqua Christus. Siquidem et ipse aqua tingitur ».(1)

Item Moysis figura in cubiculis sacramentorum coemeterii Callisti A^2 et A^3 seriem symbolorum baptismatis praecedit, atque in recentiori cubiculo A^6 ipsum eucharistiae symbolum. Animadversis autem diversis picturarum aetatibus, id, ut sane notavit Wilpert, probat: hanc figuram primitus veluti baptismatis gratiae symbolum potissimum adhibitam fuisse.

Paralytici sanatio. — Haec imago, propter locum quem inter alia symbola interdum occupat, ipsa quoque baptismatis figura evadit, atque ista Tertulliani in mentem revocat verba: « Piscinam Bethsaidam angelus interveniens commovebat: observabant qui valetudinem querebantur. Nam si quis praevenerat descendere illuc, queri post lavacrum desinebat. Figura ista medicina corporalis spiritalem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt ».(2)

a novello Mosè che riceve dall' alto la nuova legge e mantiene l' unità nella chiesa:

Bissenos inter fratres in principe sistis
Ipse loco, legesque novae ibi dantur ab alto,
Qui(s) fera corda domas hominum, qui(s) pectora mulces
Christicolasque doces (unum) omnes esse per orbem.

« Questi pochi testi più o meno contemporanei del vetro di Doclea bastano all'uopo di chiarire il senso simbolico dell'epigrafe e della scena da me impresa ad illustrare. Facile mi sarebbe moltiplicare le citazioni; ma il sommario modo del presente discorso lo vieta. In quanto all'albero sostituito alla rupe dal rozzo artista di Doclea, esso mi sembra indizio, che colui abbia avuto dinanzi agli occhi un esemplare, nel quale, come nel vetro citato del museo Britannico ed in altri monumenti, in cima alla rupe, donde scaturisce l'acqua, era effigiato un albero » (*Bull. d'arch. crist.* 1877, pp. 83–84).

(1) Tertull. *De baptismo*, IX.

(2) Tertull. *De baptismo*, cc. V–VI. — Praestat hic largius textum referri: « Proficiente itaque hominibus gratia Dei, plus aquis et angelo ac-

Illustris P. Marchi solitus erat dignissimo discipulo suo I. B. De Rossi dicere, esse paralyticum propriam sacramenti poenitentiae figuram; quae tamen suggestio minime discipulo placuit. Et rite sane, nam ipsa peccatorum remissionis ac spiritualis sanationis notio probe baptismati congruit, cum et in ipso omnia peccata remittantur, et neophyto revera illa conveniant Iesu Christi verba paralytico sanato loquentis: « Ecce sanus factus es: iam noli peccare... ».(1)

ANIMADVERSIO CIRCA BAPTISMATIS REPRAESENTATIONES AC SYMBOLA. — Quae hucusque de imaginibus baptisma significantibus proposita sunt, licet satis perspicua, eo evidentiora fiunt quo accuratius cum Patrum textibus eiusdem fere aetatis conferuntur. Quid mirum est enim quod a prodigioso fonte symbola baptismalia initium capiant? Quid quod fonti huic piscator succedat ac piscatori ipsa baptismatis Christi imago, deinde paralytici effigies? (Tab. 133). Figurae enim istae quae aquam semper commemorant, iuxta Cyprianum, baptisma praedicant, easque Tertullianus recenset, explicat atque baptismatis veluti adumbrationes iugiter exponit. Tertullianus autem Romae non parum degit, omniaque Christiana symbola probe agnovisse scriptis suis commonstrat; numquid esse potuit ut, in suo *De baptismo* libro, aliter biblicas illas figuras explicaverit quam in coemeteriis depictae ipsae a fidelibus intellige-

cessit. Qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc aeternam reformant: qui unum semel in anno liberabant, nunc quotidie populos conservant, deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto scilicet reatu, eximitur et poena. Ita restituitur homo Deo, ad similitudinem eius qui retro ad imaginem Dei fuerat. Imago in effigie, similitudo in aeternitate censetur. Recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de adflatu eius acceperat, sed post amiserat per delictum. Non quod in aquis Spiritum Sanctum consequamur, sed in aqua emundati, sub angelo Spiritui Sancto praeparamur. Hic quoque figura praecessit. Sic enim Ioannes antepraecursor Domini fuit: praeparans vias eius: ita et angelus baptismi arbiter superventuro Spiritui Sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat, obsignata in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto ».

(1) IOANN. V, 14.

bantur? Ad quid harum figurarum cum baptismatis Christi repraesentatione coniunctio? Sane cum monumentum aliquod illustrare volumus cuius significatio subobscura videtur, ad clariora eiusdem temporis documenta confugimus. Atque ista simplicissima ac potissima interpretationis est norma, de qua aliquid iam supra tetigimus, ut, cum in monumentis cuiuscumque generis, temporum quaedam indicia notasque quasdam inveniamus, horum temporum studium illis interpretandis profuturum quam maxime intelligamus.

Natura nempe rerum fit ut quilibet artifex, perinde ac quilibet poëta scriptorque, aliquam cogitationum harum quae apud coaetaneos patriaeque cives suae vigent indolem ac similitudinem in operibus suis, etiam inscius vel invitus, referat et exhibeat. Quod si de moribus religioneque agatur, tunc vere artis exemplar veluti speculum atque imago aetatis erit suae; unde et historiae testis ars, ac vicissim artis extabit historia testis.

Porro, ut ad paralytici sanati significationem revertamur, dicendum est hanc Tertulliani verbis haud ambigue explanari. Postquam enim auctor in *paralytici curatione* figuram baptismatis eiusque effectuum fuse eloquenterque commonstravit, de Praecursore loquitur, cui angelum piscinae Bethsaidae comparat; deinde ad ipsum baptisma, ad eiusdem formulam, effectus adiunctaque describenda transit. Hoc profecto in tabula 133 quodammodo adumbratum conspicitur; nam paralyticus prope Christi baptisma cernitur, ac deinde pisciculus apparet hamo captus. Pisciculus hic neophytum repraesentat, iuxta Tertulliani illud: *Sed nos pisciculi...*, atque optime Christo opponitur, qui ΙΧΘΥϹ divinus est, seu *piscis pergrandis, purus, quem prehendit virgo casta*, ut in carmine Abercii legimus. His omnibus aliud symbolum antecedebat, nunc deperditum, deinde, in proximiore pariete extat Moyses, seu Petrus, e rupe fontem gratiae seu baptismatis eliciens. Haec, inquam, nisi ut supra exposui sint intelligenda, nulla amplius cuiuslibet antiquae picturae interpretatio dari poterit.

Verum enim vero illi ipsi (alioquin valde pauci) qui nor-

mas eiusmodi interpretationis parvipendunt, nonnullas, veras quidem interdum, sed non protinus perspicuas, facillime et inconsultius admittunt sententias, quibus fulciendis, si praefata tamen inquirendi ratio adhiberetur, magni momenti argumenta praesto essent. Exemplum adducere libet e carmine Abercii excerptum. In eo enim discipulus quidam pastoris casti missus fuisse Romam ab eodem pastore narratur, ubi regnum contemplatur, reginam stola et calceis aureis indutam et populum splendido *sigillo* insignem:

ΕΙΣ ΡΩΜΗν ὅς ἔπεμψεν ΕΜΕΝ ΒΑΣΙΛείαν ἀθρῆσαι
ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣσαν ἰδεῖν χρυσόσΤΟΛΟΝ ΧΡυσοπέδιλον
ΛΑΟΝ Δ ΕΙΔΟΝ ἐκεῖ λαμπρὰν ΣΦΡΑΓΕΙΔΑΝ Εχοντα

Qui Romam me misit regnum contemplaturum
Visurumque reginam aurea stola aureis calceis decoram
Ibique vidi populum splendido *sigillo* insignem.

Porro, sigillum hoc plerique pro charactere baptismatis proprio acceperunt vel etiam chrismatis sacri; sed haud omnes animadverterunt non utique solummodo neque primum in Abercii epigrammate baptisma sic sigillum (σφραγὶς) vocatum fuisse. Nam exempli gratia, iam multo ante Abercium Hermas scripserat: « Necesse habuerunt per aquam ascendere, ut vitam consequerentur; aliter enim *non poterant intrare in regnum Dei*, nisi mortalitatem deposuerint vitae suae prioris. Acceperunt ergo et isti qui dormierunt *sigillum Filii Dei* (τὴν σφραγῖδα τοῦ Θεοῦ) et *intraverunt in regnum Dei*. Priusquam enim homo nomen filii Dei portaverit, mortuus est; cum autem acceperit sigillum (ὅταν δὲ λάβῃ τὴν σφραγῖδα), deponit mortalitatem et resumit vitam. Sigillum ergo est aqua (ἡ σφραγὶς οὖν τὸ ὕδωρ ἐστίν); in aquam igitur descendunt mortui et ascendunt vivi. Et illis ergo praedicatum est hoc sigillum et usi sunt eo, *ut intrarent in regnum Dei*».[1] Et Clemens Romanus: « Dicit enim Scri-

(1) Hermas, *Pastor, Simil.* IX, 16. — Cf. Matth. XXVIII, 19; Marc. XVI, 15 sq. et Ioann. III, 5.

ptura in Ezechiele: *Si Noe et Iob et Daniel resurgant, non eruent liberos suos, qui sunt in captivitate.* Quod si tantopere iusti viri non possunt iustitiis suis eruere liberos suos, nos, nisi *baptisma* purum et immaculatum servaverimus (ἐὰν μὴ τηρήσωμεν τὸ βάπτισμα ἁγνὸν καὶ ἀμίαντον), qua confidentia intrabimus in *regiam Dei*? »; (1) item: « De iis enim qui *sigillum* non servaverint (τῶν γὰρ μὴ τηρησάντων τὴν σφραγῖδα), ait: Vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur »; (2) item: « Hoc ergo dicit (Dominus): Servate carnem castam et *sigillum* immaculatum, ut vitam recipiatis (τηρήσατε τὴν σφραγῖδα ἄσπιλον) ». (3)

E textibus relatis liquido patet *sigillum* baptismatis gratiam et in Aberciano carmine significare, quod tamen aliqui Lutheri Calvinique assectatores inficiari ausi sunt, neque efficaciore potuerunt modo refutari, nisi carmine cum textibus praefatis aliisque collato. (4)

Quod autem de baptismatis figuris, idem de eucharistiae symbolis dicendum est, de quibus proprie sequentes sint articuli.

ART. III. — **Eucharistiae symbola saeculi II.**

Ad eucharistica symbola interpretanda validum iam nobis adminiculum suppetit in eo, quod semper panum ac piscium multiplicationes ad corporis Christi sacramentum, ut probe vidimus (p. 42 seqq.), referantur. Id, enim, quod ex ipsius Domini verbis, necnon ex Patrum scriptis et liturgicis documentis colligitur, non modo in picturis explicandis auxilio erit, sed etiam vicissim lucem e monumentis accipiet. Egregius Wilpert, qui sedulo diuque picturis illustrandis operam impendit, in hanc sententiam devenit, ut affirmaret omnia eucharistica symbola panum pisciumque multiplicationes, vel convivium septem discipulorum apud lacum Tiberiadis, vel denique

(1) CLEM. ROM. *Ep. ad Corinth.* VI.
(2) CLEM. ROM. *Ep. ad Corinth.* VII.
(3) CLEM. ROM. *Ep. ad Corinth.* VIII; HERMAS, *Pastor, Simil.* VIII, 6.
(4) Cf. WILPERT, *Fractio panis*, pp. 61 et 103.

conversionem aquae in vinum respicere. Sententia haec, utpote viri omnium hac in re peritissimi, hic nobis est illustranda, non quod, veluti auctoritate viri solummodo freti, nihil hoc praestantius tradi posse arbitremur; sed quia diuturnum et constans monumentorum studium sententiam eamdem nobis omnino suasit.

Primum quod notandum venit illud est, quod nulla sit eucharistiae nuda aperteque expressa repraesentatio in primaeva arte Christiana; cuius rei caussa multiplex, meo iudicio, esse debet; ratio vero praecipua ipsa sacramenti natura et sanctitas, id est corporis Domini manducatio. Etenim, iam inde ab Ecclesiae primordiis non quicumque poterat sacris adstare; sed illi soli qui initiati essent sapientiaque Christiana imbuti. Vera enim sacrificii dominici declaratio durus iam sermo apostolis evaserat, Pharisaeis autem scandalum; quum vero Bithyniae gubernator Plinius de Christianorum inquisivit cultu, en quid potuit rescire: « Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae vel erroris, quod essent soliti, stato die, ante lucem, convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse rursumque coeundi *ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium* ». (1) Abercius ac Pectorius de eucharistia quidem loquuntur, sed ita ut a fidelibus solummodo intelligi possent:

Haec qui intelligit quique eadem sentit oret pro Abercio.

Sed iam antea S. Iustinus arcani legem circa eucharistiam supponit, cum ait: « Ritus quidem apud veteres propitiationis pro hominibus, qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur edocuit: sed tu qui ad Christum venisti, pontificem verum,

(1) Plin. Iun. *Epist.* X, 96. Mysterium eucharisticum, ut animadvertit Delaunay, *magnum* fuit *arcanum*, quaesitum quidem, sed minime a Plinio inventum. (Delaunay, *L'Eglise chrétienne devant la législation romaine*, ap. *Comptes-rendus de l'Acad. des inscriptions*, 1879, pp. 30–64).

qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit, et reconciliavit te Patri, non haereas in sanguine carnis; sed disce potius sanguinem Verbi Dei, et audi ipsum tibi dicentem quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. *Novit, qui mysteriis imbutus est*, et carnem et sanguinem Verbi Dei. Non ergo immoremur in his quae *scientibus nota sunt, et ignorantibus patere non possunt*».(1) Item: «Suscepti ergo sumus a Christo, et mundata est domus nostra a peccatis prioribus et ornata est ornamentis sacramentorum fidelium, *quae norunt qui initiati sunt*».(2) De *lege silentii* Tertullianus etiam loquitur;(3) denique, ad eam confirmandam Celsi sufficeret accusatio, qui arcanam Christianorum vocavit doctrinam δόγμα κρύφιον; atque illud quod Origenes, Celsi accusationem repellens, quaedam fateatur dogmata arcana quidem esse: «Sed hoc Christiani, ait, cum philosophis commune habent».(4)

Antiquissima vero omnium legis huius indicia iam apud Διδαχὴν τῶν δώδεκα ἀποστόλων a Bryennio episcopo Constantinopoli editam, I. B. De Rossi invenit; quam quidem legem ex illis progenitam Christi verbis esse affirmat: *Nolite dare sanctum canibus.*(5)

(1) S. Iustinus, *In Leviticum*, hom. 9, n. 10, *P. G.* XII, 523.

(2) S. Iustinus, *In Exodum*, hom. 8, n. 4, *P. G.* XII, 356.

(3) Tertullianus, *Apol.* VII.

(4) Orig. *Contra Celsum*, lib. I, n. 7, *P. G.* XI, 667 sq.: Τίνα γὰρ λανθάνει ἡ ἐκ Παρθένου γέννησις Ἰησοῦ καὶ ὁ ἐσταυρωμένος, καὶ ἡ παρὰ πολλοῖς πεπιστευμένη ἀνάστασις αὐτοῦ, καὶ ἡ καταγγελλομένη κρίσις, κολάζουσα μὲν κατ' ἀξίαν τοὺς ἁμαρτάνοντας γέρως δ'ἀξιοῦσα τοὺς δικαίους; Ἀλλὰ καὶ μὴν νοηθὲν τὸ περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον, θρυλλεῖται γελώμενον ὑπὸ τῶν ἀπίστων. Ἐπὶ τούτοις οὖν, λέγειν κρύφιον εἶναι τὸ δόγμα, πάνυ ἐστὶ ἄτοπον, τὸ δεῖναι τίνα οἷον μετὰ τὰ ἐξωτερικά, μὴ εἰς τοὺς πολλοὺς φθάνοντα, οὐ μόνου ἴδιον τοῦ Χριστιανῶν λόγου, ἀλλὰ γὰρ καὶ τῶν φιλοσόφων, παῤ οἷς τίνες μὲν ἦσαν ἐξωτερικοὶ λόγοι, ἕτεροι δὲ ἐσωτερικοί... Καὶ πάντα δὲ τὰ πανταχοῦ μυστήρια κατὰ τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον κρύφια οὐ διαβέβληται· διόπερ μάτην μηδὲ νοήσας ἀκριβῶς τὸ κρύφιον τοῦ Χριστιανισμοῦ, διαβάλλει αὐτό.

(5) Matth. VII, 6. — Praestat doctissimi viri textum referre: «I simboli arcani esprimenti il mistero dell' eucaristia, cioè l' ΙΧΘΥΣ (Ἰησοῦς

Hactenus prolati textus satis commonstrant, iam inde a saeculi secundi initio, quamdam Christianis fuisse eucharistici sacrificii occultandi curam, illudque, cum oporteret, sub specie convivii dissimulandi. Atqui, id mirum in modum priscis comprobatur picturis, quae semper et ubique symbolum, numquam vero meram et apertam eucharistiae repraesentationem prae se ferunt.(1) Hisce positis, ad singulas symbolorum series veniamus.

Duo pisces cum speciebus eucharisticis. — Omnium antiquissima eucharistiae symbola in cryptis Lucinae, apud coemeterium Callisti, iuxta De Rossi, apparent, iuxta vero Wilpert, illa eiusdem aetatis sunt atque pictura quaedam ab ipso inventa in coemeterio Priscillae, quam *Fracti panis* appellavit (id est primae secundi saeculi partis).

Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ) applicato al pane e al vino della mensa eucaristica, appaiono uniformi e solenni nell'epigrafia ed iconografia cristiana tra il secolo secondo e gli inizii del terzo in Asia, nelle Gallie, in Roma. Adunque le formole liturgiche, che serbano assoluto silenzio circa quel mistero, quali sono quelle della Διδαχή, non possono essere stimate complete nè prima nè dopo il disgiungimento dell'agape dall'oblazione eucaristica. E chi voglia supporle complete non potrà ragionevolmente assegnarne il tempo, per quanto salga indietro dagli inizii del secolo III agli esordii della cristianità.

« Il modo di riferire le preci eucaristiche adoperato nella Διδαχή, sopprimendo le formole più strettamente attinenti al mistero, conviene alla disciplina appellata dell'arcano; l'epoca della sua origine è incerta, ma assai antica: la Διδαχή sembra un nuovo documento dell'alta antichità di quella disciplina ... Insomma la liturgia eucaristica della Διδαχή è conforme al rigore della consuetudine o legge dell'arcano » (*Bull. di arch. crist.* 1886, pp. 23–24).

(1) Conclusio ista, iam a plurimis historiae viris peritissimis proposita, minime placuit egregio Battifol, qui et multo tardius coepisse, et non nisi medio saeculo quinto plene viguisse arcani legem adstruxit (*Etudes d'histoire et de théologie positive*, Paris, V. Lecoffre, 1902, p. 3 sq.). Verum contra relata documenta nescio quid valeat auctor opponere; dicamus potius neque ubique eodem modo, neque circa omnia dogmata observatam legem eiusmodi fuisse, ac praesertim eucharisticum respexisse sacrificium, magisque e mutua inter fideles conventione quam e decretorio Ecclesiae praecepto emanasse. Cf. Funk, *Das Alter der Arkandisciplin*, ap. Tubingae *Quartalschrift*, an. 1903, pp. 66–90; Wilpert, *Fractio panis*, p. 110.

Antequam de catacumbarum picturis Wilpertinum volumen in lucem ederetur, nulla fideliter harum figurarum repetita imago habebatur. Omnes quidem De Rossi sequebantur sententiam, nempe pisces species eucharisticas super dorso portare, marisque summis in undis natare. Tabula nostra (Tab. extra textum I), fidelissime picturas adumbrans (e Wilperti quidem opere excerpta), clare commonstrat pisces in viridi quadam area iuxta canistra panibus repleta iacere. Hic autem maxime notandum est in media utraque sporta vas esse vitreum, liquorem rubrum, id est vinum continens. Cum autem panes in altero calatho quinque, in altero vero sex, erroris forsan caussa, cernantur, pictura, ut rite ait Wilpert, panum et piscium multiplicationem sapit, ac nullo potest modo ei textus S. Hieronymi applicari de Exuperio, Tolosatium episcopo, qui pauperibus vasa sacra distribuerat, dicentis: « Nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro vimineo et sanguinem portat in vitro ».[1] Haec enim S. Hieronymi verba, praeter quam de episcopo et minime de pisce loquantur, tardioris sunt aetatis quam ut possint ad picturam secundi saeculi ineuntis interpretandam adhiberi.[2]

Fractio panis (Tab. extra textum II, 1). — Si diversas de hac pictura auctorum sententias expendere hic vellem, facile integrum conficerem librum. Etenim, sunt qui de agape in ea agi putent, et qui eam caelestis convivii repraesentationem esse dicant, aut hoc simul et eucharisticum convivium adumbrare; sunt qui eam solummodo eucharisticam figuram existiment et quidem liturgicam; nec vero desunt qui dumtaxat symbolicam, ac denique qui partim symbolicam partim vero res ipsas exhibentem. Istis libenter assentimur. Pictura autem convivium prae se fert, ad quod sex convivae discumbunt, quinque viri unaque mulier; sedens vero ante mensam, ad dexteram partem convivarum, septimus quidam vir barbatus panem frangit. Ad latera mensae septem sunt canistra, quattuor in dextra ac tria in si-

(1) Hieron. *Ep.* CXXV, *P. L.* XXII, col. 1085.
(2) Cf. Wilpert, *Pitture*, textus, pp. 265–266.

nistra parte, ante vero convivas super duobus catinis quinque panes duoque pisces appositi sunt; denique iuxta eum qui panem frangit calix adest ansis instructus.

Porro, iuxta normas iam supra traditas, haud dubium esse potest quid pictura ista repraesentet: non sane convivium funebre, illud scilicet quod ad animas defunctorum iuvandas aut ad martyres honore prosequendos eorumque patrocinium impetrandum celebrabatur; neque convivium caeleste, uti plerumque Lutherianismi assectatores atque unus vel alter catholicus quidem archaeologus arbitrati sunt; sed eucharisticum convivium, illudque solum, ea pictura adumbratur. Etenim, neque panis fractio, neque panum pisciumque multiplicationis commemoratio prioribus convenit conviviis; neque denique unicus ille calix ansis instructus, qui, non secus ac cetera indicia, eucharistiam innuit. Caelestis enim mensa potatione praesertim atque quasi immoderata convivarum laetitia ab eucharistico in picturis distinguitur convivio; varius insuper in huius mensae repraesentatione numerus est discumbentium; mulieres vero numquam velatae apparent, sicut in pictura nostra; unicus denique plerumque piscis in ea appositus conspicitur.

Egregius H. Leclercq, eo quod convivae sint discumbentes, concludit praefata pictura significari agapen quae, tunc temporis, una cum eucharistia celebrabatur; utrique enim episcopus praesidebat, ac panum multiplicationis figura aeque utraque mensa adumbrari poterat. (1) Eiusmodi opinio, quam ex parte Lutheriani quidam auctores iampridem protulerant, negat in summa ibi esse eucharistiae symbolum ubi eucharistia re atque ad unguem non sit repraesentata; sed tunc de omnibus cuiuscumque generis symbolis actum esset. Deinde, contra eas, sane plurimas, rationes quae ut turbarum refectiones eucharistiae symbola extitisse demonstraretur sunt allatae, unicum opponit textum saeculi incipientis quinti, secundum quem intuens quidam agapes repraesentationem, de panum multiplicatione cogitationem mente conceperit. (2) Non est profecto cur tempus

(1) *Dictionn. d'arch. chrét. et de liturg.* art. *Agape*, col. 801.

(2) S. Paulinus, *Ep.* XIII, *P. L.* t. XLI, col. 213.

teramus in eiusmodi nugis refutandis: statim picturae interpretationem potius aggrediamur.

A S. Ignatio martyre, qui initio saeculi secundi floruit, scimus morem, eo quidem tempore, fuisse ut episcopus praesideret Christianorum congregationibus, panemque consecratum frangeret.(1) Ex eodem Patre, insuper, compertum habemus nedum panem, etiam vinum consecratum fuisse: « Panem Dei volo, qui corpus est Iesu Christi; et in potum eius sanguinem, qui agape est incorruptibilis ».(2) Clarius autem utriusque elementi consecratio e S. Iustino martyre habetur: « Atque hoc alimentum apud nos vocatur eucharistia, cuius nemini alii licet esse participi, nisi qui credat vera esse quae docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat ut Christus tradidit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum, per verbum Dei caro factus, Iesus Christus, Salvator noster, et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa; sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam apostoli in commentariis suis, quae vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt: eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem. Hoc est corpus meum*; et poculo similiter accepto, actisque gratiis, dixisse: *Hic est sanguis meus,* ipsisque solis tradidisse ».(3)

(1) Μηδεὶς χωρὶς ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω,... (S. IGNAT. *Ep. ad Smyrn.* n. VIII).

(2) Ἄρτον Θεοῦ θέλω ὅ ἐστιν σάρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ,... καὶ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος (S. IGNAT. *Ep. ad Romanos*, n. VIII).

(3) IUSTIN. *Apolog.* I, c. 66, *P. G.* VI, 428-429: Καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία· ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν. Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμ-

Item e S. Irenaeo: «... Mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, et fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia ».[1] Denique idem Pater, Marci haeretici dolos revelans, ait: « Pro calice enim vino mixto fingens se gratias agere et in multum extendens sermonem invocationis, purpureum et rubicundum apparere facit; ut putetur ea gratia ab iis, quae sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per invocationem eius... ».[2]

In nostra igitur pictura, virum barbatum, qui honoratiorem locum, iuxta illius temporis morem, tenet (dextrum nempe cornu), seu qui agapae praesidere videtur, panemque frangit, episcopum esse haud ambigendum. Convivae autem, sicut in ceteris eucharisticae mensae figuris, non manducantes, sed manducaturi apparent; nec tamen, sicut alibi, adclamantes, sed quasi inter se loquentes; necnon proprium unusquisque habitum vultumque habet et affectum significat. Sunt autem sex, sed eorum numerus praesidentis persona completur; unde huic coemeterialium picturarum antiquissimae imagini, numeri septem mysticus ille adhibendus est sensus, qui in Scripturis sacris et apud Patres multitudinem significat.

Denique, panes quinque duoque pisces, necnon septem ad latera mensae disposita canistra panibus repleta, cum de sym-

θάνομεν· ἀλλ' ὅν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι αὐτοῖς· τὸν Ἰησοῦν λαβόντα ἄρτον, εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησίν μου, τουτέστι τὸ σῶμά μου· καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· τοῦτό ἐστι αἷμά μου, μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι.

(1) IRENAEUS, *Contra haer.* lib. V, 2, n. 3, *P. G.* VII, col. 1125 sq.

(2) IRENAEUS, loc. cit. lib. I, 13, n. 2, *P. G.* VII, col. 579. — Cf. TERTULL. *De orat.* VI et *Adv. Marcion.* lib. III, 19; lib. IV, 40 CYPRIAN. *Ep.* LXIII, 1, 2, 9, 10, 11.

bolica picturae indole, tum vero de eius eucharistico sensu testantur. Adde calicem ansatum, qui morem calicis vini consecrati circumferendi, ut omnes de *uno calice participarent*, commemorat. De usu autem unici calicis adhibendi testis est Iustinus qui, in sua prima apologia, eucharisticam describens liturgiam, post pacis osculum (Ἀλλήλοις φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν), *calicem* ait *praesidenti fratrum afferri aqua vinoque repletum*;[1] idemque ex aliis colligitur Patrum scriptis, ac praesertim ex his apostolicarum Constitutionum verbis: « Ac episcopus quidem tribuat oblatam, dicens: Corpus Christi; et qui recipit respondeat: Amen. Diaconus vero teneat calicem, ac tradendo dicat: Sanguis Christi, calix vitae; et qui bibit, Amen respondeat. »[2] Unius igitur calicis figura ante praesidentem omne convivii genus praeter eucharisticum excludit, idemque ipsa eius forma confirmat, nam vasa quae alibi ut eucharistica aestimantur, ansis duabus plerumque praedita apparent.

Ad habitum autem gestumve convivarum quod attinet, qui parum, iuxta Roller, Leclercq aliosque, eucharistiam sumentibus conveniret, respondendum est, nondum ibi eucharistiam distribui, neque sumi, et cum nondum esset tunc temporis agape ab eucharistia separata, bene potuit agapes cogitatio permanere, licet mensae adiuncta omnino eucharistiam indicent. Alio-

(1) Ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος (Iustin. *Apol.* I, 65). — De more aquam vino miscendi in calice consecrationis plura extant et quidem antiquissima testimonia; at non nisi saeculo secundo Patres mysticum sensum admixtioni eiusmodi tribuerunt (Cf. Irenaeus, *Contra haer.* lib. V, 1, *P. G.* VII, col. 1123 et Cyprian. *Ep.* LXIII, 13, *P. L.* IV, 383 sq.). In Abercii carmine vinum eucharisticum κέρασμα appellatur, idest *mixtum*; et Clemens Alexandrinus id fuisse Ecclesiae praeceptum affirmat: «Et iis, qui carent prudentia, iubeo, inquit Sapientia, scilicet iis qui versantur in haeresibus: *Panes absconsos lubenter tangite, et aquam furti dulcem*: ubi per *panem* et *aquam* eas haereses clare notat Scriptura, quae, in oblatione, pane et aqua aliter utuntur, quam Ecclesiae canonibus praecipitur. Sunt enim qui sola aqua utuntur in Eucharistia » (Clemens Alex. *Strom.* lib. I, xix, *P. G.* VIII, col. 814).

(2) *Constit. apost.* lib. VIII, c. 13, col. 1110.

quin, si ipse Iustinus, qui in sua apologia omnino inauditas res profanis revelavit, ritum eucharistiae sumendae prorsus omisit, aliique auctores ad quartum usque saeculum fere nihil de eodem protulere; curnam ritum tam sedulo occultatum debuissent Christiani pictores profanorum oculis prodere? Id enim ex auctoribus priorum trium saeculorum dumtaxat colligitur, nempe corpus Christi manibus suis fideles recepisse; nam in Tertulliano legimus: « Ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens: Christianum ab idolis in ecclesiam venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum,... eas manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora conferunt? » (1) Id autem iam ante Tertullianum affirmatum invenimus, scilicet in Pectorii epigrammate, in quo legitur:

> Salvatoris sanctorum, dulce ut mel, sume cibum,
> Manduca ardenter, piscem tenens manibus. (2)

Neque aliter Iustinus innuit cum dicat: « Quando praesidens precem eucharisticam absolvit, omnis populus respondet: Amen; diaconi vero, ita enim apud nos (ministri) vocantur, unicuique eucharistiam distribuunt assistentium, panem scilicet vinumque aquae mixtum, super quo formula eucharistica prolata est ». (3)

Nec quidquam aliud est quod, ante saeculum quartum de habitu corporis in eucharistia recipienda certiores nos faciat; postea vero en quid hanc circa rem S. Cyrillus Hierosolymitanus referat: « Audiens igitur, ne expansis manuum volis, neque disiunctis digitis accede; sed sinistram velut thronum subiiciens dexterae, utpote regem suscepturae; et concava manu suscipe

(1) TERTULL. *De idolis*, c. VII.

(2) Σωτῆρος ἁγίων μελιηδέα λάμβανε β(ρῶσιν),
Ἔσθιε πινάον, ἰχθὺν ἔχων παλάμαις.

(3) Οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων, ἀμήν... εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντον παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παῤ ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς... etc. IUSTINUS, *Apol.* I, c. LXV.

corpus Christi, respondens: Amen. Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe; advigilans ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim intercidere patieris, id tibi tamquam ex propriis membris deminutum puta... Tum vero, post communionem corporis Christi, accede



Tab. 136. Pictura eucharistica coem. S. Callisti, in cubiculo A^2.
(Ex WILPERT, *Le pitture*, etc.).

et ad sanguinis poculum: non extendens manus; sed pronus, et adorationis et venerationis in modum dicens *Amen*, sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhaeret ex eo mador, manibus attingens, et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifices».[1]

(1) CYRILL. IEROSOL. *Catech.* XXIII, c. 21. Sub specie panis solummodo poterat eucharistia domum deferri ac reservari, iuxta haec Tertulliani verba: «Nonne sollemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii» (TERTULL. *De oratione*, 14).

Cum autem, ut modo dictum est, de habitu gestuque Christianorum, tribus prioribus saeculis, eucharistiam sub specie panis accipientium nihil, nisi dubitanter, coniicere valeamus, non est proinde cur e figurarum depictarum habitu certum repraesentationum huiusce aetatis sensum, quoad eucharistiam, depromi posse arbitremur.

At inter alia quae a nonnullis (praesertim e Lutherianis auctoribus) obiiciuntur ut omnis huic picturae eucharisticus

Mystici sacrificii, seu consecrationis symbolum. Mensa eucharistica. Sacrificium Abraham crucis sacrificii cruenti symbolum.

Tab. 137. Picturae eucharisticae coem. S. Callisti.

sensus adimatur, vel illud est, quod in ea vir quidem adest panem frangens, atque etiam quaedam forsan liturgica exhibetur fractio; verum id minime fractionem eucharisticam innuere. Deinde ad difficultatem corroborandam canon quidam Hippolyti affertur, qui de fractione non eucharistica loquitur. Ut melius res pateat operae pretium est huius canonis verba referre: Canon 35, n. 180. « Diaconus in agape, absente presbytero, vicem gerat presbyteri quantum pertinet ad orationem et fractionem panis, quem invitatis distribuat ».

N. 181. « Laico autem non convenit ut signet panem, sed tantummodo frangat, nihil praeterea faciat ». (1)

Porro, aiunt, hic quidem de fractione panis fit mentio, sed et diaconus et laicus, *absente presbytero,* panem frangere ac convivis distribuere potest.

Respondemus: Cum ibi sint alia certissima eucharistiae indicia, nempe unicus calix, panum et piscium multiplicationis

(1) Duchesne, *Origines du culte chrétien*, p. 537.

commemoratio, necnon illud, quod effigies super loco depicta sit ubi erat altare; pro eucharistica significatione maxima stat praesumptio.

Ceterum, quidnam canon relatus probat? Scilicet quod saeculo ineunte tertio, quando Hippolyti canones e communiori sententia redacti sunt, agape liturgica haud secus quam eucharistica agape celebrabatur. Sed hoc nihil evincit, nam, illud ante tempus de huiuscemodi ritus similitudine nulla habetur mentio, documenta vero canonibus istis anteriora cum de pane fracto loquuntur semper eucharistiam innuunt. (1)

Turbarum prodigiosa epulatio, prandium iuxta lacum Tiberiadis. — Panum multiplicatio vicies et octies in Romanis coemeteriis conspicitur depicta, semel tantum in Alexandrinis catacumbis (in Aegypto); persaepe vero et ubique gentium in sarcophagorum anaglyptis apparet. Eam primum coemeterii S. Callisti parietes produnt, atque ita cum aliis compositam

(1) Omissis evangeliorum textibus necnon S. Pauli epistola ad Corinthios prima, quibus eucharistiae institutio narratur, saeculo primo haec habentur testimonia:

Actus Apostolorum.

II, 42: Ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαις.	Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.
II, 46: Καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδον ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, μετελαμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας.	Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis.
XX, 11: Ἀναβὰς δὲ καὶ κλάσας ἄρτον καὶ γευσάμενος, ἐφ' ἱκανόν τε ὁμιλήσας ἄχρις αὐγῆς, οὕτως ἐξῆλθεν.	Ascendens autem, frangensque panem, et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est.

Fractio panis in relatis textibus haud potest pro agape liturgica intelligi, neque pro communi epulatione; nam, praeterquamquod analogica ratio exigit ut eodem accipiatur sensu ac in evangeliis et in epistolis Paulinis exhibetur, omnino non intelligitur cur tanti facerent apostoli convivium, in quo panem solummodo manducabant, ut illud pluries cum miraculis praecipuisque apostolicae praedicationis actibus commemorarent.

symbolis varioque modo, ut nihil ea clarius possit in picturarum repraesentationibus inveniri. Ibi enim symboli quemdam processum, seu, ut nunc aiunt, quamdam evolutionem videre est, ut patet ex tabulis. Etenim, in cubiculo A^2 (Tab. 136) tripus piscem inter duos panes cruciferos sustinens conspicitur, ad cuius latera septem referta panibus canistra disposita sunt: nempe tria hic et quattuor illic. Profecto, nisi de eucha-

Tab. 138. Pictura eucharistica. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

ristia agatur, quidnam huiuscemodi figura repraesentet, prorsus ignoraretur. Eucharistiam autem ibi significari ex panum multiplicationis commemoratione, quam canistra suggerunt, colligitur: quid autem tripus interpretandum exhibeat, id mox videbimus; piscem vero quem sustinet ac panes corporis esse Christi figuras haud est dubium.

In cubiculo A^3 item eucharistica symbola apparent, sed mirum in modum inter se composita. Ad dexteram enim parietis medii est Abrahae sacrificium (Tabb. 137, 138) de quo iam locuti sumus, atque hic uti eucharisticum symbolum con-

siderandum est. Namque si, ex omnium Patrum sententia, crucis sacrificii figura hoc ipsum Abrahae sacrificium fuit, nihil aptius hic depingi poterat, cum ex dispositione illud, sacrificii cruenti instar, sacrificio mystico opponatur (Tab. 139). Est enim in altera parietis parte tripus piscem ac panem cruciferum sustinens inter viri et mulieris figuras. Vir, pallio Graeco coopertus,

Tab. 139. Pictura eucharistica. (Ex WILPERT, *Le pitture*, etc.).

manus pisci admovet, quasi eum apprehendere velit; mulier vero manibus expansis orat. Interpretatio obvia sane est, nempe tripus altare repraesentat, cui adstat sacerdos; mulier vero orans anima defuncti est atque sacrificii effectum adumbrat, nempe aeternae beatitudinis adeptionem, quam quidem in sacrificio missae et hodie sacerdos impetrat, ac quae, ut vidimus, ipsis in epitaphiis significatur et petitur.[1] Non videtur ab hac repraesentatione cogitatio multiplicationis panum esse aliena, sicut

(1) Cf. vol. II parte prima, pp. 96 sq.

aliena non est a quodam titulo in S. Agnetis coemeterio ab Armellini invento (Tab. 141), qui unius piscis uniusque panis effigiem prae se fert. Hoc in casu, uti Wilpert opinatur, sacerdos ipse esset Christus.

Tab. 140. Pictura eucharistica. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

Alia est huiuscemodi imago, in qua Christo panes multiplicanti mulieris orantis adstat effigies, quaeque haud dubie animam defuncti repraesentat. Itaque non est necesse novam indu-



Tab. 141. Symbola eucharistica. (Coem. S. Agnetis).

cere in symbolis coemeterialibus mentis excogitationem ut picturam istam interpretemur; nam, uti animadvertimus, numquam orantis figura in catacumbis Ecclesiae personam significat, et aliunde actum, quo Christus panes ac pisces multipli-

cavit, consecrationis symbolum evasisse pro certo habendum est, iuxta ea quae supra diximus atque ut fusius mox ostendetur.

Ceteroquin hanc significationem confirmat convivii species in medio depicta, id est inter cruentum et mysticum sacrificium. Ibi enim septem personae discumbentes apparent circa stibadium, ante quod octo numerantur canistra panibus referta; denique duo pisces appositi sunt. Quod octo, non autem septem, canistra conspiciantur, id vel errore, vel ex industria, symmetriae caussa, certo evenit. Est adhuc igitur turbarum refectionis cogitatio a pictore expressa, proindeque duplicis Dominici sacrificii naturalis propriaque consequentia, nempe communio. (1)

Fuerunt qui mulieris orantis figuram pro Fide (πίστις) acciperent quae, ut vidimus, Abercii, episcopi Hieropolitani, *ubique fuit dux, praebuitque ei cibum piscem e fonte ingentem, purum quem prehendit virgo casta*; imo egregius Marucchi Fidem ac Virginem castam Aberciani epigrammatis in unicam personam confundit perinde quasi haec personae inductio explicaret cur orantis figura Ecclesiam repraesentet. (2) Huiuscemodi

(1) De hac pictura en quid egregius Wilpert habet: « In A3 il miracolo compiuto per cibare la moltitudine fu svolto in modo non mai veduto. Nella parete, di fronte all'ingresso, vediamo Cristo vestito del mantello filosofico in procinto di compiere su di un *pesce* ed un *pane* il miracolo della moltiplicazione. Egli tiene la mano destra (accennata alla sfuggita) sull'ΙΧΘΥΣ, mentre la sinistra pende inerte. Per far vedere che s'intendeva rappresentare non il miracolo storico come tale, ma simbolicamente la *consacrazione*, che è l'atto più importante del sacrificio eucaristico, l'artista introdusse nella sua composizione un dettaglio dell'antitipo, dipingendo il pane ed il pesce su d'una *mensa, l'altare*; in tal guisa celebrandosi il santo sacrificio stava il pane ed il calice sull'*altare*, la *mensa del Signore* τράπεζα κυρίου, come dice S. Paolo » (WILPERT, *Pitture*, textus, p. 266).

« A destra dell'altare si vede una *orante* velata, che significa l'anima beata della defunta. Mediante questa pittura l'artista alluse all'effetto della comunione, nella stessa guisa che anche gli antichi scrittori non parlano dell'Eucaristia senza rilevare in qualche modo l'efficacia della comunione » (WILPERT, *Le pitture*, textus, p. 266).

(2) MARUCCHI, *Manuale di arch. crist.* Roma, 1908, p. 328. – Cf. DE ROSSI, *Roma sott.* t. II, p. 339 seq.

interpretationes nobis minime probantur, quia exquisitiores quam ut par est et reconditae nimis videntur. Ceterum eligant studiosi quod sibi magis arriserit; quomodocumque enim sit res, picturarum sensus non mutatur. (1) Aliud potius considerandum est, scilicet in cubiculo A 3 explicatum conspici quod in cubiculo praecedenti A 2 summatim repraesentatum est. (Tabb. 137, 136). Praeterea ad plenam picturarum cubiculi A3 intelligentiam consulantur quae infra de turbarum epulationis repraesentationibus dicuntur.

Eadem eonvivii figura in cubiculo proximo A 5 depicta est, sed rectius, scilicet cum septem canistris; in sequenti autem cubiculo A 6, forsan propter spatii copiam, non quidem septem sed duodecim canistra sunt, neque ante mensam, sed sena ad utrumque latus distributa. Nihilominus ad dexteram non nisi quinque nunc apparent quia corium parietis pessum ivit; ad sinistram vero sex; sed ultimi calathi pars inferior tantum eiusque umbra sunt servatae (Tab. 142).

Sunt qui convivarum numerum septem ex eo dicant venire, quod picturae convivales eiusmodi ad septem discipulos piscem assum post prodigiosam piscationem manducantes alludant. Equidem non inficior id forte veri esse simile, propterea quod in cubiculo A 2 statim post baptismi symbola mensa septem piscatorum repraesentata sit; at etiam in hoc casu, septem discipuli multitudinem fidelium, seu Ecclesiam, repraesentant, necnon ipsum discipulorum convivium eucharistiae sumptionem adumbrat. En quomodo S. Augustinus illud mystice commentatur: « Piscis assus, Christus est passus. Ipse est et panis qui de coelo descendit (Ioann. 6, 41). Huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam. Propterea dictum est: *Afferte de piscibus quos apprehendistis nunc*, ut omnes qui hanc spem gerimus per illum septenarium numerum discipulorum, per quem potest hoc loco nostra universitas intel-

(1) Animadvertat tamen studiosus, alias esse figuras orantium quae deberent eodem sensu atque ista accipi, quaeque nihilominus personam Ecclesiae fideive omnino excludant, sed uti animarum intelligibiles (ut ita dicam) imagines seu inductiones se prodant.



Tab. 142. Pictura eucharistica coem. S. Callisti, in cubiculo A^6 (Ex Wilpert, *Le Pitture*, etc).

ligi figurata, tanto Sacramento nos communicare nossemus, et eidem beatitudini sociari ». (1) Item S. Prosperus Aquitanus, vel qui auctor est libri *De promissionibus et praedictionibus Dei*, haec habet: « Latine piscem sacris litteris maiores nostri hoc interpretati sunt, quod est Iesus Christus Filius Dei Salvator, piscis in sua passione decoctus, cuius ex interioribus remediis quotidie illuminamur et pascimur... Christus intelligitur per piscem,... qui caecato lumen reddidit Paulo (*Act.* 9, 18) satians ex se ipso in littore discipulos et toti se offerens mundo ἰχθύν ». (2)

Dictum est ab uno alteroque erudito, idemque a quibusdam semidoctis repetitur, non posse Patrum saeculi quarti testimonia adduci

(1) S. Augustinus, *In Ioan. Tract.* 132, *P. L.* XXXV, col. 1966.

(2) S. Prosp. Aquit. *De prom. et praed. Dei*, c. 2, 39, *P. L.* LI, col. 816.

ad picturas secundi saeculi explicandas. Audacior et incondita opinio ista a me iam refutata fuit in *Ephemeridibus liturgicis* anni millesimi nongentesimi octavi; quam autem falsa sit, studiosi, ex his quae attuli saeculi tertii testimoniis aliisque argumentis, facile intelligere poterunt. Nihilominus, si de convivio septem discipulorum agatur, non deerit fortasse cui probabilis sententia illa videatur. Verumtamen, attenta picturarum consideratio etiam pro huiuscemodi effigie opinionem praefatam explodit, nam ipsum hoc depictum convivium, haud secus atque cetera convivia aliaque eucharistica symbola, baptismatis figuras sequitur, quod certe ad morem refertur statim post baptisma eucharistiae ministrandae. Id S. Ignatius, Clemens Alexandrinus, Iustinus, aliique Patres testantur necnon vetustissima documenta liturgica;[1] idemque Pectorii epigramma, in quo legimus: *Tuam, amice, foveto animam aquis perennibus sapientiae largientis divitias. Salvatoris sanctorum dulce sume cibum, manduca esuriens, piscem tenens manibus.*[2]

Tandem praefatae omnes picturae naturam suam produnt eo etiam, quod symbola resurrectionis aeternaeque remunerationis praecedant. Ut enim egregius Wilpert ait, in evangelica doctrina et Christianae fidei compage, eucharistia et vita aeterna duae sunt conceptiones animi inter se prorsus haud dissolubiles; unde qui de una loquitur, et aliam significet quasi necesse est. Sic, exempli gratia, in *Doctrina duodecim apostolorum* haec habentur: « Tu, Domine omnipotens... cibum potumque dedisti hominibus ad fruendum, ut tibi gratias agant; nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam ».[3]

(1) S. Ignatius, *Ep. ad Smyrn.* c. 8, ed. Funk, 241; Clemens Alex. *Pedag.* I, 6, *P. G.* VIII, col. 303; S. Iustinus, *Apol.* I, c. 65, ed. Maur. p. 85.

(2) Mos eucharistiae neophytis de piscina exeuntibus ministrandae ad nonum usque saeculum saltem perduravit, atque in statutis abbatis Riculfi anni 889 ista adhuc legebantur: « Instanter quoque monemus ut scrutinia per baptismales ecclesias statuto intra quadragesimam tempore generaliter fiant. Et ut baptizati mox post baptismum Eucharistiam, id est communionem sanctam, percipiant, sollicite vos studere praecipimus » (*P. L.* CXXXI, col. 18). — Cf. Wilpert, *Le pitture*, textus, p. 261 sq.

(3) *Doctrina duod. Apost.* c. X, ed. Funk, p. clxiii.

De resurrectione autem, ut iam compertum est, idem dicendum, atque in praesenti unum tantum referam testimonium, nempe Irenaei: « Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur?... Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et caelesti: sic et corpora nostra percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia ». (1) His omnibus ceteri Patres concinunt necnon omnes liturgiae, ac denique ipsa Iesu Christi verba, ut iam satius demonstratum est supra. In tanta igitur documentorum concordia, monumenta etiamsi nonnisi obscurius agnoscerentur, quoad significationem discrepare, haud praesumendum esset: atqui, monumenta, ut vidimus, quam maxime sibi et documentis consonant.

Animadversio in relatas eucharisticas picturas. — Picturae eucharisticae quas supra recensuimus, si generatim panum ac piscium multiplicationes innuunt, non eodem tamen repraesentatae sunt modo, earumque antiquiores etiam eloquentiores videntur, licet symbolicus sensus in posterioribus magis magisque evolvatur. Primaeva enim symbola, praeter panem ac pisces, etiam vinum proferunt vel saltem consecrationis poculum; mirumque in modum, uti deprehendere est, eiusdem temporis ritibus consonant. Nec deest quaedam rerum externarum adumbratio, ut apud picturam *Fractionem panis* nuncupatam, in qua praeses revera praesidet, panem frangit, et ante se poculum habet ansatum, id est calicem consecrationis. Velata etiam mulieris figura morem illius temporis respicit, nam ex apostolico praecepto mulieres velatae in templo consistere debebant; dum e contra nullum erat capiti discumbentis mulieris velamen, si de mensa non liturgica ageretur.

Rerum in communitatis Christianae vita tunc existentium aliquod indicium etiam in subsequentibus picturis conspicitur,

(1) S. Irenaeus, *Contra haeres.* lib. IV, c. xviii, *P. G.* VII, col. 1027 et seq.

ut tripus qui formam exhibet altaris, et consecrans sacerdos qui ad hostiam manus extendit. Cetera vero symbolica prorsus videntur, atque insuper neque vinum neque calix amplius apparent. Denique, non ita accurate elaboratae sunt posteriores picturae sicut priores; sed rapidis penicilli ictibus delineatae videntur. Nihilominus, quatenus cum circumstantibus symbolis coniunguntur, maioris momenti sunt, quia partes cuiusdam evadunt compositionis, quam non certe artifices illi excogitare potuerunt, sed quae a viro quodam theologo illis suggesta et quasi praestituta fuit.

Art. IV. — Symbola eucharistica saeculi III et IV.

Saeculo secundo, igitur, eucharistia convivii potius figura adumbrata fuit, cui canistra septem vel duodecim, fragmentis panum conferta, conspiciuntur addita. A saeculo autem tertio convivium fere numquam apparet, sed non desunt canistra septem, cui symbolum consecrationis adiunctum est, nempe Christi effigies qui panes, virga tangens, multiplicat. Panes vero cruce signati exhibentur ac nonnunquam Christi monogrammate, de cuius significatione eucharistica dubitare nequimus. Si enim ipsa persona Christi monogrammate significabatur, etiam panis ut Christi corpus videtur accipiendus si eiusmodi sigillo sit instructus; quod ceterum ipsa figurae natura certissime suadet.

Verum, ut rite Wilpert observat, altera esse potest Christi miraculum tale patrantis figurae significatio; nam in *Constitutionibus apostolicis* (1) istud, non secus atque alia quaedam Christi miracula et biblica prodigia, ratio veluti sperandae resurrectionis affertur. Utra vero in singulis ex viginti novem huius miraculi repraesentationibus sit determinata significatio, dicere haud facile est. Idem et de miraculo quo aquam Christus in vinum mutavit est dicendum; quod quidem miraculum tunc apparet, cum piscis in panum multiplicationis repraesentationibus depictus iam non cernitur. Insuper mutatio haec, licet quater

(1) *Const. apost.* 5, 7, *P. G.* I, 843.

solummodo in coemeterialibus picturis inveniatur, tamen non nisi eodem circiter tempore apparet quo de ea a Christianis scriptoribus mentio fit. Primam enim huius Christi miraculi adumbrationem prima saeculi tertii parte depictam reperimus; primusque autem auctor, qui de eo veluti de eucharistico loquatur symbolo, Cyprianus est, quem medio saeculo tertio floruisse omnes apprime norunt.(1) Eodem sensu Cyrillus Hierosolymitanus aliique Patres loquuntur,(2) necnon eamdem hanc cogitationem liturgia praebet.(3)

Mirum prorsus videtur quod quater tantum hoc miraculum depictum sit, dum in anaglyptis saeculi quarti quam saepissime appareat. Sed singula exempla pro uniuscuiusque momento expendenda sunt.

Prima huiuscemodi repraesentatio in coemeterio Ss. Petri et Marcellini habetur, atque ad priorem saeculi tertii pertinet partem. Christus miraculum patrans ad dexteram nuptialis convivii depictus est, atque hoc symbolum una cum baptismi symbolo et figura coniunctum est, nam in eodem arcosolio et Moysis rupem percutientis et ipsius baptismatis repraesentationes adsunt, una cum figura orantis quae, sicut in cubiculo A^3 (p. 180), eucharistiae subindicat effectum.(4)

Secunda repraesentatio item in Ss. Petri et Marcellini coemeterio extat, atque multo priore complexior. Scilicet in quodam arcosolio, ubi medium apparet convivium septem personarum, Christus vero ad dexteram panes multiplicans, ad sinistram aquam in vinum mutans ostenditur. Iam si animadvertatur mensam caelestem esse beatitudinis symbolum, quis negabit eucharistiae sacramentum, duabus sub speciebus hic repraesentatum, praemio aeterno sive convivio paradisiaco coor-

(1) S. Cyprianus, *Ep.* LXIII, 12, *P. L.* IV, 383.

(2) Cyril. Ierosol. *Catech.* XXII (*Mystag.* IV), *P. G.* XXXIII, 1098. — Cf. S. Ambros. *De virginibus*, III, 1, *P. L.* XVI, 219 sq.; S. August. *Tract. in Ioan.* tr. VIII, 1, 3, *P. L.* XXXV, 1450.

(3) *Missale Gothicum*, *P. L.* LXXII, 242; Muratori, *Liturg. Rom. vet.* II, p. 542.

(4) Cf. Wilpert, *Le pitture*, textus, p. 278, tab. 57.

dinatum ex industria ab artifice fuisse? Imago haec medii saeculi quarti esse videtur aliamque huiuscemodi extitisse eodem in coemeterio picturam egregius Wilpert affirmat, hodie quidem maxima ex parte destructam, non ita tamen ut nequeant certo eius argumentum ac partium dispositio colligi.[1]

Quarta huius miraculi repraesentatio in catacumbis Alexandrinis (apud Karmoûz in Aegypto) reperitur, atque ad tertium quartumve saeculum pertinet. Picturae in parte media est Christus sedens, ad cuius pedes duodecim sunt canistra panibus cruciferis repleta. Sinistram Christus super pisces sibi ab apostolo Andrea porrectos extendit, dexteram super panes quos Petrus apostolus offert; inscriptiones autem, quae tres illas designant personas sic dispositae sunt:

	ΠΕτΡΟς	ΙC	ΧC	ΑΝΔΡΕ ΑC
id est:	Petrus	Iesus	Christus	Andreas

In parte picturae dextera trium personarum conspicitur convivium, quod idem atque eucharistica a nobis iam considerata convivia adumbrat, nempe communionem. Legitur quippe supra huius convivii imagine:

ΤΑC ΕΥΛΟΓΙΑC ΤΟΥ ΧΥ
ΕCΘΙΟΝΤΕC
Christi eulogias manducantes.

In sinistra denique parte nuptiae Canae ac miraculum aquae in vinum conversae clare perspiciuntur: plures videlicet viri et mulieres discumbentes, dein Christus, Maria et servi stantes adsunt, his inscriptionibus distincti:

	ΙC	Η ΑΓΙΑ ΜΑΡΙΑ	ΠΑΙΔΙΑ
id est:	Iesus	Sancta Maria	Servi

Iam haec veniunt circa huius picturae figuras animadvertenda: nempe si unquam de picturarum recensitarum eucharistica

(1) Cf. WILPERT, *Le pitture*, textus, pp. 278–279, tab. 186.

significatione dubium superfuisset, id prorsus ante hanc effigiem evanescat oportet. Revera enim *mystica Christi dona* canistra continent, atque cibus quo discumbentes aluntur *Christi eulogia* appellatur, ipsum scilicet corpus et sanguis Iesu Christi. Etenim Εὐλογία, apud novum Testamentum, benedictionem gratiarumque actionem enuntiat; necnon verba εὐλογεῖν et εὐχαριστεῖν tam in multiplicationis panum quam in eucharistiae institutionis narratione promiscue adhibita sunt. (1) Calicem benedictionis Christi sanguinem S. Paulus vocat: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας. (2) In Aegypto insuper vox εὐλογία antonomastice eucharistiam nuncupabat, ut e Cyrillo Alexandrino aliisque scriptoribus habetur; (3) et licet tardius etiam panis solummodo benedictus interdum eulogia fuerit vocatus, alter tamen hic sensus in praesenti excludendus casu, alias propter rationes, omnino videtur. Haec namque pictura in zoophoro absidis cernitur, in qua ara ad sacra facienda erat erecta; qui vero elementa porrigunt multiplicanda apostoli sunt Andreas et Petrus, non autem, iuxta evangelicam narrationem, Andreas et Philippus; ministerium denique apostolorum clare eucharistiae distributionem, secundum Patrum interpretationes, innuit. Sic S. Hilarius: « Nondum enim, ait, concessum (illis) erat ad vitae aeternae cibum caelestem panem perficere ac ministrare ». (4) Et S. Ambrosius: « In apostolorum ministerio futura divisio dominici corporis sanguinisque praemittitur ». (5) Denique duodecim cani-

(1) Matth. XIV, 9, XV, 36, XXVI, 26 et 27; Marc. VI, 41, XIV, 22 et 23; Luc. IX, 16, XXII, 19; Ioan. VI, 11.

(2) I *ad Corinth.* X, 16.

(3) Cf. Holtzinger, *Kunsthistorische Studien*, Tübingen, 1886, p. 52; Suicer, *Thes. eccles.* Amstelodami, 1728, t. I, p. 1248; Giorgi, *Fragmentum Evangelii S. Ioannis graeco-copto-thebaicum saeculi IV*, Romae, 1789, pp. 345, 346.

(4) S. Hilarius, *Comment. in Matth.* XIV, 10, 11, *P. L.* IX, 1000.

(5) S. Ambros. *Expos. Evang. secund. Lucam*, lib. VI, comm. in c. IX, n. 84; *P. L.* XV, 1691. — Ad Petri personam quod pertinet, haec sane notabilia mihi videntur H. Leclercq verba: «Manifestement, il y a ici la pensée de rendre hommage au prince des apôtres; peut-être même a-t-on voulu rappeler sa primauté doctrinale et hiérarchique, son rôle de

stra, potius quam septem, apud Alexandrinos eucharistiae symbolum extitisse videntur, nam etiam in sybillino quodam carmine, Alexandriae concinnato, legimus :

Δώδεκα πληρώσει κοφίνου εἰς παρθένον ἀγνήν. (1)

At aliud est monumentum praesenti rei lucem afferens, nempe eburnea quaedam pyxis ad corpus dominicum asservandum destinata, Carthagineque, saeculo ultimo, inventa, necnon, peritorum iudicio, ad quartum pertinens saeculum. In ea enim idem atque in pictura Alexandrina repraesentatur, sed insuper, praeter duos apostolos elementa multiplicanda Christo porrigentes, etiam alii sunt qui manibus velatis panes a Domino acceptos deferunt distribuendos (Tab. 143). Repraesentatio ista haec in mentem revocat verba, quae, in basilica Vaticana dum Marcellinae virginale conferret velum, pontifex Liberius habuit : « Bonas nuptias filia desiderasti. Vides quantus ad natalem sponsi tui populus convenerit et nemo impastus recedit? Hic est qui rogatus ad nuptias aquam in vino convertit (Ioan., II, 9). In te quoque sincerum sacramentum conferet virginitatis, quae

chef de la foi des autres apôtres et du peuple chrétien suivant la parole de Jésus : καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήρισον τοὺς ἀδελφούς σου, " et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos " (Luc. XXII, 32). On s'explique alors que le chef du sacerdoce chrétien ait été choisi de préférence à tout autre. Cette licence prise avec le texte est d'autant plus significative que l'évangéliste saint Marc n'apparaît pas dans ce groupe, où on aurait pu s'attendre à le rencontrer, s'il ne s'était agi pour l'artiste que de satisfaire la piété ou les légendes locales. C'est donc ici un commentaire du texte évangélique qui offre une réelle importance, bien qu'aucun exégète, à notre connaissance, n'en ait encore tiré parti, tant l'étude des sources monumentales est encore généralement négligée.

« Peut-être est-il possible d'aller plus loin. La substitution de Pierre à Philippe montre que, dans la pensée de l'artiste, il s'agissait beaucoup moins de la multiplication des pains que du sacrement qu'elle figurait ; dès lors, l'apôtre est censé présenter au Christ les oblats eucharistiques, et c'est en effet la doctrine des pères du IV^e^ siècle que le ministère exercé par les apôtres était le type de celui des prêtres dans l'administration de l'eucharistie aux fidèles » (*Dictionn. d'arch. chrét. et de liturg.* art. *Alexandrie* (*archéologie*), col. 1131-1132).

(1) *Carmina sybillina*, lib. I, vers. 339.



Tab. 143. Pyxis eburnea saeculi quarti, Carthagine inventa ac symbolum eucharistiae repraesentans. (Ex *Bull. di arch. crist.* 1891).

prius erat obnoxia vilibus naturae materialis elementis. Hic est qui quinque panibus et duobus piscibus quattuor millia populi in

Tab. 144. Pictura eucharistica in recens reperto hypogeo Viae Latinae (Ex Wilpert, *Le pitt. delle cat.* Tab. 265).

deserto pavit (Luc., IX, 13 sq.). Plura potuit, si plures iam tunc qui pascerentur fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocavit: sed iam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur a caelo ». (1)

(1) S. Ambrosius, *De virginibus*, III, c. 1, *P. L.* XVI, 219 sq.

Igitur, si hac in pyxide panum multiplicatio symbolum eucharistiae est, etiam in Alexandrina pictura, quae super ipso altari elaborata fuit, idem prorsus significat; quod, denique, etiam de pictura *Fractio panis*, uti vidimus, dicendum.

In sinistra vero Alexandrinae picturae consideranda parte, quamvis proprie nostrum ad inceptum attineat, non immorandum; nam ea quae praecedunt satis iam eam illustrant. Ne quis vero talem imaginem inter huiusce voluminis tabulas non referri miretur, unum hic forsitan notare iuvat, scilicet hanc quidem arte, ut aiunt, lithographica pluries fuisse editam, sed ita prorsus incongruenti modo, ut extrema pulvinarium, in quibus ad nuptias invitati accumbunt convivae, veluti nudarum personarum obscoena appareant. Potius itaque tam prava et indecora delineatione sicut alii auctores duximus haud utendum.

Alioquin aquae in vinum conversio, quam perraro diximus in picturis coemeterialibus apparere, in sarcophagorum anaglyptis e contra fere numquam deest, et tunc aliquando ita, ex dispositione, panum multiplicationi est opposita, ut de eius significatione nullum possit superesse dubium. Sed hoc in ultima proximaque operis parte speciali modo erit tractandum.

Iam alia est eucharistica pictura digna prorsus, de qua aliqua verba fiant. Septem quippe abhinc annis quoddam coemeteriolum Christianum, Romae, apud viam Latinam, detectum est; in quo, praeter aliqua titulorum frustula nullius pretii, arcosolium ex omni parte depictum repertum fuit (Tab. 144). Ibi, inter imagines plures quae nihil novi produnt, repraesentatio eucharistica adest sane eximia; nam ad convivium eucharisticum non septem, sed duodecim accumbunt personae. Ad sinistram autem convivii Christus est panes multiplicans; ad dexteram vero mulieris figura orantis. Porro, ex iis quae hucusque recensuimus significatio obvia fit, nempe symbolum consecrationis, communio et sacramenti effectus, seu beatitudo animae defuncti concessa. Pictura igitur ista summam habet cum picturis cubiculi A 3 Callistiani hypogei congruentiam (p. 180) iisdemque constat elementis, licet ordine paullo diverso dispositis. Illic enim symbolum consecrationis statim animae figura sequebatur

et deinde extabat convivium; hic e contra medium convivium tenet locum, nempe inter animam et symbolum consecrationis. Praeterea, hinc perspicue patet, quid orans in tabula 139 (p. 180) significet mulier, quam tamen adhuc nonnulli pro Ecclesiae persona accipiunt. Ceterum, si orantis figura iuxta bonum Pastorem animam defuncti a Christo beatitudine donatam adumbrat; si ante tribunal Christi, benigni exitum ominatur iudicii; si proxima Christo aquam in vinum convertenti, missae sacrificii effectum nempe animae in paradisum admissionem aliquatenus declarat; si prorsus apud alia eucharistica symbola eodem sensu interpretanda comparet, curnam non etiam in cubiculi A 3 pictura similiter esset intelligenda?

Sed duo extant in pictura quam consideramus quae vario ab archaeologis explicata sunt modo, et quae illustraturum me alibi promisi: (1) scilicet duodecim adsunt convivae et plures calices ansati apparent.

H. Marucchi, uti animadverti, ad Valentinianorum ritus tam duodenarium numerum quam plura vasa referenda esse perhibuit; Wilpert vero *novitatem iconographicam* numerum illum vocat; vasa autem plura dicit ex eo repetenda, quod pictor veluti consuetudine id facere solitus esset. (2)

Neutra mihi placet explicatio. Duodenarius enim numerus, non secus atque septenarius, sacer fuit et etiam multitudinem significavit. Sic apostoli dicuntur duodecim tribus Israel iudicaturi, nempe homines universos. (3) Neque necesse est de vasis ministratoriis cogitare; calices enim plures etiam in sepulcrorum titulis aliquando cernuntur, et sicut in istis, etiam in pictura nostra refrigerium bene possunt innuere

Christi aquam in vinum vertentis imago quam diutissime inter eucharistiae symbola in usu perduravit, atque saeculo

(1) Cf. vol I, pars prior, p. 320.

(2) Wilpert, *Le pitture*, textus, pp. 492 sq.

(3) Cf. Ven. Beda, *Homil. in Natali S. Benedicti:* « Quia enim duodenario saepe numero solet in Scripturis universitas designari, per duodecim sedes apostolorum, omnium numerositas iudicantium: et per duodecim tribus Israel, universitas eorum, qui iudicandi sunt, ostenditur ».

nono, iussu pontificis Paschalis I, ita evidenter efficta in cuiusdam crucis theca est, ut nihil clarius desiderari possit. Intelligi volumus de cruce quam gemmatam vocarunt, quaeque in thesauro sacelli Palatini, « Sancta Sanctorum » dicti, quattuor abhinc annis detecta est. Haec autem theca, quae instar crucis conflata est, dum in medio superioris faciei Christum repraesentat eucharistiae sacramentum instituentem, statim in brachio sinistro praeviam sacramenti figuram exhibet, nempe Christum aquam in vinum, obsecrante Maria, convertentem. (1)

Symbola eucharistica quoque vitis eiusque fructus esse videntur, licet non raro velut simplex ornamentum forsitan vitis palmites depicti fuerint, iuxta vigentem apud ethnicos morem. Utcumque, hic plura esse sub vitis uvaeque figura intelligenda existimo. Videlicet vitis vera Christus est, (2) necnon ipse Christus merces iustorum eorumque aeternum quo beantur gaudium. Itaque, sicut de quibusdam calicibus quorum imagines eucharistiam aeque ac refrigerium possunt, in sepulcris effictae, significare, ita et de vitis palmitibus fructibusque dicendum. Nihil igitur definire inter hos duos sensus audeo.

Vitis, praeterquam saepe in epitaphiis, etiam in picturis apparet. Ut duo tantum referam exempla, Romae, in antiquissimo Flaviorum vestibulo, apud Domitillae coemeterium, magnam lacunaris partem vitis palmitibus occupat; ac in tholo Maioris Oasis sepulcreti, in Libya, ipsa ita depicta est, ut alterna vice folia ac monogrammata Christi exhibeat.

Iam ut capiti huic convenienter finis imponatur, integrum Abercianum epitaphium referimus una cum recepta probataque eius latina versione; neque, ut plerumque fit, tritum adiiciemus commentarium, cum iam in operis huius decursu satis abundeque fuerint carminis partes praecipuae illustratae: solummodo unam alteramve animadversionem, ad praesens argumentum attinentem, obiter adducemus, ac de nova quadam aliquot epigrammatis verborum interpretatione, utpote sensui

(1) H. Grisar S. I. *Il « Sancta Sanctorum »*, 1907, pp. 129 sq. fig. 34.
(2) Ioan. XV, 1, 5.

non nullius symboli hucusque exposito obiici posse videatur, brevissime quidem disceptabimus.

Sed prius de carminis restitutione pauca saltem dicenda.

In vita cuiusdam sancti episcopi Abercii, quae in omnibus Graecis passionum collectaneis legebatur, etiam eius fuerat epitaphium insertum quod, non secus atque eius vita, tenuissimae apud peritos erat auctoritatis. At, postquam aliud eiusmodi epitaphium a dom. Pitra apud Augustodunum inventum est (scilicet epitaphium Pectorii), nova in illud studia excitata sunt, licet textus incredibilis corruptio spem omnem illius ad pristinam restituendi formam fefellerit.

Anno autem millesimo octingentesimo octogesimo secundo, doctor Ramsay, in Phrygia, quamdam reperit inscriptionem ad annum ducentesimum decimum sextum pertinentem, his conceptam verbis:

..... ΚΛΕΚΤΗΣΠΟ
..... ΕΩΣΟΠΟΛΕΙ .....
..... ΟΥΤΕΠΟΙΗ .....
..... ΝΕΧΩΦΑΝΕΙ .....
ΣΩΜΑΤΟΣ ΕΝΘΑ
ΘΕΣΙΝΟΥΝΟΜΑ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣΑΝΤ.....
ΝΙΟΥ ΜΑΘΗΤΗΣ
ΠΟΙΜΕΝΟΣ ΑΓΝΟΥ
ΟΥΜΕΝΤΟΙΤΥΜΒΩ
ΤΙΣΕΜΩΕΤΕΡΟΝΤ.....
ΝΑΘΗΣΕΙΕΙΔΟΥΝΡΩ
ΜΑΙΩΝΤΑ ..... ΕΙΩΘΗΣ .....
ΔΙΣΧΕΙΔΙΑ ..... ΡΥΣΑ
ΚΑΙ ..... ΡΗΣΤΗΠΑΤΡΙΔ .....
ΙΕΡΟΠΟΛΕΙΧΕΙΔΙΑ
ΧΡΥΣΑ ΕΓΡΑΦΗΤΕΤΕΙΤ
ΜΗΝΙϚΖΟΝΤΟΣ
ΕΙΡΗΝΗ ΠΑΡΑΓΟΥΣΙΝΚΑ.....
ΜΝΗΣΚΟΜΕΝΟΙΣ ΠΕΡΙΗΜΩΝ

(Ἐ)κλεκτῆς πό(λ)εως ὁ πολεί(της) τοῦτ' ἐποίη(σα)
(Ζῶν ἰ)ν' ἔχω φανερ(ῶς?) σώματος ἔνθα θέσιν.
Οὔνομα Ἀλ(ε)ξανδρος Ἀντωνίου μαθητὴς ποιμένος ἀγνοῦ.
Οὐ μέντοι τύμβῳ τις ἐμῷ ἕτερόν τ(ι)να θήσει.
Εἰδ' οὖν Ῥωμαίων τα(μ)είω θήσ(ει) δισχείλια (χ)ρυσᾶ.
Καὶ (χ)ρηστῇ πατρίδ(ι) Ἱεροπόλει χείλια χρυσᾶ
Ἐγράφη ἔτει τ' μηνὶ ς' ζόντος.
Εἰρήνη παράγουσιν κα(ὶ) μνησκομένοις περὶ ἡμῶν.

Electae civitatis civis hoc feci
vivens, ut habeam palam corporis hic sedem.
Nomen (mihi) Alexander Antonii, discipulus (sum) pastoris immaculati.
Nemo autem sepulcro meo alterum quemvis superimponat.
Sin vero (id fecerit), inferat aerario Romanorum aureos bis mille
et optimae patriae Hieropoli aureos mille.
Scriptum est anno CCC, mense VI, (me) vivente.
Pax praetereuntibus et iis qui meminerint mei.

Praeclarum hoc inventum nonnihil auctoritatis ac pretii Aberciano epigrammati restituit; nam, paucis additis, Alexandri huius inscriptio primis ac novissimis Abercii carminis versibus conflata est.

Denique, anno sequenti, ipsius Aberciani epitaphii pars media in lucem venit, mutila tamen, ut e tabula 145 apparet. Quam ob rem, parte quae deerat modo fere certo suppleta, totum potuit carmen restitui. En eius transcriptio, in qua litteris crassioribus pars in marmore inventa, tenuioribus vero litteris pars e manuscriptis vel e supplementis Alexandri inscriptionis excerpta apprime distinguitur.

ἐκ*ΛΕΚΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ Ο ΠΟΛΕΙ*
της τΟΥΤ ΕΠΟΙΗσα
ζῶν ἵΝ ΕΧΩ καιρῷ
ΣΩΜΑΤΟΣ ΕΝΘΑ ΘΕΣΙΝ
*ΟΥΝΟΜ Α*βέρκιος ὢν ὁ
ΜΑΘΗΤΗΣ ΠΟΙΜΕΝΟΣ ΑΓΝΟΥ
ὃς βόσκει προβάτων ἀγέλας
ὄρεσιν πεδίοις τε
ὀφθαλμοὺς ὃς ἔχει μεγάλους
πάντῃ καθορῶντας

οὗτος γὰρ μ' ἐδίδαξε
(τὰ ζωῆς) γράμματα πιστά
ΕΙΣ ΡΩΜΗν ὃς ἔπεμψεν
ΕΜΕΝ ΒΑΣΙΛειαν ἀθρῆσαι
ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣσαν ἰδεῖν χρυσόσ-
ΤΟΛΟΝ ΧΡυσοπέδιλον
ΛΑΟΝ Δ ΕΙΔΟΝ ἐκεῖ λαμπρὰν
ΣΦΡΑΓΕΙΔΑΝ Εχοντα
ΚΑΙ ΣΥΡΙΗΣ ΠΕδον εἶδα
ΚΑΙ ΑΣΤΕΑ ΠΑντα Νίσιβιν
ΕΥΦΡΑΤΗΝ ΔΙΑβας πάν-
ΤΗ Δ ΕΣΧΟΝ ΣΥΝΟμίλους
ΠΑΥΛΟΝ ΕΧΩΝ ΕΠΟ (μην) (?)
ΠΙΣΤΙΣ πάντη δὲ προῆγε
ΚΑΙ ΠΑΡΗΘΗΚΕ τροφὴν
ΠΑΝΤΗ ΙΧΘΥΝ Απὸ πηγῆς
ΠΑΝ ΜΕΓΕΘΗ ΚΑΘαρὸν ὃν
ΕΔΡΑΖΑΤΟ ΠΑΡΘένος ἁγνή
ΚΑΙ ΤΟΥΤΟΝ ΕΠΕδωκε φί-
ΛΟΙΣ ΕΣΘίειν διὰ παντός
οἶνον χρηστὸν ἔχουσα
κέρασμα διδοῦσα μετ' ἄρτου
ταῦτα παρεστῶς εἶπον
'Αβέρκιος ὧδε γραφῆναι
ἑβδομήκοστον ἔτος καὶ
δεύτερον ἦγον ἀληθῶς
τοῦθ' ὁ νοῶν εὔξαιτο ὑπὲρ
'Αβερκίου πᾶς ὁ συνῳδός
ΟΥ ΜΕΝΤΟΙ ΤΥΜΒῳ ΤΙΣ ΕΜΩ
ΕΤΕΡΟΝ ΤιΝΑ ΘΗΣΕΙ
ΕΙ ΔΟΥΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΤΑμΕΙΩ
ΘΗΣΕι ΔΙΣΧΕΙΛΙΑ ΧΡΥΣΑ
ΚΑΙ ΧΡΗΣΤΗ ΠΑΤΡΙΔι ΙΕΡΟ
ΠΟΛΕΙ ΧΕΙΛΙΑ ΧΡΥΣΑ

Electae civitatis civis
hoc feci
vivens, ut habeam (quum tempus erit)
corporis hic sedem.
Nomen mihi Abercius;

discipulus (sum) pastoris casti,
qui pascit ovium greges
in montibus et agris,
cui oculi sunt grandes
ubique conspicientes.
Is me docuit
litteras fideles (vitae).
Qui Romam me misit
regnum contemplaturum
visurumque reginam aurea
stola aureis calceis decoram.
Ibique vidi populum splendido
sigillo insignem
et Syriae vidi campos
urbesque cunctas, Nisibin quoque,
transgressus Euphratem. Ubique vero nactus sum (familiariter) colloquentes,
Paulum habens (*sequebar*) (?)
Fides vero ubique mihi dux fuit
Praebuitque cibum
ubique piscem e fonte
Ingentem, purum, quem
prehendit virgo casta,
deditque amicis perpetuo edendum,
Vinum optimum habens
ministrans mixtum cum pane.
Haec adstans dictavi
Abercius heic inscribenda
Annum agens (*agebam*) septuagesimum et
(vere) secundum.
Haec qui intelligit quique eadem sentit oret pro Abercio.
Neque quisquam sepulcro meo
alterum superimponat.
Sin autem, inferat aerario Romanorum
aureos bis mille
Et optimae patriae Hieropoli aureos mille.

Abercius hic mystico prorsus et arcano usus est sermone, ac de tribus mulieribus, sive personarum inductionibus, distinctam fecit mentionem: nempe de *Regina stola aurea aureis*

calceis decora, de Fide quae ubique fuit dux praebuitque ubique cibum piscem de fonte, ac denique de Virgine immaculata (παρθένος ἁγνή) quae *piscem* prehendit.



Tab. 145. Stelae Christianae Abercii restitutio (Ex Wilpert, *Fractio panis*).

Porro, quod *piscis ingens ac purus* Christum significet dubium haud esse potest; item, quod piscis ut cibus praebitus panisque, cum vino optimo aquae misto, eucharisticum cibum innuant evidenter patet. Verum plura sunt praeterea,

in quibus explicandis docti inter se parum conveniunt. Sunt enim qui verba: *quem prehendit virgo casta*, quasi incisum quoddam accipientes, etiam actionem amicis piscem ac panem cum vino porrigendi *fidei* tribuant. Sunt qui *fidem* ac *virginem castam* unicam esse dicant personam, nec desunt qui pro *virgine casta* Ecclesiam intelligant. Tandem alii hunc *piscem e fonte* ad Christi baptisma referendum esse putant.

Hoc ultimum veri videtur simillimum, cum ipsis in recensitis picturis aliquid haud absimile inveniatur. Etenim, in cubiculo A 3 Callistiani hypogei (Tab. 133, pag. 155), Christus, dum a Ioanne baptizatur, in eadem aqua, in qua et pisciculus capitur, apparet. In cubiculo vero A 2, in ipsa e rupe scaturiente aqua piscator piscem capit (Tab. 132, pag. 151).

Praterea Tertullianus, in suo *De baptismo* libro, haec habet: « Sed nos pisciculi secundum IXΘΥΝ nostrum in aqua nascimur... », quae quidem, meo iudicio, interpretari eo sensu possunt, quod Christus, novus homo, suo baptismate, ut aiunt Patres, aquas sanctificaverit et corporis sui contactu illis vim generandi homines novos indiderit.

Exinde vero, perinde ac quidam doctor Dölger, concludere non debemus piscem baptismatis, priusquam eucharistiae, symbolum fuisse.(1) Nam, nisi, cum plerisque Lutherianis Calvinianisque scriptoribus, convivium in coemeterio depictum nunquam eucharistiam, sed iugiter et ubique caelestem solummodo beatitudinem significare asseratur, multo ante Abercianum carmen, piscem veluti eucharisticam adumbrationem in coemeterio Priscillae extitisse haud est ambigendum. Ibi enim, praeter alia, panum ac piscium multiplicatio cernitur, quae nempe, ut supra demonstravimus, semper eucharistiae alludit.

Sed insuper iam vidimus, in coemeterio Callisti, apud Lucinae cryptam, ac eodem fere tempore, bis pisces iuxta panum sportas una cum calicibus, vino rubescentibus, ad

(1) Doct. DÖLGER, IXΘYC, ap. *Römische Quartalschrift*, 1909-1910. — Cf. etiam 1901-1902.

eucharistiam manifeste designandam, esse repraesentatos. Quod quidem Abercii versibus mire consonat:

> Deditque (piscem) amicis perpetuo edendum;
> Vinum optimum habens, ministrans
> (vinum aquae) mistum cum pane.

Verum enimvero, textus inscriptionis non ita clare loquitur ut verba: *piscem e fonte* de Christo baptizato accipere cogamur, eo sensu, scilicet, ut fons iste Jordanem significet flumen, atque παρθένος ἁγνή non quidem Maria, sed Ecclesia sit. Licet enim vocabulum πηγή baptismatis fontem aliquando apud Patres exprimat, tamen, quia in hoc casu plures exsurgerent difficultates, caute procedendum. Etenim quod Iordanis baptismatis fons vocetur transeat; sed quod Ecclesia, non autem Ioannes Iesum ex aqua egredientem exceperit, absonum vel saltem argutius videtur.

Ceteroquin Mariae Virgini, cuius iam ab initio secundi saeculi in monumentis cernitur imago, eximie et proprie *virginis castae* convenit appellatio; dum e contra nisi reconditiori et inaudito modo Ecclesiae attribuenda foret.

Nec mirandum arbitremur, si Maria, perinde ac *fides*, seu Ecclesia, *piscem cibum* prehendisse et *amicis perpetuo edendum* dare dicatur; cum per Mariam Christus in terram venerit et, quoad corpus, nobis generatus sit. De Virgine matre Maximus Taurinensis loquens, eamdem quasi protulit cogitationem. En eius verba, aliunde iam supra relata: « Quin potius ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis et virgo; quae, velut caelitus veniens, cunctis ecclesiarum populis *cibum dulciorem melle defluit*, quem qui edere et manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit... ».

Ista etiam cum Pectorii epitaphio concordant, qui eucharistiam *dulcem Salvatoris sanctorum* vocat *cibum*.

Denique, unum adhuc animadvertendum in Aberciano epigrammate intueor, scilicet non solum de *vino* cum *pane*, idest de necessariis eucharistiae elementis, in his versibus mentionem fieri, sed etiam de vino aquae quidem *mixto*. Unde patet quam antiquus sit mos paullulum aquae in calicem missae infundendi.

CAPUT VI.

Defunctorum suffragia.

ANIMADVERSIO PRAEVIA.

Genus iam picturarum explicandum aggredimur, quod omnes quodammodo complectatur catacumbarum imagines; nam, sive sacramenta, sive peccatum originale ac mortem consequentem, sive denique exempla miraculorum et misericordiae Dei picturae adumbrent, semper tamen ista totidem rationes veluti sunt divini auxilii pro defunctorum animabus invocandi. Neque ab hoc genere alienae videntur picturae quae animae iudicium, vel animas aeterna felicitate donatas repraesentent. Plerumque enim benigni iudicii, aut sempiterni fruendi gaudii spes eiusmodi picturis significatur, sicut in epitaphiis iam vidimus, in quibus quae affirmativa videtur formula, ea non raro ut optativa seu deprecativa accipienda est, vocabulis *vivas, vivatis*, adiectis. Exempli gratia:

AVGVRINE IN DOM ET ☧ = Augurine, (vivas) in Domino et in Iesu Christo.

Et re quidem vera, si sacramentorum symbola iuxta liturgicam debent intelligi precem, sacramentum ipsum a defuncto, cum viveret, susceptum optima supplicandi evadit ratio, ut defuncti anima ad aeternam beatitudinem cito admittatur. Verum tamen, illas hic dumtaxat illustrabimus picturas, quae magis perspicue preces pro defunctis significant, nempe quae hominis miserrimam conditionem atque ad peccandum proclivitatem commonstrant; item quae Dei virtutem produnt, iusti causam tuentem, aut a malis aerumnisque huius vitae libe-

rantem. Nihil enim Dei benignitatem praestantius apud primaevos Christianos impetrare putabatur, quam humilis propriae infirmitatis professio Deique maiestatis et omnipotentiae cognitio. Haec autem cogitatio, quae totam fere veterem liturgiam pervadit, suamque habet in sacris Scripturis radicem, (1) etiam in picturis sepulcralibus ubique prorsus reperitur. Cuius quidem rei eloquentissima exempla sunt plures, iam alibi relatae, inscriptiones, uti, exempli gratia, Agapes epitaphium (2) et carmen quod Damasus sibi concinnavit, quodque iam pluries retulimus. Ad liturgias quod spectat, ne nimii simus, hanc Constitutionum Apostolicarum orationem referre sufficiat.

« ... Qui ergo dissolutionem corporis et animae infert, idem et resurrectionem operatur: et qui dixit: *Accepit Dominus pulverem de terra, et formavit hominem, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae; et factus est homo in animam viventem;* quique post inobedientiam subiunxit: *Terra es, et in terram redibis*: idem et in posterum promisit nobis resurrectionem. *Audient* enim, inquit, *omnes qui in monumentis sunt vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent.* Praeterea credimus resurrectio-

(1) Quod hoc orationis genus ex ipsa sacra profluat Scriptura, res evidentissima est; David enim, ut exemplum proferam, ideo in singulari cum gigante certamine se confidebat fore victorem, quia iam Dei protectionem pluries expertus in maximis erat periculis, et a leonibus ursisque dum gregem pasceret, protectus fuerat. Ecclesia vero hodieque inter alia in defunctorum officio canit:

Reminiscere miserationum tuarum Domine et misericordiarum tuarum, quae a saeculo
Delicta iuventutis meae, et ignorantias meas ne memineris. [sunt.
Secundum misericordiam tuam memento mei tu (ps. XXIV, 6, 7, 8).

(2) Cf. vol. II pars prima, p. 150:

DIXIT · ET · HOC · PATER · OMNIPOTENS · CVM · *pelleret Adam*
DE · TERRA · SVMPTVS · TERRAE · TRADERIS · HV*mandus*:
SIC NOBIS SITA · FILIA · EsT CHRIST*oque volente.*
. . . . . .
. . . . . .
EVCHARIS · EST · MATER · PIVS · ET · PATER · EST *mihi.*
VOS · PRECOR · O · FRATRES · ORARE · HVC · QVANDO · VENITIS
ET · PRECIBVS · TOTIS · PATREM · NATVMQVE · ROGATIS
SIT · VESTRAE · MENTIS · AGAPES · CARAE · MEMINISSE
VT · DEVS · OMNIPOTENS · AGAPEN · IN · SAECVLA · SERVET

nem fore, vel ob ipsam Domini resurrectionem. Ipse enim est qui Lazarum quattuor dierum mortuum resuscitavit; qui filiam Iairi, filiumque viduae ad vitam reduxit; qui de mandato Patris in tertia post mortem die excitavit se ipse, arrhabo resurrectionis nostrae: *Ego* enim, inquit, *sum resurrectio et vita.* Qui Ionam viventem ac illaesum tertio die eduxit e ventre ceti, et tres pueros ex fornace Babyloniae, et Danielem ex ore leonis: is non carebit viribus ad suscitandum nos quoque. » (1)

In hac oratione, resurrectionis cogitatio dominatur, in aliis vero, ac praesertim in *Ordine commendationis animae* et in *Pseudocyprianicis* precibus, auxilium tantum a Deo postulatur. Uter vero sensus sit intelligendus in monumentis interpretandis, quae supra dictas plus minus repraesentant orationes haud facile est discernere; nam et ipsa Lazari resurrectio ad requiem defunctorum obtinendam aliquando commemorata invenitur, (2) cum potius tamen resurrectionis symbolum extet.

Quod autem Ecclesia Dei pro vivis in tribulatione positis faciebat, idem perspicuum est eam et pro defunctorum animabus praestitisse. Nihil enim indigentius esse potest quam anima post lucem hanc a corpore separata Deique coram iustitia constituta. Igitur, suavis illa pro morientibus oratio, cui *Ordo commendationis animae* nomen est, aliaeve eiusmodi, post mortem minime desistebant, sed corpus ad coemeterium, ac sepulturae loculum, comitabantur. Neque post corpus depositum, neque post loculum super illo clausum obmutescebat oratio; sed perstans per catacumbarum hypogea resonabat, eiusque veluti iteratio ipsis in sepulcris, titulis picturisque, quodammodo describebatur.

Sunt qui dubitent picturas revera ad precum similitudinem effictas fuisse, eo quod non idem factorum biblicorum sit ordo in orationibus atque in picturis. Sed huic difficultati responsum praesto est; nam ordo quo facta illa in oratione disposita cer-

(1) *Const. apost.* lib. V, c. VII, *P. G.* I, 843–844.

(2) Etiam hodie Ecclesia in officio defunctorum canit: « Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum, tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiae. » (II Noct.).

nuntur varius esse potuit, sicut plures fuerunt huiuscemodi orationes; immo ipse *Ordo commendationis animae*, licet quoad materiam antiquissimus sit, nihilominus seriorem eius ipsa forma revelat redactionem, neque unicum archetypum a quo ipse provenerit supponit. Lazarus, exempli gratia, et Ionas minime in *Commendatione* inveniuntur; eos tamen in relato Apostolicarum Constitutionum textu habes, necnon in secunda Pseudocyprianica oratione. Pariter, transitus maris Rubri ac S. Theclae supplicium, dum Romae nullibi apparet, in Africana Oasis Maioris necropoli repraesentantur. (2)

Verumtamen initio, ut videtur, Dei prodigia fidelibus suggerebantur non quasi in ordinata serie, sed iaculatoriarum, ut hodierna aiunt aetate, orationum instar, seu tamquam hortationes et incitamenta. Sub hac forma innumera prorsus exempla possunt exhiberi; sed duo tantum adducam, ex Origene quidem deprompta, qui in sua ad martyrium exhortatione aiebat: « Non tunc solummodo Nabuchodonosor statuam erexit, neque tunc solummodo minatus est Ananiam, Azariam, Misaëlem, in fornacem mittere, si statuam adorare recusassent. Etiam hodie Nabuchodonosor eadem nobis loquitur, qui veri Hebraei sumus ». (3)

(2) Hinc patet quantum errent qui, ex eo quod Ionas in *Commendatione* desit, dum e contra depictus quam saepissime conspicitur, illius repraesentandi morem e quibusdam Iudaicis precibus priscos pictores deprompsisse dicunt; exindeque concludunt *Commendationis* orationem ac proinde ordinem quoque picturarum ex praefatis precibus manasse, perinde quasi *Commendationis* oratio sola inter Christiana documenta materiam priscis pictoribus suppeditaverit. Hoc, praeterea, pro demonstrato habentes, falso etiam admittunt, primo alteroque saeculo, veteris Testamenti saepius quam Evangeliorum eventus et prodigia depicta in coemeterialibus imaginibus fuisse. Quapropter mirum non videbitur si in illam tam absurdam abierint sententiam, quam supra indicavi (Vide *Ephemerides Liturgicae*, Romae, 1908–1909).

(3) Orig. *Exhort. ad martyrium*, 33, *P. G.* XI, 604 seq. — Οὐ πάλαι μόνον ἵστη τὴν χρυσῆν εἰκόνα Ναβουχοδονόσορ, οὐδὲ τότε μόνον ἠπείλει τῷ Ἀνανίᾳ καὶ Ἀζαρίᾳ καὶ Μισαήλ, εἰ μὴ προσκυνήσαιεν, ἐμβαλεῖν αὐτοὺς εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός ἀλλὰ καὶ νῦν ὁ Ναβουχοδονόσορ τὰ αὐτὰ λέγει ἡμῖν, τοῖς περατικοῖς καὶ Ἑβραίοις, etc.

Item: « Bel verbo Dei evertamus, draconemque cum Daniele occidamus, ut, ad ora leonum accedentes, nihil ab eis pati possimus, sed ii tantum qui huius nobis certaminis causae

Tab. 146.

sunt, ab iisdem deglutiantur leonibus qui devorare nos non possunt ». (1)

(1) *Exhort. ad martyrium*, loc. cit. — Τὸν Βὴλ τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ καταστρέψωμεν, καὶ τὸν δράκοντα μετὰ τοῦ Δανιὴλ ἀποκτείνωμεν ἵνα στόματι λεόντων πλησιάζοντες, μηδὲν ἀπ' αὐτῶν παθεῖν δυνηθῶμεν, μόνων τῶν αἰτίων ἡμῖν τοῦ παρόντος ἀγῶνος καταβρωθησομένων ὑπὸ τῶν ἡμᾶς μὴ δυναμένων καταπιεῖν λεόντων. — Cf. TERTULLIANUS, *De resurrectione carnis*, 43.

Qua de re notanda sane veniunt verba S. Cypriani qui, Fortunati hortatu, tractatum *De exhortatione martyrii* composuit ita incipiens: « Desiderasti, Fortunate carissime, ut quoniam pressurarum et persecutionum pondus incumbit,... ad praeparandas et corroborandas fratrum mentes, de divinis scripturis hortamenta componerem, quibus milites Christi ad spiritale et caeleste certamen animarem ». (1)

Quandonam vero eiusmodi cohortationes et pro vivis orationes in defunctorum preces mutatae sint, adhuc ignoratur; nihilominus eodem prorsus tempore, eas tam vivis quam mortuis adhibitas pro opportunitate fuisse, veri videtur simillimum. Quod autem revera moris esset hoc sensibili ac figurato modo preces in sepulcris describi, dubium esse nequit; nam ipsis e monumentis id evidenter eruitur.

Apud Docleam (hodie Podgoritzam) in Dalmatia, saeculo proxime elapso, patera quaedam vitrea inventa est, ad saeculum quintum quidem pertinens, in qua stilo plura incisa sunt biblica prodigia, eodem fere ordine atque in *Commendationis* precibus (Tab. 146).

En utriusque schema:

Ordo commendationis.	Paterae figurae.
1.	1.
Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Enoch et Eliam de communi morte mundi.	Adam et Evae lapsus:
℟ Amen.	ABRAM (*Adam*)
	ET ET EVAM (2)
2.	2.
Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noë de diluvio.	Resurrectio Lazari:
℟ Amen.	DOMINVS
	LAIARVM RESUSCITAT.

(1) Cyprian. *De exhort. martyrii, praefat. P. L.* IV, 651–652.

(2) Quae maioribus hic litteris exscribuntur verba, apud pateram sic incompte et mendose extant exarata.

3.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldaeorum.

℟ Amen.

4.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Iob de passionibus suis.

℟ Amen.

5.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia et de manu patris sui Abrahae.

℟ Amen.

6.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Lot de Sodomis, et de flamma ignis.

℟ Amen.

7.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis, regis Aegyptiorum.

℟ Amen.

8.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti *Danielem de lacu leonum.*

℟ Amen.

9.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti *tres pueros de camino ignis* ardentis, et de manu regis iniqui.

℟ Amen.

10.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti *Susannam de falso crimine.*

℟ Amen.

3.

Moyses rupem percutiens.

PETRVS VIRGA FERQVO
TSET (percussit) FONTES
CIPERVNT (coeperunt).
QVERERE (currere).

4.

Abrahae sacrificium (in media patera).

5.

Daniel orans inter duos leones:

DANIEL DE LACO
LEONIS

6.

Tres pueri orantes:

TRIS(tres) PVERI DE EGNE (igne)
CAMI*ni*

7.

Mulier orans:

SVSANNA
DE FALSO CRI
MINE

11.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu regis Saul et de manu Goliae.

℟ Amen.

12.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus.

℟ Amen.

13.

Et sicut beatissimam Theclam virginem et martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam huius servi tui...

℟ Amen.

8.

Tres personae orantes in navicula, deinde vero Ionae, a portentoso pisce capti, ab hoc ceto evomiti, necnon sub cucurbitae frondibus quiescentis, historia :

DIVNAN (Ionas) DE VENT
RE QVETI (ceti) LIBERATVS EST

Iam non dubium est, paterae figuras quae numeris 4, 5, 6 et 7 designantur, *Commendationis* versibus seu particulis 5, 8, 9 et 10 apprime respondere, et verba in patera eadem quoad numeros 5, 6 et 7 adhibita esse atque in oratione; quod profecto casu evenisse nemo dixerit. Si vero cetera invicem non concordent, hoc ex eo repetendum arbitror, quod series figurarum paterae ab alia quadam materiam acceperit oratione, quae, licet *Commendationi* haud congrueret, nequaquam tamen ab illa absimilis fuisse est dicenda.

Tali quoque modo forsitan explicanda est ratio propter quam coemeteriorum picturae supra memoratis Pseudocyprianicis precibus ac Constitutionum Apostolicarum Commendationisque orationibus ad unguem non respondent. Non paucas scilicet suspicandum est eiuscemodi extitisse orationes, nunc pluribus, nunc paucioribus, ut cleri fideliumque pietas ferebat, conflatas et sic difficultates omnes quas classium aut, ut aiunt, cyclorum picturarum varietas facessebat evanescunt. Ad paterae

autem Podgoritzanae figuras quod attinet, animadvertendum est has omnes in picturis conspici.

Quam optime vero preces relatae etiam mortuis, nedum morientibus convenirent, vel ex eo colligitur quod de animae solùmmodo salute in iis sermo omnino sit; (1) namque, ex precibus praefatis modo hominis infirmitas Deique misericordia, modo Dei omnipotentia enuntiantur. E quibus itidem capitis prior divisio exsurgit.

Praeterea aliud est picturarum genus quod ad angelorum sanctorumque consortium, ad aeternum gaudium Deique visionem spectare deprehenditur, et optime tum epitaphiorum formulis, tum antiquis funerariis consonat liturgiis. Sic talia, exempli gratia, in epitaphiis occurrunt: *O Pater omnium, recipe apud te Irenem, Zoem ac Marcellum!* (2) — *Accipe me, Domine.* (3) — *Omnipotens Deus, te deprecor ut paradisum lucis possit videre.* (4) Insuper innumerae prorsus eiusmodi reperiuntur formulae: *Accepta apud Deum* — *Receptus ad Deum* — *In luce Domini receptus est*, etc. (5) In liturgiis vero nihil communius

(1) Post ea quae hucusque proposita sunt, praestat quaedam egregii Wilpert verba referre, qui, licet alio modo, eumdem cogitationum ordinem in suo de picturis opere evolvit:

« Per riassumere il precedente svolgimento di pensieri possiamo servirci delle parole dello Springer: *La dottrina ecclesiastica presentò ai fedeli senza dubbio in formule di preghiera quegli esempi* (dell'Antico Testamento) *di liberazioni e salvamenti; le immagini delle catacombe li resero palpabili.*

« Quando la preghiera figurata pei defunti ebbe preso nelle catacombe questo indirizzo, fu facile arricchirla di nuove figure. Difatti, fin dalla prima metà del II secolo, si aggiunse Giona, nel III David con la fionda, Giobbe e Tobia col pesce; nel IV la pioggia della manna e la minaccia fatta dai Giudei a Mosè e ad Aronne. Si pose nella preghiera anche il miracolo della sorgente di Mosè, che nei tempi più antichi servì di simbolo battesimale, poi Isacco salvato dalle mani del padre, che originariamente figurava la passione: ambedue le scene furono usate nel medesimo senso » (WILPERT, *Le pitture*, textus, p. 307).

(2) DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* 1888–1889, p. 31.

(3) Cf. *Notiones archaeologiae*, etc. vol. II, pars prima, p. 135.

(4) *Notiones*, loc. cit. p. 126.

(5) *Notiones*, loc. cit. pp. 125 sq.

est quam beatam aeternitatem Deique visionem pro defunctorum animabus a Domino efflagitari; necnon in martyrum actis persaepe S. Stephani protomartyris illa, parum mutata, occurrit oratio: *Domine Iesu, accipe spiritum meum*; cuius et memoratae inscriptiones veluti iterationes sunt. Sed iam tempus videtur ut ad supra dictas picturas recensendas veniamus.

Art. I. — Picturae quae humanam infirmitatem Deique misericordiam declarant.

Adam et Evae peccatum. — Eadem omnino ratione in picturis atque in epitaphiis, primorum nostrorum lapsus exhibitus est parentum. Dum enim ethnici mortem ut naturae humanae propriam profitebantur, Paulus apostolus eam peccati stipendium praedicabat, ac nota sunt illa epistolae quam scripsit ad Romanos verba: « Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt ».[1]

Vetustiores liturgiae haud raro originalem culpam carnisque infirmitatem Deo repraesentant, ut defunctorum animarum ipse misereatur; et exemplo sit haec Gallicani Sacramentarii oratio: « Illorum igitur omnium, Domine, (miserere) qui, per sententiam adversus primum patrem nostrum Adamum prolatam, ex hac vita infelice migraverunt... ».[2]

Sic etiam, saepe iam memorata, Agapes inscriptio parentes exhibet mortem carissimae filiae aequo animo ferentes, quia propter prolatam contra Adam a Deo sententiam ipsa mortua est:

> Dixit et hoc Pater Omnipotens cum pelleret Adam:
> De terra sumptus, terrae traderis humandus.
> Sic nobis sita filia est Agape Christoque volente.

Picturae quae primorum peccatum parentum adumbrant undeviginti nunc cernuntur: quarum una, eaque omnium an-

(1) *Rom.* V, 12 sq.

(2) Renaudot, *Liturg. orient.* II, p. 404; cf. etiam pp. 266, 395, 443, 464, 516; Muratori, *Liturg. rom. vet.* I, p. 749, *P. G.* LXXII, col. 568.

tiquissima, in Neapolitanis extans catacumbis, saeculo secundo adscribitur; duae ad Africana pertinent hypogea; ceterae Romae inveniuntur. Sed modus rem repraesentandi idem plerumque est, nempe Adam et Eva ad latera arboris, cui serpens circumvolvitur, adstantes, necnon pudenda manibus, vel perizomate, foliis fici generatim intexto, obtegentes conspiciuntur. Delineata igitur simul adsunt huiusce peccati materia, sollicitatoris seu tentatoris effigies, culpaeque confestim ac commissae effectus.(1) Numquam autem Dei aut alicuius angeli figura apparet, quae aliquando in sculptilibus aliisque serioris temporis operibus non deest. Veri autem videtur simillimum, non solum terrestrem paradisum culpa Adam amissum in eiusmodi picturis repraesentari, verum etiam, a pictoribus, vel ab iis qui picturas iusserunt, ipsum paradisum iustis post mortem nunc destinatum, intendi potuisse. Id apud Prudentium certis expressum verbis habetur qui ait: « Patet ecce fidelibus ampli via lucida iam paradisi, Licet et nemus illud adire Domini quod ademerat anguis »;(2) nec non in epigrammate, quod Sidonius Apollinaris in honorem S. Abraham abbatis († 476 vel 477) concinnavit legimus:

IAM TE CIRCVMSTANT PARADISI MILLIA SACRI
ABRAHAM IAM TE COMPEREGRINVS HABET
IAM PATRIAM INGREDERIS SED DE QVA CECIDIT ADAM
IAM POTES AD FONTEM FLVMINIS IRE TVI(3)

Ut rite egregius Wilpert animadvertit, non illae quidem picturae peccatum protoparentum exhibentes, quae hodie conspici in Romanis possunt coemeteriis, antiquiores huius generis sunt agnoscendae; nam, praeter illam quae in Neapolitanis extat catacumbis atque ad secundum saeculum pertinere videtur, duae huius peccati priores repraesentationes a reliquis differunt, quatenus serpens minime arbori circumvolutus sed

(1) WILPERT, *Le pitture*, textus, pp. 298 sq.
(2) Cf. WILPERT, op. cit. p. 299.
(3) LE BLANT, *Inscr. chrét. de la Gaule*, t. II, p. 322 sq. n. 557.



Tab. 147. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

in terra sese glomerans, aut se versus arborem erigens cernatur. Hinc patet quam falsi sint qui in mythicis Medeae Iasonisque Hesperidumve horti repraesentationibus archetypum picturae nostrae quaerendum esse putaverint. (1)

Petrus Apostolus Christum negans. — Petri culpa semel tantum in coemeterialibus adumbrata picturis, id est Romae, apud Cyriacae, seu S. Laurentii, hypogeum, quam saepissime autem in sarcophagorum anaglyptis, reperitur. Vario quidem sensu hanc repraesentationem archaeologi interpretati sunt; sed nobis, propter ea quae de picturarum indole supra disputavimus, magis Wilpertina affulget interpretatio, re minime a lapsus primorum parentum interpretatione differens; (2) cui alio-

(1) D. Leclercq, ap. *Dictionn. d'arch. chrét. et de liturg.* art. *Arbres*, coll. 2705, 2706.

(2) Wilpert, loc. cit. p. 303. Praestat ipsius auctoris verba referre: «Ora si chiederà perchè mai si scegliesse e si riproducesse in figura su

quin sententiae liturgiae pariter atque epitaphia suffragantur. Communis enim est in antiquis liturgiis, ut supra notavimus, cogitatio humanae infirmitatis, quam sacerdos Deo suggerit, ut peccatoribus praesertim si defuncti fuerint, parcere dignetur. Sic in liturgia Nestorianorum habetur: « Sed sive verbo, sive opera peccaverint, utpote homines carne induti, remittito, aboletoque errores ipsorum ». (1) Quod quidem plus minusve in ceteris repetitur liturgiis, praesertim in Orientalibus; (2) immo, in secunda Pseudocyprianica prece, orans peccatum David commemorat, ut sicut illi, ita sibi Deus indulgeat: « Exaudi me orantem... Sicut Ninivitae induerunt cinerem et cilicium, et poenitentiam egerunt ante Dominum,... exomologesin facienti ante conspectum tuum pro universis peccatis meis, qui es amator poenitentiae, miserere mei. Sed et David dicit:

questo arcosolio l'atto più umiliante della vita del principe degli Apostoli. Naturalmente il motivo non può riporsi nell'ipotesi di uguale negazione da parte della defunta, giacchè il sepolcro risale ad un'epoca in cui la Chiesa era in pieno possesso della pace, e serviva di tomba per una vergine consacrata a Dio. Parimenti non soddisfano le interpretazioni del Garrucci e del De Rossi: pel primo l'affresco avviserebbe le vergini consecrate a non confidare troppo in se stesse, chè altrimenti succederebbe loro quanto accadde a san Pietro. In questa spiegazione non si capisce come mai simili avvertimenti potessero mettersi sopra un sepolcro, ove giungevano troppo in ritardo per la vergine defunta e difficilmente erano accessibili alle viventi. Il De Rossi parte dal racconto di san Marco, che alla predizione della negazione fa tosto seguire quella della futura fermezza dell'Apostolo nella fede, e crede che la pittura contenga la medesima concatenazione di pensieri: " Je crois donc que cette peinture aussi fait allusion à la foi, et précisément à la foi de Pierre " (*Bull.* 1863, p. 80, ed. francese). Quindi il pittore qui avrebbe voluto dipingere l'opposto di quello che realmente rappresentò, cioè il *coraggio nella professione della fede*, mediante la *negazione dell'Apostolo*, giacchè questo solo ci mostra l'affresco, cioè san Pietro nella sua debolezza, e non come coraggioso confessore di Cristo, quale fu dopo la morte del Signore ».

(1) Renaudot, *Liturg. orient.* II, p. 553. Cf. etiam p. 516.

(2) Renaudot, loc. cit. pp. 37, 292, 304, 327, 363, 376, 395, 405, 430, 444, 516 sq. 534; Brightman, *Liturgies Eastern and Western*, pp. 57, 69; Hyvernat, *Fragmente* ap. *Romische Quartalschr.* 1887, p. 340; Muratori, *Liturg. rom. vet. P. L.* LXXII, col. 567.

Domine, propter nomen tuum dele peccatum meum; et ego deprecans maiestatem tuam: Deleas universa delicta mea...».[1]

Iam in unico huius repraesentationis depicto exemplari, duo simul apparent, praedictio scilicet negationis, quam Christus tribus dexterae primis digitis Petro quasi loquens innuit; ac praedictionis effectio, per gallum significata, qui super trunca columna inter Dominum et Petrum apparet. Apostolus vero elevat manum quasi dicat: « Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo ».[2]

ART. II. — **Picturae fidelium animas, auxiliante Deo, ex omnibus malis eripiendas et a periculis inferni tuendas fore significantes.**

NOE. — Noe, in arca e diluvio servatus, columbam, serenitatis et salutis nuntiam, recipiens, plures habuit significationes. Iuxta Petrum apostolum, symbolum erat baptismatis quo Ecclesiam homo salvandus ingreditur;[3] generatim vero ipsa arca Ecclesiae symbolum evasit. Sed, cum hic de picturis sepulcralibus agatur, funeraria, si qua est, ei significatio tribui debet. Noe enim in funerariis orationibus commemoratur, nempe in *Ordine commendationis animae*; praeterea et in epitaphiis invenitur, et quam saepissime in coemeteriorum picturis, necnon in sarcophagis. Immo, ita interdum repraesentatur, ut nihil possit aliud significare quam ipsum defunctum. Ita enim apparet in tabula 55 et praesertim in tabula 54, ubi non quidem adstat Noe, sed mulier orans Noe locum tenet. Idem prorsus in quodam sarcophago nunc in museo Lateranensi asservato.[4] Hoc autem rem ultimo conficit, quod aliquando arca iam in sicco sit statuta ac Noe, cui columba appropinquat, plerumque orans cernatur, ut in tabula 148. Denique pictura quaedam, non quidem arcae, sed sarcophagi similitudinem prae se fert, leoninis decorati capitibus.[5]

(1) *Sancti Cypriani oratio pro martyribus*, *P. L.* IV, 907.
(2) MATTH. XXVI, 35.
(3) I PETRI, III, 20, 21.
(4) GARRUCCI, *Storia dell'arte crist.* V, tab. 301, 2.
(5) GARRUCCI, loc. cit. II, tab. 72, 3.

Repraesentationes Noe in arca triginta sex in picturis numeratae sunt, scilicet triginta tres Romae, quarum quattuor no-

Tab. 148. Noe defunctum adumbrans, pictura primae saeculi II partis in coemeterio S. Priscillae. (Ex WILPERT, *Fractio panis*).

stra aetate conciderunt, una in Pannonia, duaeque in Africana Oasis Maioris necropoli. Semel iam saeculo primo haec imago

efficta cernitur, scilicet in Flaviorum hypogeo; semel quoque saeculo secundo, in cubiculo quod Italice *Cappella Greca* vocant coemeterii Priscillae. Harum figurarum sex ad tertium pertinent saeculum, ceterae autem ad quartum. (1)

In relatis exemplis nonnisi tria elementa inveniuntur, scilicet Noe, columba et arca; idque procul dubio quia ad significandam animam divino salvandam auxilio nihil aliud requirebatur. Noe quippe tunc solum se in tuto esse putavit, cum reditum vidit columbae frondem olivae ferentis. (2) In Oasis Maioris sepulcreto arca Noetica formam naviculae exhibet, in qua octo sunt personae.

Abraham sacrificium. — Duplici, ut diximus, sensu haec potest pictura explicari, videlicet ut cruenti crucis sacrificii figura, aut ut divini auxilii manifestationis inductio. Priorem sensum habent picturae antiquiores, praesertim saeculi II, apud quas, ut in Priscillae et Callisti coemeteriis, iuxta eucharisticas imagines Abraham sacrificaturus apparet, de quo satis abunde dictum est supra, vel Isaac lignum ad sacrificium portans, velut Christi crucem ferentis adumbratio, exhibetur. Altera autem interpretatio plerisque convenit posterioribus picturis, potissimum si Dei auxilii aliquod signum adsit, ad precum liturgicarum sensum, ut in *Ordine commendationis animae* legimus: « Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia, et de manu patris sui Abrahae ». Divinum autem tunc auxilium non quidem angeli, sed manus de coelo quasi e nube exeuntis figura effictum est. Haec denique enodatio eo clarior evadit, quod nonnunquam, in huius sacrificii repraesentationibus, etiam columba cum ramo olivae advolitet; quod et in ceteris defunctorum eiusmodi imaginibus cernere est.

(1) Cf. Wilpert, *Le pitture*, textus, p. 316 sq.

(2) Cf. Wilpert, loc. cit. p. 38: « L'artista diede all'arca la forma di una cassetta quadrangolare oblunga, fornita spesso di coperchio e serratura, talora anche di piedi. Giustamente in essa si è riconosciuta una imitazione dell'arca (κιβωτός) che l'arte classica era solita rappresentare nella scena di Danae e Perseo, abbandonati in balia delle acque ». (Cf. Tabula III, n. 1 extra textum).

Una et viginti huius sacrificii effigies in Romanis catacumbis depictae sunt, quarum duae ad secundum, quinque ad tertium, reliquae vero ad quartum pertinent saeculum. In Gallia semel sacrificii huius imago, initio saeculi elapsi, cernebatur, bis denique in Africana Oasis Maioris necropoli apparet (saec. IV). Plerumque Abraham iam iamque filium percussurus ostenditur, aliquando vero dum montem cum Isaac ligna ferente ascendit; bis autem ambo instar orantium delineati sunt, necnon semel Isaac deest ac in eius locum aries sub cultro stat.

IUDAEI MOYSI ET AARON MINITANTES. — In coemeterio, quod vulgo Ostrianum vocant, quaedam saeculi quarti pictura quattuor exhibet viros, quorum duo, chlamyde induti, ambos alios obiurgare videntur. Cum autem eorum unus virgam teneat, hunc pro Moyse accipiendum esse Wilpert docet; unde pictura Iudaeorum in Moysen et Aaron seditionem rebellionemque adumbraret.[1] Si ita sit, imaginis significatio haud difficilis intellectu evadit, cum mens eadem pluries in anaglyptis appareat et optime ceteris depictis conveniat repraesentationibus.[2]

MANNA PLUVIA. — Etiam haec repraesentatio semel tantum depicta invenitur, nunquam insuper in sculptilibus, ac divinum quoque auxilium, iuxta Wilpert, exprimeret, perinde ac si cuidam orationi talibus conceptae verbis responderet: « Libera, Domine, animam famuli tui, sicut a fame Israëlitas in deserto liberasti ». Haec quidem interpretatio eo verisimilior videtur, quod hic, sicut in transitu maris Rubri, de itinere agatur, unde mirum quantum liturgiis funerariis huiuscemodi congruit cogitatio.

I. B. De Rossi tamen ac P. Garrucci in sensu eucharistico illam explicaverunt,[3] nec ultimo absolutam rem dicere ausim.

DAVID CUM FUNDA. — De huius imaginis veluti caelestis auxilii interpretatione dubium dari nequit; nam in *Commenda-*

(1) *Exod.* XVI, 2; XVII, 3; *Num.* XX, 4.

(2) Cf. WILPERT, *Le pitture*, etc., textus, p. 358.

(3) *Bull. di arch. crist.* 1863, pp. 67-80; GARRUCCI, *Storia dell' arte crist.* II, p. 64, tav. 59.

tionis animae precibus, ut supra vidimus, David quoque commemoratur ut, sicut eum a manu eripuit Goliae, sic morientis animam ab inferno Deus liberet. David cum funda figura semel tantum, ac in Domitillae coemeterio invenitur; Neapoli tamen, in S. Ianuarii catacumbis, quaedam est antiquissima imago quae David, dum saxum proiicit, repraesentare videtur.

Iob. — Sublime hoc patientiae exemplum apud liturgiam duplici sensu adductum est, scilicet quatenus Iob resurrectionem futuram testatus fuerit, ac quatenus eius quoque historia ratio extet precandi Deum ut, sicut Idumaeum patriarcham a morbis malisque omnigenis huius vitae exemit, ita defunctorum animas a poenis liberaret. Iam inde ab apostolicis temporibus ut resurrectionis testimonium Iob nempe verba ista habita sunt: « Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo ». (1) In hoc quidem sensu etiam in defunctorum officio illa legimus, una cum Lazari a morte excitati mentione; sed ipsum etiam aliunde defunctorum officium fere integre, praeter quam psalmis, locis e libro Iob excerptis conflatum est, quibus patientis animae spes in Domini auxilium commemoratur, idque veluti ipse loqueretur defunctus.

Denique in oratione commendationis animae legitur: « Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Iob de passionibus suis ». Videtur igitur, ut Wilpert arbitratus est, ad invocationem divini auxilii potius quam ad spem resurrectionis Iob repraesentatio saepissime respicere; quod quidem non excludit quominus utraque simul fuerit aliquando significatio intenta.

Iob patientis imagines Romae tantum et a saeculo dumtaxat tertio conspiciuntur. Cum autem huiuscemodi picturae

(1) Iob, XIX, 25, 27. — Cf. Clemens R. I *Corinth.* XXVI, 3, ed. Funk, 94.

non nisi sedentem, seu iacentem, patriarcham exhiberent, non ita facile earum innotuit repraesentatio, ac paucis ante annis adhuc disputabant archaeologi numquid Ionam potius quam Iob imagines illae inducerent. Rem denique absolvit inventio cuiusdam picturae saeculi quarti in coemeterio Ss. Petri et Marcellini, in qua non solum Iob, sed etiam eius mulier adest, placentam, in summo baculo positam, marito porrigens.[1]

Tobias. — Duplex huius figurae interpretatio ab archaeologis datur: altera quae a pisce quem Tobias prehendit, et cuius interioribus sanata est caecitas patris, ΙΧΘΥΝ caelestem, nempe Christum, affirmat significari; altera autem, quae, piscis cogitatione omissa, angeli solummodo ministerium considerat, perinde ac si his Pseudocyprianicae secundae orationis verbis Deo supplicaretur: « Et sicut Tobiae adfuisti, ita mihi adesse digneris ».[2] Haec interpretatio dum ceteris Christianis symbolis plane congruit, liturgicis quoque corroboratur documentis, in quibus angelorum comitatus atque custodiae fit mentio. Sic, ut iam in hoc opere relata afferam, in quadam commendationis quidem animae oratione legitur: « Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus angelis contremiscat »; et in Mozarabica defunctorum liturgia: « Caelici agminis deductione protectus, feralia ultricium poenarum ergastula transgrediatur illaesus ».[3] Quae quidem mens non solum liturgiarum propria est, sed etiam epitaphiorum, ut vidimus, necnon Patrum scriptorumque Chri-

(1) Cf. Wilpert, *Le pitt.* etc. textus, pp. 351–354: « ... Vestito della semplice tunica, Giobbe siede, abbandonato da tutti, su una lieve prominenza o su di uno sgabello, e guarda mestamente avanti a sè; solo una volta comparisce con lui la moglie che, inorridita per la sua malattia, gli porge con un bastone la focaccia fatta in modo di ciambella. Gli artisti si contentarono di esprimere le pene di Giobbe in questa delicata maniera; nessuno si risolse ad accennare in qualsiasi maniera la lebbra urtante con l'estetica, cosa che fecero invece senza alcun ritegno i miniaturisti del medio evo » (p. 152).

(2) Inter opp. Cypriani ed. Hartel, III, 145.

(3) *P. G.* LXXXV, 1021. Cf. Muratori, *Liturg. rom. vet.* I, pp. 748, 752, 758 et II, p. 218.

stianorum:[1] « Cum enim, ait Origenes de humano loquens corpore, solutum fuerit tabernaculum hoc, et coeperimus ingredi ad illa sancta, et pergere ad locum repromissionis, ii qui vere sancti sunt, et in sanctis sanctorum habentur, angelis sine dubio subvectantibus incedunt, et, usquequo requiescat tabernaculum Dei, portantur in humeris et extolluntur in manibus ».[2]

Priorem sententiam tamen non pauci tenent archaeologi, ad quam tuendam haec verba referunt Optati Milevitani: « Christus intelligitur per piscem, qui in lectione patriarchae legitur in Tigride flumine prehensus; cuius fel et iecur tulit Tobias ad tutelam feminae Sarae et ad illuminationem Tobiae non videntis »;[3] et haec alia auctoris operis quod *De promissionibus et praedicationibus Dei* inscribitur: « Hoc egit piscis magnus ex passione sua Christus purgans Mariam, ex qua expulit septem daemonia... Qui caecato lumen reddidit Paulo, satians ex se ipso in littore discipulos et toti se offerens mundo ἰχθύν ».[4]

Verum, haec praeter, quae quidem ad saeculum quintum incipiens pertingunt, nulla omnino alia huiuscemodi interpretationis memoria invenitur, ac insuper, uti notat Wilpert, e sacrae Scripturae verbis piscis Tobiam fuisse voraturus videtur, tantoque periculo ab angelo solummodo Tobias liberatus perhibetur; quomodo igitur talis poterit piscis Salvatoris esse figura?[5]

(1) Cf. Fabretti, *Inscr.* pp. 581, 736; De Rossi, *Roma sott.* t. II, tab. xliii, 39 et *Inscr.* I, pp. 31, 288; *Passio Ss. Perpetuae et Felicitatis*, ed. Franchi, p. 128.

(2) Origenes, *In Num. homil.* V, 3; *P. G.* XII, 606.

(3) Optat. Milev. *De schismate Donat.* III, 2; *P. L.* XI, 991.

(4) C. II, 39; *P. L.* LI, 816.

(5) Praestat largius auctoris verba referre: « A torto alcuni archeologi applicarono questo simbolismo (id est quod piscis a Tobia prehensus ΙΧΘΥΣ *caelestem* repraesentet) alle rappresentazioni figurate di Tobia nelle catacombe; i pittori non accennarono in modo alcuno ai *remedia interiora* – cuore, fiele e fegato – del pesce, che in quelle interpretazioni dovevano essere la cosa principale; essi presentano solo *il pesce già preso e ridotto all'impotenza nella mano di Tobia.*

« E con ciò essi ci avvertono in qual senso dobbiamo intendere questa

Tobias ter solummodo in catacumbis Romanis apparet, idque forsitan, ut arbitratur Wilpert, eo quod facile esset eum cum piscatoris figura confundi. Nudus in istis imaginibus conspicitur iam manu captum occisumque piscem sustinens. Extra autem Urbem nullibi depictus repertus est.

TRES PUERI IN FORNACE.[1] — De hac repraesentatione item pauca dicenda: ut enim vidimus, pueri Babilonienses, a

Tab. 149. (EX WILPERT, *Le pitture*, etc.).

Nabuchodonosor rege ad ignem damnati, plus semel in precibus commemorantur, necnon optime eorum effigies poterat defunctos adumbrare, quippe quae conditionem nonnullarum ani-

figura biblica ... Il pesce pertanto si presenta come qualche cosa di *ostile*, ed anche solo per questo motivo non può raffigurare il Salvatore. Ammaestrato dall'angelo del come potesse ridurre in suo potere il pesce, Tobia lo trasportò sulla terra asciutta e lo uccise. *Raffaele divenne quindi il suo salvatore*, e Tobia ... (patri suo postea suadens ut Raphaël ab eo praegrandi mercede donaretur), tra le ragioni a favore della sua proposta addusse anche quella che *l'aveva liberato dall'essere divorato dal pesce*. Per tal modo le scene di Tobia entrano naturalmente fra le miracolose manifestazioni dell'aiuto di Dio, ed in conseguenza vanno interpretate come queste ... Deve avere influito molto alla scelta di questo soggetto per il simbolismo cimiteriale, la circostanza che Tobia sperimentò l'aiuto di Dio *in un viaggio*» (WILPERT, *Le pitture*, etc. textus, p. 354).

(1) Cf. WILPERT, *Le pitt.* etc. textus, pp. 327 sq.

marum, post vitam hanc, reddere quodammodo videretur. Re enim vera, hanc praecipuam fuisse huius repraesentationis significationem evidenter e vetustioribus eius patet exemplaribus. Sic in Priscillae coemeterio, saeculo ineunte secundo, non quidem angelus tribus adstans pueris in fornace, sed, ut in Noe picturis, columba advolans ramumque ferens olivae, ut symbolum pacis aeternae, effingebatur. (1)

E. Le Blant opinatus est etiam ad ignis supplicium (vivicomburium) puerorum in fornace effigies respicere, quod quidem verisimile est; sed potius, ut in alia operis parte videbimus, de anaglyptis illud est dicendum. Saeculo autem quarto orationis (quam *Ordo commendationis animae* vocant) verba plenius hac in re picturae exprimunt, cum praeter pueros flammis circumdatos, eos etiam ante regem eiusque simulacrum, quod adorare recusant, cernere sit. (2)

Istius recusationis una repraesentatio, apud Priscillae hypogeum, hodie nobis manet, eaque ideo etiam praeclara, quod picturae epiphaniam exhibenti eodem in cubiculo respondeat ex adverso opposita. Nempe, dum idolum tres pueri renuunt adorare, Magi Christum verum Deum agnoscunt, atque ista fidei professio mirum quantum epitaphiis quae supra recensuimus consonat. Praeterea, ut supra animadvertimus, sunt anaglypta in quibus, dum tres pueri adorare regis statuam respuunt, sidus manu indicant, eodem fere modo quo Magi ali-

(1) Cf. WILPERT, loc. cit.: « Che i pittori delle catacombe intendessero di raffigurare i tre fanciulli dalle fiamme nello stesso significato di *simbolo del defunto preservato da Dio dal fuoco dell'inferno*, lo dimostra anzitutto l'affresco di S. Priscilla; ... lo dimostra inoltre l'affresco ove i fanciulli, come Isacco nelle scene del sacrifizio, sono protetti dalla mano di Dio. Finalmente, solo presupponendo che essi simboleggino il defunto, si comprende perchè in una pittura di S. Domitilla da ambidue i lati sia dipinto un santo. Rilevammo questo particolare anche in una immagine di Daniele nella fossa dei leoni. Così le indicate pitture si spiegano a vicenda, e con ciò mostrano che debbono avere la medesima interpretazione nonostante la diversità del soggetto ».

(2) « Libera, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, et de manu regis iniqui ».

quando, aut prophetae stellam, tamquam Salvatoris ortus divinitatisque signum, indicare conspiciuntur.

Trium puerorum repraesentatio septemdecies olim Romae in coemeterialibus picturis extabat; hodie autem quattuordecies tantum, ac semel apud Aegyptum in Maioris Oasis sepulcreto.

DANIEL INTER LEONES. — Sicut Noe, sic Danielis figura iuxta funerarias preces interpretanda est; commemoratur enim in *Ordine commendationis animae* ac in orationibus *Constitutionum apostolicarum*, et *Pseudocyprianicis*. Praeterea Daniel certe est defuncti symbolum, cum semper imberbis, orans repraesentatus sit, ac semel in sepulcro ex quo, orantis quoque instar, emergit. Licet saeculo dumtaxat quarto, ac solum in sculptilibus, iuxta Danielem propheta Habacuc [1] appareat ei cibum porrigens; tamen haec secunda videtur fuisse Danielis damnatio depicta, propterea quod secunda Pseudocyprianica oratio etiam Habacuc evocet notis verbis: « Exaudi me orantem, sicut exaudisti Danielem de lacu leonum, et misisti Habacuc prophetam, et attulit ei prandium ».

Danielis inter leones stantis quadraginta una nunc habentur depictae imagines, scilicet triginta novem Romae, duae in Oasis Maioris sepulcreto. Harum antiquissimae prophetam tunica indutum ostendunt; saeculo autem tertio nudus incipit Daniel adumbrari; ac in duabus solummodo imaginibus saeculi quarti, ipse perizomate lumbos coopertos habet. Id, e Wilpert sententia, damnationi *ad bestias*, prout apud Romanos, adhibebatur, alludere dici debet, eo quod moris esset ut, qui nudi coram populo supplicii caussa constitui deberent, saltem strictoria aliqua semper essent in pudendis tecti. [2] Non ita equidem omnino sentio, iamque de hoc alibi in hoc opere sermonem habui, atque monumenta produxi quae contrarium interdum affirmant. [3]

(1) DANIEL, XIV, 30–38.

(2) WILPERT, *Le pitture*, textus, p. 309.

(3) *Notiones archaeologiae* etc. vol. I pars prior, pp. 171 sq.

Opinio fuit I. B. De Rossi itemque eius discipuli H. Marucchi, Danielis figuram in Flaviorum hypogeo repraesentatam (Tab. 98, p. 69) revera ad supplicium praefatum esse referendam, eo quod propheta in quodam hic exhibeatur suggestu parum absimili pulpito in quo damnati *ad bestias* exponebantur. Id sane valde probabile est,[1] at non ita ut Ignatium Antiochenum, qui belluis Romae obiectus est, hac imagine aliquatenus memorari existimandum sit; nam, ut apprime animadvertit Wilpert, haud parvus hic daretur error in computandis temporibus, cum pictura illa secundam primi saeculi partem evidenter respiciat, Ignatius supplicium nonnisi secundo saeculo fuerit passus.

Danielis rapraesentationum una, ad saeculum primum, duae ad secundum, novem ad tertium ceteraeque ad quartum saeculum pertinent.

Susanna.[2] — Post ea quae de patera Diocleana animadvertimus, Susannae, a falso crimine et mortis periculo liberatae, significatio obvia evadit, licet aliter alii eiusmodi repraesentationem interpretati sint. Etenim, Susanna inter ceteras occurrit biblicas figuras, quae in praefata pro animae commendatione prece evocantur. Itaque haud secus debemus eam interpretari quam reliquas eiusmodi effigies, nempe ita ut sensum quodammodo orationis reddat, e qua cogitatio ista desumpta est: « Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine ». Alioquin hoc etiam in Diocleana patera apud Susannae figuram partim legimus: SVSANNA

(1) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1884-85, pp. 91 sq. — En tamen quid habeat Wilpert, loc. cit. p. 39: « La questione se i martirii dei cristiani condannati *ad bestias, ad leones*, abbiano influito sulla struttura formale della composizione, va risolta piuttosto in senso negativo che positivo; ad ogni modo io ritengo troppo poco fondato l'appello che in proposito si fa all'affresco ora ricordato, poichè la piccola elevazione, sulla quale è figurato Daniele, trova sufficiente spiegazione in un motivo artistico, qual'è quello di dare al gruppo un'altezza proporzionata alla larga base del medesimo. In alcune pitture posteriori sembra scorgersi l'influsso dei martiri dal fatto che in esse Daniele è vestito col perizoma ».

(2) Cf. Wilpert, *Le pitture*, etc. textus, p. 324 sq.

DE FALSO CRIMINE. Nec valet quaedam S. Hippolyti verba referre, iuxta quae Susanna Ecclesiam atque seniores ambo duos Ecclesiae populos infensos, Iudaicum scilicet et ethnicum, adumbrarent. (1) Profecto non concipitur curnam in sepulcris talis effingeretur cogitatio, dum e contra plana omnino consentaneaque liturgica videatur interpretatio.

Susannae repraesentatio septies in priscis picturis, nimirum sexies Romae ac semel in Maioris Oasis necropoli reperitur. (2)

Primo in Priscillae coemeterio tribus depicta est tabulis, tres diversos historiae eius casus exhibentibus, quo, ut ait Wilpert, pro alia, animae scilicet inter sanctos, specie, ut alias interdum accidit, nullatenus putari queat. Nempe ostenditur dum a senioribus sollicitatur; ac dum isti manum super eius caput

(1) HIPPOL. *In Susannam*, *P. L.* X, 690 sq.: Ἡ Σωσάννα προετυποῦτο εἰς τὴν Ἐκκλησίαν... οἱ δὲ δύο πρεσβύτεροι εἰς τύπον δείκνυνται τῶν δύο λαῶν τῶν επιβουλευόντων τῇ Ἐκκλεσίᾳ· εἰς μὲν ὁ ἐκ περιτομῆς, καὶ εἰς ὁ ἐξ ἐθνῶν.

(2) Rationem cur Susannae historia haud saepius depicta in sepulcris inveniatur egregius Wilpert praebet his verbis: « Le scene di Susanna sono meno numerose di quelle illustrate qui sopra; possiamo citare solo (apud Romam) sei sepolcri, sui quali la Santa è dipinta: la cappella greca, del secolo II, un arcosolio in S. Callisto, del III secolo, un loculo in S. Domitilla, un arcosolio in Pretestato, uno nel *coemeterium maius*, un altro ai Ss. Pietro e Marcellino del IV secolo. La ragione di questa rarità va riposta principalmente nella difficoltà di trattare il soggetto da rappresentare. Di fatto i pittori non riuscirono a inventare un tipo di facile intelligenza; fino al IV secolo inoltrato ognuno concepì il soggetto in modo diverso, per cui anche gli archeologi escogitarono un'interpretazione diversa per ogni scena. Solo nell'ultimo periodo si formò un tipo comune, che riproduce il *momento in cui i vecchioni sorprendono Susanna*: Susanna, in atteggiamento di orante, sta tra i vecchioni, che, essendo personaggi biblici, per lo più sono vestiti di tunica e pallio. Quindi, dopo tre secoli, si creò una scena che per la somiglianza si presta ad essere scambiata coll'accoglienza dei defunti fra i beati, distinguendosene solo per questo, che i vecchioni fanno il gesto di parlare, mentre i santi o non fanno alcun gesto, oppure stendono la destra o ambedue le mani al defunto per riceverlo. Questa grande somiglianza contribuì certo a far sì che i pittori evitassero, per quanto era possibile, le scene di Susanna » (WILPERT, *Le pitture*, etc., textus, p. 334).

positam habent, iuxta illa sacrae Scripturae verba: « Consurgentes autem duo presbyteri, ... posuerunt manus suas super caput eius ».[1] Denique Susanna orans cernitur simul cum viri figura, Ioachim, ut videtur, eius mariti, quippe qui, de cognita uxoris suae castitate narratur enixe laudasse Deum.[2] Pictura ad saeculum secundum pertinet.

Secunda saeculi tertii parte, in coemeterio Callisti, non quidem Susannam a senioribus sollicitatam, sed iam, Danielis ope, a ficto liberatam crimine repraesentarunt (Tab. 150). Huius tamen picturae interpretatio eadem non fuit apud elapsae aetatis archaeologos: nam I. B. De Rossi ac Raphael Garrucci eam pro martyris cuiusdam iudicio habuere, eo praesertim decepti, quod iudicis caput laurea corona cinctum arbitrati essent. Verum tamen nullum prorsus coronae indicium est; et alioquin, si revera capillamentum iudicis pro corona laurea esset habendum, et aliae quoque iudici adstantes figurae eodem coronatae modo essent dicendae.

Saeculo quarto, Romae, Susannae effigies semel in coemeterio Domitillae, semel quoque in coemeterio quod vulgo Ostrianum vocant, ac semel denique in hypogeo Ss. Petri et Marcellini est depicta. In coemeterio autem Praetextati, Susanna ovis figura adumbrata est inter duos lupos; ne autem obscurior picturae sensus evaderet, artifex vocabulo SVSANNA ovem, vocabulo vero SENIORIS lupum dextrorsus stantem communivit. Id, procul dubio, Christi haec reddit verba: « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum ».[3]

Ab his omnibus differt Susannae imago in Maioris Oasis sepulcreto, ad saeculum quoque pertinens quartum; nam neque seniores apparent, neque mulier in agone est; sed sedens cernitur, ita ut, nisi nomine COVCANNA esset effigies praedita, nemo pro Susannae persona eam acciperet.[4] Itaque

(1) Daniel, XIII, 34. — Cf. Garrucci, *Storia dell'arte*, II, p. 86.

(2) Daniel, XIII, 63.

(3) Lucas, X, 3.

(4) W. de Bock, *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Egypte chrétienne*, tab. IX.

Susanna illic iam periculo liberata paceque fruens adumbrata est, sicut in Diocleana patera, in qua sola oransque conspicitur.

Quod vere Susanna defuncti sit symbolum ex eo quoque confirmatur, quod in sepulcro Praetextati coemeterii, ubi Susanna sub specie ovis inter lupos apparet, ibidem paullo altius

Tab. 150. Coem. S. Callisti. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

eiusdem Susannae adumbratio inter oves, quae, ut notum est, electos repraesentant, cernatur. Oratio igitur ibi, sicut et alibi, velut exaudita exhibetur.

Ionas. — Ionae historia, non secus atque Danielis ac Noe, in precibus commemorabatur, ut Deus animam a morte aeterna liberaret: « Exaudi (Domine) me orantem, ait secunda Pseudocyprianica oratio, sicut exaudisti Ionam de ventre ceti, sic exaudias me, et eiicias me de morte ad vitam »; et in relata Constitutionum apostolicarum prece: « Qui Ionam viventem ac illaesum tertio die eduxit e ventre ceti..., is non carebit viribus ad suscitandum nos quoque ». Quod si in *Ordine commendationis animae* exemplum illud desit, nihilominus aut id amanuensis negligentiae tribuendum, aut alias dicendum est

eiusmodi preces extitisse, nunc autem deperditas, quae prophetae Ionae infortunia aliaque biblica facta, in *Commendatione minime* recensita, continerent. Id, ut supra vidimus, e patera Diocleana clare colligitur, ubi, una cum prophetae historia, haec inscriptio incisa est:

DIVNAN (Ionas) DE VENTRE QVETI (ceti) LIBERATVS EST

necnon in quodam saeculi undecimi *Animae commendationi ordine* a Martene relato legere est: « Libera eum, Domine, sicut liberare dignatus es... Ioanam de ventre ceti ».[1]

Ionae casus unum, cum Danielis damnatione ac liberatione in primaevis monumentis, hoc commune habet; quod vesana belluarum feritas, marini nempe hinc monstri, illinc vero leonum, utrique periculum prophetae inferre ostentatur. Quae quidem bestiae in epigraphicis formulis perinde ac in precibus pro defunctis, assimilationes veluti sunt Satanae ac mortis aeternae. Sic in quodam Romano epitaphio dicitur: « Domine, ne quando adumbretur spiritus (id est anima) Veneris »; quod idem prorsus sonat atque illud *Missalis Romani:* « Ne quando rapiat ut leo animam meam... Libera eas (animas fidelium) de ore leonis,... ne cadant in obscurum ». Iustinus, aliunde, ut supra in praevia consideratione vidimus, leoni rugienti ac draconi persecutionem necnon de mortis discrimine loquens verba haec vigesimi primi psalmi quasi supremas animae ad Deum supplicationes refert:

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.
Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam.
Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Haec omnia in liturgia Romana iterata sunt, in qua etiam: « Domine,... libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus ».[2]

(1) MARTÈNE, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, I, p. 899.
(2) *Missale Romanum*, *Offertorium Missae defunctorum*.

At mirabilem prorsus concordantiam inter quamdam liturgicam precem et titulum quemdam in Lateranensi museo asservatum, Le Blant animadvertit. En documenta ambo :

Tab. 151.

« Non ei se opponat *leo rugiens* et *draco devorans*, miserorum animas rapere consuetus » (1)

Circuli quattuor, quos in tituli effigie cernere licet, foramina sunt lapidis, qui nempe iam alibi adhibitus fuerat quando in Christianum titulum conversus est. Ad dexteram boni Pastoris adest leo, ad sinistram autem draco Ionam evomens. Itaque defuncti anima (nempe Veratii Nicatorae) ex ore leonis necnon draconis liberata, secura humeris boni Pastoris Christi Iesu inter oves, seu inter electos, fertur.

Ex eo autem quod cetus, a quo Ionas glutitur, daemonem aliquatenus significet, forsitan repetendam libenter arbitror rationem, cur sub immani ac portentosa illa, quam vidimus, forma in Christianis repraesentationibus exhibeatur, quamvis aliqui id potius ex ethnicarum quarumdam imitatione imaginum, in quibus, exempli gratia, haud absimili monstro, seu, ut vocant, hippocampo, obiicitur Andromeda, deducendum reputaverint. (2)

Et revera, draco, non minus quam leo, animae inimicus est habitus, quasi Satanae gereret personam: uterque insuper Dei conculcandus virtute in decimotertio versiculo nonagesimi psalmi declaratur: « Super aspidem et basiliscum ambulabis,

(1) Cf. WILPERT, *Le pitture*, etc. textus, p. 125.
(2) Cf BOISSIER, *Promenade archéol.* p. 169, 6e éd. Paris, 1898.

et conculcabis leonem et draconem ». Exinde denique in liturgiam, ut videtur, transivit, necnon in epitaphia; et in quadam saeculi sexti Alexandrinarum catacumbarum pictura, Christus inter serpentem et lacertum apparet, pedibus leonem et dra-

Tab. 152. Pictura catacumbarum Alexandrinarum.

conem calcans (Tab. 152). Id quidem perfecte relato consonat psalmi versiculo, ac mortis victorem hominumque salvatorem Christum esse commonstrat; idemque insuper argumentum in eburneis anaglyptis reperitur. Sicut autem psalmi nonagesimi textus, sic etiam de dracone reportata victoria ad hominem referri potest; unde figura quoque defuncti repraesentata aliquando est pedibus serpentem proterens. Sic in quadam coe-

Tab. 153. CALENDINA VIBES. Pictura coem. S. Domitillae. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

meterii Domitillae pictura, iuxta orantis imaginem, ovis conspicitur quae serpentem, partim arbori circumvolutum, pede obterit (Tab. 153). Neque hoc huius rei unicum manet testimonium ut infra videbitur.

Tandem, quod Ionas pro defuncto acceptus fuerit, eo quoque patet, quod in coemeterio S. Cyriacae, super Ionae quiescentis figuram scriptum sit ZOSIMIANE IN DEO VI*vas*, perinde quasi de Iona esset dictum. Ceteroquin Ionas sub triplici aspectu adumbratur: dum nempe in mare faucesque draconis ipsas deiicitur, aut fere iam a bestia absorbetur; dein cum a monstro evomitur, denique cum sub pergula quiescit. Haud raro autem tres istae imagines ordine continuo procedunt, nec de tertiae imaginis significatione ambigi potest: quietem et pacem quas defunctis ominabantur superstites, refrigerium videlicet seu paradisum significat.

Praeterea, in quadam coemeterii Ss. Petri et Marcelliui pictura, Ionas erectus et orans e monstri faucibus eiicitur; et in alia apud Calarim effigie, de qua infra loquendum, propheta non quidem iacens, sed genu flexus et orans sub pergula effictus est (Tab. 155) figurae vero ambae eidem tribuuntur aetati (saec. III). (1)

(1) Wilpert, *Le pitture*, etc., textus, p. 341, tab. 31; De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1891, p. 139 sq.

Notatum insuper fuit, pergulam fructus semper ferre cucurbitae, iuxta textum Septuaginta necnon forsan iuxta *Italam* versionem. Rufinus igitur in sua cum S. Hieronymo controversia circa naturam frondis Ionae pergulam convestientis, merito ad Catacumbarum provocabat picturas; nam nullibi in istis apparet *hedera*, quam *cucurbitae* loco posuit in Vulgata sacri libri lectione redigenda. (1)

In nave, ex qua propheta expellitur, tres plerumque personae cernuntur ac, iuxta piscatorum illius temporis morem, nudae; sed in tardioribus picturis duo interdum sunt Ionae comites. A saeculo exeunte secundo, duorum plerumque navigantium ope Iona in mare deturbari conspicitur; tertius vero, si adsit, saepius est orans. Post saeculi tertii dimidium, primo duo solummodo huiusce historiae casus apparent; necnon etiam quattuor, nempe tres quos iam recensuimus, et alius quo propheta cogitabundus producitur. Semel tantum unica Ionae figura invenitur, scilicet a monstro evomiti, idque in coemeterio Priscillae. (2)

Picturae quae Ionae historiam exhibent sexaginta una extant, id est, quinquaginta septem in Romanis catacumbis, una in Neapolitano S. Ianuarii coemeterio, una in Sardinia insula (apud Calarim), una in Pannonia et una denique in Maioris Oasis sepulcreto. Multo autem plures essent dicendae, si facta singula huius historiae repraesentata numerarentur; clareque indicant quam in liturgiis funerariis Ionae exemplum familiare fuerit. Cuius quidem rei hanc rationem esse existimo, quod scilicet non martyribus tantum, sed omnibus promiscue fidelibus eiusmodi aptaretur historia, communioremque animae post mortem conditionem repraesentaret.

In picturis cubiculorum Callistiani hypogei iam recensitis quae a sacramentis nomen acceperunt, notatum a nobis fuit baptismatis adumbratione seriem imaginum incipi, eamdemque Ionae historiae figuris ad finem verti. Porro, primae et

(1) S. Hieronymus, *Ep.* CXII, *P. L.* t. XXII, 930. — Cf. Kraus, *Real-encyklop.* II, p. 69.

(2) Wilpert, *Le pitt.*, etc., textus, p. 341, tab. 82, 2.

extremae istae repraesentationes intermediis praetermissis, in quadam Calaritani coemeterii pictura coniunctae cernuntur (Tab. 155). Pictura nempe illa in tres tabulas distinguitur, quarum prima navem exhibet, in qua septem viri nudi, retibus missis, hominibus, potius quam piscibus captandis videntur intenti. In navem agnus quidam ascendit, fidelis vide-

Tab. 154.

licet, qui per baptisma Ecclesiam ingreditur fitque agnus de grege Christi.

Secunda tabula Ionae historiam habet, cuius significatio nota; propheta vero non quidem iacens sub cucurbitae umbra, sed, ut supra dixi, genuflexus atque orans apparet.

Denique in tertia tabula, ipsum agnum, qui in Ecclesiae navem receptus fuerat, inter oves suas Pastor divinus agnoscens, eum in refrigerii et pacis locum portat. (1)

(1) Praestat ipsius I. B. De Rossi verba hanc illustrantis picturam afferre: «La prima scena è nuovissima; nè me ne sovviene altro esempio nei monumenti figurati cristiani dei primi secoli. Colui che siede al governo della nave dovrebbe essere Gesù Cristo, come nella insigne lucerna enea naviforme di Valerio Severo (v. *Bull.* 1867, pp. 27, 28; 1868, pp. 34, 35; 1869, p. 45; 1876, pp. 12, 54; GARRUCCI, *Arte crist.* tav. 469, 1): ma il pittore non ne ha distinto in modo veruno la figura da quella degli apostoli pescatori. Nè l'agnello, che per un ponte di tavola sale dalla riva alla nave, può essere il mistico agnello divino; del cui significato di vit-

Pictura ista satis fideliter arte lithographica repraesentata primum fuit, non ita tamen quin aliquatenus aliter revera se

tima e della cui postura eminente nell'iconografia cristiana abbiamo trattato di proposito nel fascicolo precedente (pp. 8 sgg.). Egli è manifestamente il fedele; e significa che gli uomini presi nella rete dagli apostoli divengono agnelli del gregge di Cristo e sono accolti a salvamento nella mistica nave. Cotesto concetto simbolico è anch'esso nuovissimo, come tutta la composizione; manifesta è però la sua congruenza con le dottrine evangeliche e con l'indole mistica dell'antico simbolismo cristiano.

« L'altra nave fa il paio colla prima; imperocchè anche da essa è gittata la rete nel mare; nè è forse senza studiata allusione, che sommati i pescatori d'ambedue le navi danno il numero duodenario, quello del collegio apostolico. Ma la seconda non è semplice nave pescareccia; è quella di Giona. Il quale presso la medesima apparisce rigettato a terra dal mostro marino; e perciò nel gruppo vicino dee essere ritratto quando è inghiottito dal mostro. La copia però che mi è stata trasmessa, presenta le aperte fauci del mostruoso cetaceo volte al lato opposto a quello dell'uomo, che cade nel mare. Credo che la mala conservazione della pittura abbia tratto il copista in inganno. Che la nave di Giona sia stata dagli antichi considerata come tipica di quella della Chiesa, l'ho dichiarato a proposito degli affreschi dei celebri cubiculi ... nel cimitero di Callisto. Nè strana adunque, nè al tutto nuova, come nella scena precedente, è l'intenzione del pittore calaritano. Il quale però, in luogo di effigiare Giona, rigettato sul lido, disteso sotto la pianta di zucca, come fu consueto nell'arte cristiana, ce lo presenta orante, inginocchiato a terra (il colore indicante la terra è svanito). Tutto qui concorre a dimostrare che il pittore calaritano non fu ligio ai tipi stabiliti e quasi direi convenzionali, ma ideò con libertà e foggiò a suo arbitrio la composizione. Il Vivanet dice che Giona è inginocchiato sotto un pergolato di zucche. Ciò nel disegno colorato inviatomi non è chiaro; ma così dee essere senza fallo. Notissima è la testimonianza della letteratura cristiana del secolo quarto e degli inizii del quinto circa l'antichità delle rappresentanze di Giona sotto la zucca, *in sepulcris veterum*; la cui autorità era opposta alla nuova interpretazione di san Girolamo, sostituente *hedera* a *cucurbita* nella versione latina del libro di Giona (v. KRAUS, *Real-encyklop.* II, p. 69). Il dipinto calaritano di tipo classico, assai anteriore all'età di quella controversia, appartiene senza dubbio alla classe dei *vetusti sepolcri*, ai quali si faceva appello verso la fine del secolo quarto per la *cucurbita* contro l'*hedera*.

« Viene in fine la scena della capanna del pastore, effigiata quasi a foggia di monumento rotondo, coperto da volta emisferica. La porta arcuata, assai grande, mi fa esitare se io debba o no aderire al sospetto che in cotesta grandiosa capanna il pittore abbia voluto effigiare un mausoleo

haberet: praesertim, ut iam I. B. De Rossi suspicatus erat, boni Pastoris figura, non quidem ante pectus, sed, ut solet,

sepolcrale. La colomba noetica col ramoscello d'olivo nel becco, simbolo certo dell'anima beata *in pace*, posata sul colmo della volta emisferica, mi suggerirebbe il pensiero che qui si sia voluto alludere alla magione dei beati nell'altra vita. L'albero di olivo da un lato, di palma dall'altro, convengono esattamente alla ideata interpretazione. Qualunque però ne sia il grado di probabilità, non ho esitato e non esito a chiamare capanna o tugurio del pastore, l'edificio rotondo. Imperocchè vediamo da lungi il pastore, che a quella dimora ritorna, portando amorosamente la pecora smarrita. Non l'ha adagiata sugli omeri, come nel tipo proprio di tutta la tradizione dell'arte cristiana; ma la regge colle braccia dinanzi al petto, in modo veramente nuovo e singolare. Siffatta singolarità e difformità dal tipo stabilito, nella figura più augusta e solenne dell'iconografia cristiana dei primi secoli, è suggello autentico del carattere speciale, quasi direi arbitrario, e deviante dalla tradizione artistica e tipica, che dobbiamo riconoscere in cotesto affresco, perciò degnissimo dell'attenzione degli archeologi.

« Diamo ora un'occhiata sintetica al complesso della ricca composizione, libera da vincoli di fedele riproduzione dai tipi consueti in quanto ai particolari, concorde col senso e pensiero simbolico dell'arte cristiana in quanto alla sostanza. Alla nave mistica, dalla quale i pescatori d'uomini gittano nel mare le leggi evangeliche, sale una pecora simboleggiante l'eletto accolto entro la nave salutifera. Parimente una pecora nelle braccia del pastore è portata alla capanna posta in mezzo a piante fiorite ed agli alberi della mistica terra promessa, che sono la palma simbolica della Palestina e l'olivo simbolico della pace celeste. La colomba noetica, simbolo indubitato dell'anima accolta in quella pace, posata sul colmo della capanna o casa pastorale, completa e suggella la scena allegorica. Siffatta composizione parmi spontaneamente suggerire un pensiero di allusione al fedele, che preparò per la sepoltura sua e dei suoi il cubicolo, e ad ognuno dei fedeli quivi sepolti. Essi, tratti a salvamento dal mare tempestoso del mondo idolatra per la predicazione apostolica, e divenuti così pecore fedeli del gregge di Cristo, toccano il termine felice di loro vita terrena, accolti nella pace eterna, portati sulle braccia misericordiose del divino pastore. Nelle antichissime preci liturgiche romane, quelle della sepoltura eran conchiuse con formola deprecativa, affinchè all'anima del defunto *proficiat in aeternum quod speravit et credidit, et boni pastoris humeris reportata in comitatu aeterni regis, perenni gaudio et sanctorum consortio perfruatur* (MURATORI, *Lit. rom. vet.* p. 571). Con sì dolci parole, dimostranti in quale nesso gli antichi abbiano inteso collegare l'immagine del pastore con la memoria dei cari sepolti, chiudo il commento al vetusto singolarissimo affresco venuto in luce presso Cagliari » (*Bull. di arch. crist.* 1891, pp. 140 sq.).

Tab. 155. Picturae symbolicae coemeterii Calaritani (saec. III) Christiani sortem repraesentantes. (Ex *Bull. di arch. christ.* 1891).

in humeris ovem portat, aliaque ovis ante ianuam casae stat, ut videre est in tabula 154, fideliorem eiusdem picturae adumbrationem exhibente.

Transitus maris Rubri. — Semel biblicum hoc prodigium invenitur, ac loci rationi tribuendum videtur si potissime apud Aegyptum appareat. Ipsum etiam aliquatenus forsitan commendationis animae oratio innuit in qua dicitur: « Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis regis Aegyptiorum ».(1) Pictura, de qua sermo est, partem non parvam cuiusdam tholi in Oasis necropoli occupat, atque historico prorsus modo est concinnata; nimirum Moyses, baculo munitus, populum Iudaeorum praecedit, iamque mare sicco pede transivit. Plebem autem Israeliticam exercitus equitatusque Pharaonis persequuntur atque, etiamsi nomina rem explanantia ibi non essent, facile picturae significatio deprehenderetur. Nomina autem, suo loco disposita, haec sunt:

ΜΟΥϹΗϹ ΙΟΘΟΡ ΙϹΡΑΗΛΙΤΑΙ ΕΡΥΘΡΑ ΦΑΡΑΩ

Id est: Moyses Iethro Israelitae Mare Rubrum Pharao (2)

Haec plane repraesentatio pretiosa est, nam vividior ibi itineris cogitatio apparet, et quidem ad terram promissionis, quae aeternae hereditatis symbolum eloquentissimum extat. Eius autem extensio seu complexio una ex caussis certo fuit, cur minime in Romanis coemeteriis depicta fuerit.

S. Theclae martyrium. — Huius argumenti mentio fit in praefata ad commendandam morientis animam oratione, nempe: « Sicut beatissimam Theclam virginem et martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam huius servi tui, et tecum facias in bonis congaudere caelestibus ».(3) Sancta Thecla, quae Seleuciae, omnium mulie-

(1) Luc. XVI, 19 sqq.; XXIII, 43; Matth. VIII, 11; XXVI, 24; *Cor.* V, 8; I *Thess.* V, 10; *Hebr.* IX, 27.

(2) Lactantius, *Div. inst.* VII, 21.

(3) W. de Bock, *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Egypte chrétienne*, tabb. IX, X, XI, XII; Cabrol, *Dictionnaire*, vol. II, tabb. 1187, 1188, 1189.

rum prima, pro Christo occubuisse perhibetur, summa apud priscos Christianos veneratione est habita. Eius tamen martyrium semel tantum invenitur depictum, idque in Maioris Oasis sepulcreto, neque unquam in sculptilibus cernitur.

Art. III. — Picturae Dei servos ad visionem beatificam admittendos significantes.

Picturae nunc exponendae veniunt quae praemium aeternum Deique visionem utique precibus obtinendam, sed nulla de huius vitae aerumnis vel purgatorii cruciatibus facta mentione respiciunt. Si ergo istae, quas in articulo praecedenti disseruimus, imagines interdum et ipsos viventes poterant quodammodo spectare, quatenus scilices biblicorum exemplorum commemoratione fidelium animae ad huiusce vitae adversa martyriique discrimina toleranda, fortitudinem subministrare valerent, illa quorum explanationem nunc aggredimur, non nisi defunctis aperte et proprie convenire existimandae sant.(1)

Moyses sandalia sibi solvens. — Licet raro ac saeculo dumtaxat quarto imago ista fuerit efficta, nihilominus magis quam ut credi possit ad praesens attinet argumentum.

Desiderium enim videndi Deum, aut assidua, ut defunctorum animae ad hanc perveniant visionem deprecatio, tam in epitaphiis quam in liturgiis occurrit. Sic quaedam a Bosio relata inscriptio haec habet: « Te canat et placitum iugiter aspiciat », (2) et in alio in Gallia reperto epitaphio: « Sic praesta, Deus, ut quorum sepulcra iunxisti funere tanto, eorum facias animas aspectus tui libertate gaudere ». (3) In coemeterio

(1) In Africano Oasis Maioris sepulcreto, quaedam extat imago, Isaiae nempe supplicium, quam ad neutrum genus pertinere libenter dicerem : minime enim memoriae est traditum Isaiam prophetam, dum martyrium pateretur, speciali et insolito aliquo Dei interventu fuisse adiutum; ac alioquin multo minus tale repraesentationis argumentum caelestem visionem significare est reputandum. Haec autem pictura non est saeculo quarto anterior.

(2) Bosio, *Roma sott.* p. 47.

(3) E. Le Blant, *Inscr.* t. II, p. 596.

Domitillae etiam, paucis abhinc annis, titulus cuiusdam Callisti, viri egregii, inventus est, in quo de defuncto dicitur:

DEVM VIDERE CVPIENS VIDIT (1)

Quoddam vero carmen, in honorem forsitan papae Liberii concinnatum, hos habet versus:

Cum hac turba dignus mediusque locatus (honeste?),
Mitte(ris in) Domini conspectu(m), iuste sacerdos. (2)

Ad liturgias dein quod attinet, ne sim prolixior, haec tantummodo referam verba *Commendationis animae*: « Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et, praesens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem ». (3)

Nullo atqui poterat modo aptius illud divinae visionis desiderium exprimi quam Moysis imagine, ut in Domini conspectum adeat se praeparantis. Figurae tamen huiusmodi paucae eaeque saeculi quarti sunt. Moyses sandalum dextrum alterumve solvens, pede super suggestum posito exhibetur; nec rubus ardens adest. Semel tantum manus e caelo porrecta conspicitur. Quod autem et Moyses defunctum repraesentet, ex eo apparet quod, sicut ceterae biblicae personae quae defunctos adumbrant, ipse quoque prorsus imberbis sit effictus. Immo pictura quaedam in coemeterio Callisti, post Moysem imberbem sandalia sibi solventem, statim Moysem rupem percutientem, sed barbatum praebet.

Elias raptus ad caelum. — Sero ac semel tantum haec reperitur imago, cuius sensum oratio *Commendationis animae* satis aperit: « Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Enoch et Eliam de communi morte mundi ». Elias videlicet, ipsum quodammodo repraesentat defunctum, sicut

(1) Marucchi, *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1901, p. 245.

(2) De Rossi, *Bull.* 1883, p. 9.

(3) Cf. Muratori, *Liturg. rom. vet.* I, p. 748; Renaudot, *Liturg. orient.* II, p. 553.

in ceteris picturis Ionas, Tobias, Daniel, Susanna, etc.; cuius significationis in praesenti re nobis testimonium perspicuum affert quoddam numisma, paullo post Constantini mortem procusum, in quo imperator, sub Eliae specie, in quadriga dum in caelum recipitur a Deo cernitur. (1)

Iam ethnicam, uti vocant, apotheosim, quae ad mortem cuiuslibet imperatoris fiebat, Christianam quodammodo reddere senatum Romanum hoc numismate voluisse dubium non est. Pictura vero aliquanto est numismate posterior, cum ad secundam saeculi quarti partem pertineat; quapropter antiquiore monumento, nedum liturgica prece, eius significatio clarior nobis facta est. Modus vero quo prodigium proponitur non omnino respondet historiae, iuxta quam pallium Eliae cecidit, illudque Eliseus collegit. E contra in pictura praefata, perinde ac in quodam Lateranensis musei sarcophago, Elias, priusquam ad caelum rapiatur, pallium Eliseo committit, quod prorsus vulgari tunc temporis opinioni concinit. Notum est enim Eliae, pallium Eliseo committentis, exemplum quasi argumento fuisse sumptum ad commenticiam quamdam traditionem confirmandam, iuxta quam Petrus apostolus pallium suum S. Lino moriens credidisset. Unica Eliae depicta imago in quodam coemeterii S. Domitillae arcosolio invenitur.

Mulier Samaritana iuxta puteum. — Eadem vitae aeternae cogitatio, quam in relatis inspeximus figuris, Samaritanae imagine repraesentatur, sed modo nonnihil diverso. De refrigerio quod superstites defunctis ominabantur, nempe quod Patres, liturgiae, acta martyrum et innumera pene epitaphia refrigerium defunctorum animabus adprecentur, satis iam locuti sumus. (2) Ad hoc etiam Samaritanae figura alludit, praesertim quum, ut in Callistiani hypogei pictura (Tab. 156), non quidem e puteo sed e fonte scaturientem aquam mulier vi-

(1) Cf. Wilpert, *Le pitt.* etc. textus, pp. 384 sq. — Caelum quidem stella, Deus vero manu adumbratur. Huius numismatis plura extant exemplaria.

(2) Vol. II pars prima, pp. 98 sq. Cf. opellam meam *I Novissimi secondo i monumenti primitivi della Chiesa*, Roma, Pustet, 1910, pp. 19–28.

deatur haurire. Ibi enim aqua non extrahitur, sed extra putei labra diffluit; et insuper Christi figura instar doctoris sedet, volumen legis manibus explicatum tenens. Quod autem Christi imago altiori quam par esset loco fuerit depicta, id spatii an-

Tab. 156. Pictura coem. S. Callisti. (Ex WILPERT, *Le Pitture*, etc.).

gustiae tribuendum Wilpert censet. Samaritanae autem effigies, praeterquam apud Callisti hypogeum, apud Praetextati, Domitillae ac Ss. Petri et Marcellini coemeteria est.

PRUDENTIUM FATUARUMQUE VIRGINUM PARABOLA. — Cum essent virgines Christo speciali modo consecratae, aliquando in earum epitaphiis ad caelum, ad coronam, ad thorum, ad sponsum migrasse dicuntur; quae omnia plerumque prudentium virginum parabolam apprime redolent. Exemplorum gratia:

— PROPERANS KASTITATIS SVMERE PREMIA DIGNA MERVIT IMMARCESCIBILE*m* CORONA*m* (1)

(1) WILPERT, *Die gottgeweihten Jungfrauen*, p. 80.

— CRINIBVS IMPOSITO (velamine sancto) COELVM PETIERE SORORES (1)
— AETERNOS SORTITA THOROS XPIQVE PETIVIT PERPETVAM LVCEM NVLLO QVAE FINE TENETVR (2)
— DATILLAE ... ANIMAM PRO CASTO SAN*c*TO *vitae proposito* NENO (nemo) DVBITA (dubitat) CAELVM PE*tiisse* (3)
— QVISQVE FIDEM TRINAM CONFESSVS DOGMATE VERO AETERNAM FISVS CHRISTO CVM CARPERE VITAM CENSEAT HAS (scilicet *virgines*) NVNC LVCE FRVI VITAQVE PERENNI (4)
— RETTVLIT AD XPM CELSA PER ASTRA GRADVM (5)

In epitaphio Marcellae, S. Ambrosii sororis, hoc legimus:

ET TE VIRGO TVVS TRANSVEXIT AD AETHERA SPONSVS (6)

ac Damasus sororis suae Irenae epitaphium ita conclusit:

NVNC VENIENTE DEO NOSTRI REMINISCERE VIRGO
VT TVA PER DOMINVM PRAESTET MIHI FACVLA LVMEN (7)

Haec ultima formula evidentius quam reliquae ad virginum alludit parabolam, cuius mentio saepe in liturgicis precibus occurrit; immo vel in orationibus pro omnibus fidelibus quandoque invenitur ut, exempli gratia, in Orientali liturgia: « Praepara etiam nos, ut inculpati, cum lampadibus lucentibus, procedamus in occursum unigeniti Filii tui ». (8) Quam quidem formulam sequens inscriptio imitari videtur:

*in hoc s*EPVLCRO REQVIESCET PVELLA VIRGO SACRA · B · M · ALEXA*ndra quae recep*TA CAELO MERVIT OCCVRRERE · XPO · AD RESVRREC*tionem praemium ae*TERNVM SVSCIPERE DIGNA ... (9)

(1) WILPERT, loc. cit. p. 21.
(2) *Corp. inscr. Lat.* V, par. II, n. 6734; cf. vol. II, par. I, p. 217.
(3) DE ROSSI, *Inscr. Christ.* p. 320, n. 737.
(4) *Corp. inscr. Lat.* V, par. II, n. 6729.
(5) *Corp. inscr. Lat.* V, par. II, n. 6240.
(6) *Corp. inscr. Lat.* V, par. II, p. 623, n. 16.
(7) MAXIMILIANUS IHM, *Damasi epigrammata*, p. 15, n. 10, vv. 14–15.
(8) RENAUDOT, *Liturg. orient.* II, p. 266.
(9) DE ROSSI, *Inscr. Christ.* t. I, p. 325, n. 745.

Alia vero inscriptio orationem quamdam Sacramentarii Gelasiani reddere videtur, quae ad sacrae virginis benedictionem dicebatur: « Transeat in numerum sapientium puellarum, ut caelestem sponsum accensis lampadibus cum oleo praepa-

Tab. 157. Virginum parabola in S. Cyriacae coemeterio adumbrata. (Ex WILPERT, *Le pitture*, etc.).

rationis expectet, nec turbata improvisi regis adventu... excludatur cum stultis, regalem ianuam cum sapientibus libenter introeat, etc. ». (1)

HIC REQVIESCIT IN PACE
BEATAE MEMORIAE
EVSEBIA SACRA DŌ
PVELLA CVIVS PROBA
BILIS VITA INSTAR
SAPIENTIVM PVELLA
RVM SPONSVM EME
RVIT HABERE XPM (Christum)
CVM QVO RE*surget* (2)

Haec omnia probe declarant quid virginum parabola in picturis coemeterialibus repraesentata significet; quae tamen ter

(1) MURATORI, *Liturg. rom. vet.* I, p. 360. Cf. etiam p. 195; item *Officium feriale Maronitarum*, Romae, 1863, append. 56 et 62.

(2) LE BLANT, *Inscr. chrét. de la Gaule*, II, n. 392.

tantum occurrit, et quidem saeculo dumtaxat quarto: Romae nempe bis, semel autem in Maioris Oasis necropoli. Aetate anterior ea videtur quae in viae Nomentanae coemeterio, quod vulgo Ostrianum vocant, cernitur.

Ibi, in lunato cuiusdam arcosolii spatio, virgo defuncta (Victoria) instar orantis apparet. Ad sinistram eius quinque procedunt virgines, sapientes scilicet, cum faculis accensis vasisque olei. Ad eius dexteram mensa conspicitur, ad quam quattuor solummodo feminae discumbunt, quinto loco vacuo relicto. Non videtur dubium quin caeleste ibi sit adumbratum convivium, vacuusque locus virgini Victoriae ad convivium admittendae sit paratus.[1]



Tab. 158.

Altera Romana eiusmodi pictura in S. Cyriacae coemeterio invenitur, iuxta quod, iam inde a saeculo quarto, virginum monasterium extitit. Imago ista in tabula 157 fidelissime delineata est: ibi autem Christus cernitur qui quinque prudentes virgines, faculis accensis oleoque munitas, benigne recipit, dum quinque fatuis virginibus dorsum vertit.[2] Eandem cogitationem videtur quoddam tituli fragmentum, in S. Callisti

(1) Cf. WILPERT, *Le pitt.* textus, pp. 393-394; *Die gottgeweihten Jungfrauen*, tab. I: « Una particolarità dà speciale interesse all'immagine: al sigma siedono non cinque vergini come nelle copie publicate (scilicet a Bosio, ab Aringhi, a Bottari et a Garrucci), ma soltanto *quattro*. L'artista avrebbe benissimo potuto aggiungere altre due figure; se non lo fece, è segno ch'egli volle *di proposito* tal numero: evidentemente riservò il *quinto posto alla defunta*. Ora risulta chiara la correlazione delle tre immagini nella lunetta. Come vergine prudente (gruppo a destra), la defunta deve compiere il numero degli ammessi al banchetto (gruppo a sinistra); partecipe della beatitudine, essa, come espressamente domanda una delle due iscrizioni dipinte, deve pregare pei superstiti (orante) ».

(2) Cf. WILPERT, loc. cit. tab. 5.

coemeterio extans, exhibere, in quo defuncti vel defunctae anima, sub specie columbae, Christi monogrammati adstat, faculam accensam versus illud protendens. (Tab. 158).



Tab. 159.

Aliter parabola ista in Oasis necropoli repraesentata est. Ibi enim virgines, alia post aliam, ad sponsi domum diriguntur, lampadibus instructae. (Tab. 159).[1]

(1) Tabulam istam inspicienti patet quanto picturae Africanae necropolis Romanis picturis, quoad artem, deteriores sint, licet et ipsae ad quartum pertineant saeculum.

CAPUT VII.

Hominis novissima.

ANIMADVERSIO PRAEVIA.

Novi Testamenti libri nihil praebent quod aperte de iudicio ab animabus statim post mortem subeundo mentionem faciat, licet id tacite pro asserto habeant. (1) Nec vero clarius Patres trium priorum saeculorum de eo loquuntur argumento; immo Lactantius contra eiusmodi iudicii opinionem haec protulit verba: « Nec tamen quisquam putet animas post mortem protinus iudicari. Nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen ». (2)

Verumtamen nemo alius praeter Lactantium invenitur scriptor, vel inter millenarii sanctorum in terris regni assertores, qui talem sententiam professus sit. E converso illi etiam qui animas sanctas remunerationem negarunt adipisci, huic tamen omnes ad unum assensi sunt, ut dicerent aeternam animarum sortem illico post hanc vitam decerni, aut saltem iustos ab impiis statim separari.

Huius antiquorum scriptorum silentii caussa haec, iuxta quosdam theologos, esse videtur, quod tale iudicium modo minime sensibili fiat, neque iudex debeat de caussa edoceri neque errori obnoxius sit. Verum, quaecumque ipsa extiterit, saeculo quarto aperta de iudicio singulari asseveratio habetur in his S. Ephrem verbis: « Beatus qui invenerit fiduciam in hora

(1) Cf. LEONHARD ATZBERGER, *Die christiche Eschatologie*, Freiburg im Breisgau, 1890, pp. 204 sqq.

(2) LACTANTIUS, *De beatit. sanct.* lib. I, c. 1.

exitus sui, cum anima separatur a corpore. Venient angeli assumere animam et perducent eam ante tribunal immortalis et metuendi iudicis. Grandis timor est, fratres, in illa hora mortis et separationis animae a corpore. Adsistent enim tunc ipsi animae opera eius, quae die noctuque bona et mala gessit. Sancta anima, quae separatur a corpore, non timet, sed magis gaudens cum fiducia pergit ad Deum, evecta officiis angelorum ».(1) Rationem autem huius sententiae pulchre S. Augustinus praebet in suo de anima eiusque origine tractatu: « Nam illud quod rectissime et valde salubriter Vincentius Victor credit, iudicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oporteat, iam redditis corporibus, iudicari atque in ipsa, in qua heic vixerunt, carne torqueri sive gloriari, hoc itane tandem ipse nesciebam? Quis adversus Evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere, qui post mortem allatus est in sinum Abrahae, et in illo divite, cuius in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat vel audita non credat? » (2)

Liturgicae preces, praesertim quae eucharistiam velut resurrectionis pignus exhibent, de hoc quoque iudicio interdum verbum faciunt. Sic apud Orientalem quamdam liturgiam legimus:

« Certe precamur et obsecramus te, generis humani amator, bone Domine, largire nobis, ut communio sancti corporis et pretiosi sanguinis unigeniti Filii tui sit nobis... in viaticum vitae aeternae, in defensionem acceptabilem *ante tremendum tribunal Christi tui* ».

Item: « Sed da nobis ad extremum usque vitae spiritum digne suscipere spem sanctificationum tuarum, ad viaticum vitae aeternae (εἰς ἐφόδιον ζωῆς), ad defensionem acceptabilem *coram timendo tribunali Christi tui* ». (3)

Epitaphia vero non desunt quae ipsam iudicii animae repraesentationem scalpro vel graphio delineatam proferant. Iam

(1) S. Ephrem, *De beatitudine animae*, c. 1.

(2) S. Augustinus, *De anima et eius origine*, lib. II, c. 4.

(3) Renaudotius, *Liturg. orient.* I, p. 72; I, p. 146.

Tab. 160. Particulare iudicium et admissio animae in electorum grege.

in Aurelii Theoduli tabula (Tab. 53, p. 20) eiusmodi conspeximus imaginem; in alio autem funerario titulo, apud S. Hermetis hypogeum reperto (Tab. 160), idem habetur, quamvis absimili paululum modo; videlicet defuncta orans iudici sedenti quidem adstat, sed iam inter oves, id est inter sanctos, ad-



Tab. 161. Animae singulare iudicium statera peractum in Aegyptiis sepulcris adumbratum.

missa, ac proinde aeterna beatitudine *in Christo*, ut ait inscriptio, fruens ostenditur.

Quod autem anima statim post mortem ante iudicem constitueretur, doctrina fuit alioquin pene communis apud Orien-

tales gentes, ac praesertim apud Aegyptios, qui in sepulcris exornandis haud raro animarum iudicium statera quidem peractum adumbrarunt (Tab. 101).

Apud Graecos vulgo arbitrabatur animas a Minoe iudicari eaque vel Romae invaluit opinio, unde iudicii eiusmodi repraesentatio frequens, quae plerumque duabus tantum constat personis, nempe iudice (Minoe) et anima. Haec veluti feminea apparet figura, aut effigiem defuncti refert; Minos autem velut senex sedens ac manibus evolutum volumen tenens [1] (Tab. 162).

Tab. 162.

Quae cum ita sint, naturae rerum omnino consentaneum est etiam in Christianis picturis animae iudicium effictum fuisse, necnon, ut Wilpert recte animadvertit, mirum existimari potest archaeologos haud paulisper de hoc dubitasse.

Praeter vero singulare uniuscuiusque, subito ac de corpore exivit, vadimonium animae, aliud, in fine temporum, scilicet omnium simul hominum, futurum iudicium esse novimus. Atqui tamen ad hoc universale iudicium aliquid quod attineat nequaquam, in anaglyptis et in coemeteriorum picturis, reperire est. Solummodo, medii aevi saeculis, apud ecclesias talis repraesentatio quaerenda est. Et re quidem vera, inter picturarum exemplaria quae, redux a Roma, Benedictus abbas (saec. VII) secum in Britanniam tulit ut in huius regionis effingerentur basilicis, etiam, testante Beda, [2] erat iudicii ultimi adumbratio.

(1) Cf. Bellori, *Picturae antiquae cryptarum romanarum et sepulcri Nasonum*, p. 118.

(2) Beda, *Vitae sanctorum abbatum*, *P. L.* LXXIV, 718: «Imagines evangelicae historiae quibus australem ecclesiae parietem decoraret; imagines visionum Apocalypsis B. Ioannis quibus septentrionalem aeque parietem ornaret; quatenus intrantes ecclesiam omnes etiam litterarum ignari,

Talem etiam (saeculi XI) imaginem, Romae nuper, inter S. Clementis ecclesiae inferioris picturas, doctissimus Wilpert recognovit.

Sed quaeret aliquis: Curnam universale iudicium perinde ac singulare in priscis Christianorum coemeteriis adumbratum non fuit? Ratio in promptu est; nam sepulcrum quodlibet ad aliquam personam respiciebat, vel, ut summum, ad integram quamdam familiam, seu etiam ad collegium aliquod funerarium. Plerumque igitur unusquisque proprium curabat exornandum arcosolium vel cubiculum, a quo aliena quodammodo, aut saltem remotior, iudicii universalis poterat cogitatio, ac proinde imago, reputari. Illud denique rationem propositam corroborat, quod in Occidente, ubi praesertim picturis sepulcra exornandi mos viguit, paucis exemplis exceptis, non quidem de universali iudicio directa mentio in epitaphiis facta est; sed illud potius commemoratur quatenus in eo gravissima dicatur sepulcrorum violatoribus poena decernenda. Paucissimi enim sunt tituli in quibus extremi iudicii mentio non huiusmodi execrationis, sed pro defuncti anima deprecationis, sensum induat. Extra Romam, quod sciam, talia duo dumtaxat inventa sunt epigrammata, quorum prius, ac vetustissimum, ut videtur, sic habet:

HIC DALMATA CR
ISTI MORTE REDEM
TVS QVIESCET IN PA
CE ET DIEM FVTVRI
IVDICII INTERCEDE
NTEBVS SANCTIS L
LETVS SPECTIT (1)

quaquaversum intenderent, vel semper amabilem Christi sanctorumque eius, quamvis in imagine, contemplarentur adspectum; vel Dominicae Incarnationis gratiam vigilantiore mente recolerent, vel *extremi discrimen examinis, quasi coram oculis habentes, districtius se ipsi examinare* meminissent». Cf. meam opellam: *I Novissimi nei monumenti primitivi della Chiesa*, Romae Pustet, 1910, pp. 74 sqq.

(1) E. Le Blant, *Inscr. chrèt. de la Gaule*, II, p. 198.

Id est:

Hic Dalmata, Christi morte redemptus, quiescit in pace, et diem futuri iudicii, intercedentibus sanctis, laetus expectat.

Alterum exemplum iam ad saeculum quintum pertinet, neque in communi ac subterraneo coemeterio, sed in basilica S. Felicis, Nolae, repertum est:

... *illum* (scilicet *Gynegium*) *nu*NC HABET DOMVS ALMA BEATI
*Atque ita per lo*NGOS SVSCEPTVM POSSIDET ANNOS
*Patronus pl*ACITO LAETATVR IN HOSPITE FELIX
*Sic protect*VS ERIT IVVENIS SVB IVDICE CHRISTO
*Cum tuba terri*BILIS SONITVS CONCVSSERIT ORBEM
*Excitaeque ani*MAE RVRSVM IN SVA VASA REDIBVNT
Felici merito HIC SOCIABITVR ANTE TRIBVNAL etc.(1)

Romae autem, praeter epitaphium Severae, in quo sepulcrum dicitur factori et iudici membra defunctae servare,(2) haec sola, in coemeterio S. Agnetis, inventa est huiusmodi inscriptio:

. . . . . VIVAS
. . . . . ET IN DIE
. . . . . *a*DEAM
. . . . . NAL CHRISTI(3)

Quae quidem inscriptio ita suppleri potest: (*In Deo*, vel *in pace*) *vivas* (*et roges pro me*), *et* (*ut?*) *in die* (*iudicii cum fiducia*) *adeam* (*ad tremendum*) *tribunal Christi.*

Alia forsitan quoque adducenda est caussa, quae ab universalis iudicii adumbratione coemeteriorum pictores avertere potuerit, scilicet ipsa repraesentationis complexio extensioque haud facile huiuscemodi reddebat opus, iamque vidimus quan-

(1) De Rossi, *Bull.* 1875, p. 31; *Corp. inscr. Lat.* X, 1, 1370.
(2) Cf. vol. II, pars prima, p. 147.
(3) Armellini, *Il Cimitero di S. Agnese*, p. 165, tab. XIII, 7

tum fuerit artificum studium in argumentis biblicis ad simpliciorem reducendis formam.

Sed ad picturas ipsas, quae singulare iudicium exhibent animae, recensendas veniamus.

ART. I. — **Picturae animae iudicium significantes.**

Iuxta Wilpert sententiam, iam inde a saeculo secundo argumentum hoc in parietibus hypogei Callistiani adumbratum fuit; exempla tamen quae auctor refert non omnibus probantur propter haud parvam ipsarum pene deletarum ruinam picturarum, quae proinde perspicuae satis non sunt. Utcumque sit, dubium non videtur illo iam tempore animam ante Christum iudicem repraesentatam in coemeteriis fuisse; saeculo autem tertio, adstantis ad tribunal Christi, apostolis quibusdam assistentibus, animae effigies bis in coemeterio Ss. Petri et Marcellini depictum est. Apostoli vero, sicut sancti in tardioribus picturis, potius quam iudices, hic defuncti veluti sunt patroni, iuxta liturgiae sensum: «Iudex apostolorum tibi senatus adveniat»; item: «Suscipiat eum (defunctum) beatus Petrus apostolus;... adiuvet eum sanctus Paulus apostolus... Intercedat pro eo sanctus Ioannes... Orent pro eo omnes sancti apostoli... Intercedant pro eo omnes sancti et electi Dei». (1)

Plures liturgiarum textus, qui ad rem facerent nostram, non adducam; neque de invocata sanctorum intercessione, ut defunctorum animae benignum in Christo iudicem inveniant, ex epitaphiis testimonia congeram: videat lector quae in prima huius voluminis parte disserui. Sarmatae cuiusdam sacerdotis hunc solummodo funerarium titulum obiter in memoriam revocabo:

NAZARIVS NAMQVE PARITER VICTORQVE BEATI
LATERIBVS TVTVM REDDVNT MERITISQVE CORONANT
O FELIX GEMINO MERVIT QVI MARTIRE DVCI
AD DOMINVM MELIORE VIA REQVIEMQVE MERERI (2)

(1) *Brev. Rom., Ordo comm. animae.*
(2) DE ROSSI, *Inscr.* II, p. 171, 30.

Ceteroquin ipsae per se picturae loquentur; nam si aliquae inter eas sunt de quarum significatione non nisi huius disciplinae peritioribus constat, aliae contra extant quae luce meridiana sunt clariores.

Tabula 163 e Ss. Petri et Marcellini hypogeo imaginem depromptam referens Christum exhibet sedentem, cui anima defuncti adstat; nec ulla plane est inter hanc et tabulae 162 repraesentationem discrepantia, nisi quod anima in pictura Christiana instar orantis appareat ac Christi caput nimbo sit munitum. Alia, in eodem coemeterio, ut modo diximus, est eiusmodi repraesentatio, cuius in tabula 160 fidelissimum habes exemplar.



Tab. 163. Singulere animae iudicium. (Ex *Bull. di arch. crist.* 1876).

Haud semper vero in eadem fronte, seu in eadem prospectus acie et linea, perinde ac apud has imagines, Christus et anima cernuntur; sed interdum aliquantulo spatio inter se, retro aut ante abscedentes effinguntur, praesertim quando apostolorum coetus, aut sancti munere advocatorum fungentes, ad latera iudicis stantes ostenduntur. Immo aliquando isti quoque, una cum defunctorum figuris, aut iuxta Christi tribunal paululum eminus, aut circum circa, dispositi sunt. (Tab. 127, p. 131). Atque ista forsitan praecipua ratio est, cur aliqui auctores eiusmodi repraesentationes diverso sensu explicaverint. Ne tale autem haereat lectorum mentibus dubium, exemplum evidentissimum tradam, cuius significationem, nedum Christiana, etiam ethnica monumenta confirmant. Est videlicet quaedam in S. Hermetis hypogeo pictura, in qua Christus apparet sedens in cathedra super podio, ad quod per plures acceditur gradus, sinistra quidem volumen explicatum tenens, dum dexteram ponit supra caput personae orantis. Ad podii latera duae sunt viriles figurae sacris vestimentis indutae ac loquentium

more se gerentes. Porro, quid aliud nisi animam ante tribunal Christi constitutam ac duorum sanctorum patrocinio adiutam

Tab. 164. Singulare animae iudicium. (Ex WILPERT, *Le pitture*, etc.).

eiusmodi effigies repraesentare potest? Nonne ei verba illa cuiusdam nobis cognitae inscriptionis optime aptari possunt:

... CVIQVE VITAE SVAE TESTIMONIO SANCTI
MARTYRES APVT (*sic*) DEVM ET ☧ (Christum) ERVNT ADVOCATI ... (1)

Quod autem evidenter haec Christiana exhibet pictura, vel evidentius ethnicum quoddam monumentum, etiam iam a nobis memoratum, commonstrat. Intelligi volumus de illa syncretistica pictura, de qua in priore primi voluminis parte mentio facta est. (Tab. 165). In ea enim fere haud absimile tribunal repraesentatur, in quo Pluto (*Dispater*) ut iudex, una cum Proserpina (*Aeracura*), sedet, sinistra virgam, seu signum po-

(1) DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* 1864, p. 34. Cf. WILPERT, *Le pitture* etc. textus, pp. 361–362.

testatis, tenens; dexteram vero versus tres sortis deas, seu Parcas (*Fata divina*) extendens. *Vibia,* quae iudicari debet a Plutone, ab *Alceste* atque a *Mercurio nuntio* apud iudicem introducitur. Si haec imago cum Christiana S. Hermetis pictura conferatur, statim cogitationis paritas inspicienti apparebit.

Tab. 165. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

Quod ceterum ethnica pictura revera iudicium animae repraesentet, id ex altera quadam eiusdem loci pictura priori imagini cooptata clarissime colligitur; nam in hac eadem mulier, VIBIA, post *iudicium bonum*, ad caeleste convivium introducitur *angeli boni* officio; unde nomen picturae depictum: *Introductio Vibies*, alteraque inscriptio ista convivas respiciens:

BONORVM IVDICIO IVDICATI (Tab. 166).

Nempe igitur, quod ethnica pictura duabus tabulis ostendit, hoc Christiana pictura una tantum effingit delineatione, qua-

tenus sub orantis forma defunctum orantem ostendit, id est iam aeterna donatum propter benignum iudicium beatitudine, ut etiam tabulae 53, 163 et 164 produnt.

Verum aliquando etiam deprecantium ac supplicantium more ante Christum iudicem defuncti cernuntur: sic, exempli gratia, quaedam coemeterii Domitillae pictura duos exhibet defunctos genibus flexos, ac suppliciter ad Christum manus exten-

Tab. 166. Pictura syncretistica.

dentes (Tab. 167). [1] Sane huius picturae significatio sat clara, sed, si oporteret, lucem grandiorem ab alia acciperet; scilicet a quadam repraesentatione, quae adhuc in Syracusano coemeterio extat, et cuius figurae et sensus, non secus ac in praefato

(1) Repraesentatio ista variis modis ab archaeologis elapsae aetatis explicata est, idque praesertim quia parum fideliter fuerat in delineatis exemplaribus expressa iterata. Audiamus Wilpert: « L'Avanzini (Bosii pictor) non solo cambiò il sesso di due figure, ma convertì in un uomo i piedi del faldistorio. E poichè la sua copia passò nelle principali opere sulle catacombe, nessuna meraviglia che i dotti abbiano escogitato nientemeno che *sette* interpretazioni diverse: ci fu chi pensò ad una *moltiplicazione di pani*, chi alla *riconciliazione di Giuseppe coi suoi fratelli*, chi a *papa Antero, che fa raccogliere dai diaconi e riporre nella chiesa gli atti dei martiri*, chi ad una *predica nelle catacombe*, alla *consacrazione di un diacono mediante l'imposizione delle mani*, alla *publica amministrazione dell'assoluzione*, ad una *istruzione evangelica*» (WILPERT, *Le pitture*, etc. textus, p. 365).

syncretistico monumento, inscriptionibus definiuntur (Tab. 168). Etenim, Christus nimbo ac monogrammate agnoscitur; ad eius latera Petrus Paulusque adsunt, quippe adhuc iuxta caput figurae dextrorsum stantis remanet nomen: ΠΕΤΡΟC. Christus benigne manus ad defunctam recipiendam protendit quae, sup-

Tab. 167. (Ex WILPERT, *Le pitture*, etc.).

plicantis instar, stat genu flexa ante eum. Inscriptio vero quae iuxta eam legitur, sic habet:

MAPKIA EZHCEN ETH KEMHNEC H HMEPAC IE

Id est:

Marcia (hic quiescit); vixit annos 25, menses 7 ac dies 15.

Deest quidem tribunal, hic illic plantae floresque sunt, ac supra arcosolii arcu haec leguntur verba:

[ὁ θεὸς μνησθετι] τῆς δούλης σου (Μαρκ)ιας καὶ Ειλι... [καὶ?] Ανδρει[ου?].

Id est:

Memento, Deus, ancillae tuae Marciae, et ..., et Andreae. (1)

Notamus praeterea, quae in his omnibus receptionis quoque cogitatio recurrit, eamdem in alia quadam coemeterii S. Callisti pictura quodammodo apparere, licet alia sub forma, ac plane singulari.

In Callistiana enim pictura defuncti cuiusdam cernitur effigies, qui, orantis instar, in navicula fluctibus agitata ac fere

Tab. 168. (Ex WILPERT, *Le pitture*, etc. Textus).

cooperta stat. Dum autem alia viri figura in medio mari fluctibus mergi videtur, iste e contra confidenter orat, quia Christus e caelo dexteram suam super caput eius extendit, eodem fere modo atque in tabula 164 (Tab. 169). Pictura ista ad saeculum pertinet secundum.

Ex his apprime rursus eruitur quae fuerit circa sortem animae post terrestris vitae terminos communis ac vulgaris priscorum Christianorum sententia. Animam, scilicet, debere statim post mortem Christo adstare, et ab eo, sive propter

(1) WILPERT, *Le pitture*, etc. textus, pp. 430–431; tabb. 219, 1; 343, 2; *Bull. d'arch. crist.* 1877, pp. 130 sq.

ipsius Domini misericordiam, sive propter apostolorum sanctorumque intercessionem, benignum sperauram esse iudicium. Mos autem istius singularis animae examinis repraesentandi diu videtur perdurasse, nam Romae, in subterranea S. Clementis basilica, saeculo nono, animae S. Cyrilli (Slavorum apostoli) iudicium depictum est. Ibi Christus sedens apparet, sinistra, uti semper, legis tenens librum, dextera vero loquentis gestum agens. Ad eius latera duo sunt angeli, Michael et



Tab. 169. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

Gabriel, duoque sancti, Andreas apostolus et Clemens, qui singuli nominibus superscriptis distinguuntur. Ante Dominum stant ambo fratres Cyrillus et Methodius, alter quidem iudicandus, ideoque a Gabriele archangelo protectus, qui eum iuxta se, quasi mater filium, amanter custodit: alter, manibus reverenter coopertis, calicem offerens, quasi ad profitendum se sacrificio eucharistico fratri suo velle suffragari. (Tab. 170). Porro non aliter hanc licet picturam explicari, nisi iisdem normis quibus eiusmodi repraesentationes in coemeteriis intelligendae sunt; nam pictura nostra maximam habet cum illis similitudinem. Cyrillus nempe, Slavicarum, seu Pontico mari adiacentium regionum apostolus, ante Christum constitutus, praeterquam ab angelis, a sanctis Andrea et Clemente exhibetur protectus, id est ab intercessoribus apprime congruentibus. Andreas quippe apud Scythas et Sarmatas fidem protulisse iam

traditur.[1] Clemens vero, exilio mulctatus, in Chersonesum Tauricam, nunc vulgo Crimeam, est relegatus, ac illic in mare

Tab. 170. (Ex Wilpert, *Le pitture della basilica primitiva di S. Clemente*).

demersus occubuit.[2] Quod autem rem prorsus absolvit inscriptio est quae, licet mutila, adhuc ad picturae pedes cer-

(1) Origen. ap. Euser. *Hist. eccles.* lib. III, cap. I.

(2) Quin de Cyrillo revera in hac pictura agatur nemo, vel ante Wilpert animadversiones, qui veram eius significationem detexit, dubitavit; sed praestat ipsius auctoris verba referri: « Il defunto poi è rappresentato in piedi, e non in ginocchio, quale lo mostra la copia pubblicata; egli veste tunica bianca e penula, o pianeta, castagno scuro, porta nella sinistra il libro gemmato, come san Clemente, e colla destra aperta e abbassata fa il gesto che bene corrisponde alle parole: " Bonum certamen certavi " ecc. messe in principio della sua iscrizione funebre. La testa, benchè un po' cancellata, è molto espressiva ed ha tutta l'aria di offrirci un vero ritratto: la fronte alta e larga, lo sguardo malinconico, il viso

nitur, et cuius interpretatio ita primum ab egregio Wilpert proposita est: (1)

(Deus . . . . . pre)ces nostras
(exaudi, ut Cyrillus, { tua miseratio) / in tuo nomi) } ne, sanctorum tuorum
(societate laetetur, per Iesum Christu)m dominum nostrum,
qui venturus est (iterum. Lector dic: Deus da Cyrillo)
peccatori requiem aeternam. [Amen].

Haec quidem, in verbis quae deerant, suppleta sunt partim aliis eiusdem loci temporisque epigraphicis formulis, ut, exempli gratia, hac in ipsa S. Clementis basilica adhuc extante formula: « *Quisquis has mei nominis litteras legeris, lector, dic: Indigno Johanni miserere, Deus,* (2) partim vero formulis liturgicarum precum, quarum haec missae pro sacerdote defuncto, e *Sacramentario Gelasiano* deprompta, oratio sit exemplum: « *Deus*, qui confitentium te portio es defunctorum, *preces no-*

lungo e macilento, la barba ed i capelli grigi indicano un uomo in età matura, un uomo ascetico, pensieroso ed intelligente. La tonsura, la stola e la pianeta lo caratterizzano prete, fors'anche vescovo, e la barba, filosofo e monaco. Tutto insomma cospira a farci credere che il defunto raccomandato sia *Cirillo*: egli era di nazionalità greca, – perciò figura fra i suoi avvocati celesti sant'Andrea, protettore dei Greci; egli portò a Roma il corpo di san Clemente, – perciò la premurosa raccomandazione che gli viene da parte di questo santo. Chi poi meglio di lui poteva appropriarsi, per l'iscrizione funebre, le parole dell'Apostolo: "Bonum certamen certavi, cursum consummavi ...", dopo una vita piena di fatiche, di lotte e di continui viaggi? Credo di poter ormai concludere che la pittura e l'iscrizione ornavano un tempo il sepolcro primitivo di san Cirillo, secondo la testimonianza della *Leggenda italica* sepolto "in locello marmoreo" ossia in un sarcofago di marmo ...» (Wilpert, *Le pitture della basilica primitiva di S. Clemente*, Roma, 1906, pp. 34–35).

(1) Wilpert, op. cit. p. 37.

(2) Wilpert, loc. cit. p. 33. — In pavimento eiusdem basilicae haec legitur epitaphii cuiusdam mutili formula: « R(e)q(uiem) et(ernam) d(ona) e(i) d[omine] » (cf. Gatti, *Bullettino Comunale*, 1889, p. 468, nota 3); atque in eius sepulcro, qui novam S. Clementis basilicam construxit, scilicet cardinalis Anastasii iunioris, haec inscriptio reperitur: « Hunc quicumq. legis tumulum, memor esto legendo dicere: *Nate Dei*, subsidieris ei » (De Rossi, *Bull.* 1870, p. 141).

stras, quas in sacerdotis tui illa depositione deferimus, *propitius exaudi*: ut, qui nomini tuo ministerium fidele dependit, *perpetua sanctorum societate laetetur* ». (1)

Igitur S. Cyrilli figurae inscriptio funeraria est, sicut funerarium vidimus esse istius effigiei argumentum, idque procul dubio quia ad sepulcrum exornandum delineata fuerat. Pretiosum plane indicium istud, quo, uti Wilpert animadvertit, ars etiam in basilicis funerariam indolem servasse, si ad sepulcrorum decus adhibita fuerit, ostenditur.

Art. II. — Picturae animam dum in paradisum introducitur repraesentantes.

Si in epitaphiis interdum formulae quidem occurrunt quae de animarum sanctarum haud dilata beatitudine ambiguam expromere videantur sententiam, hoc frustra in picturis sepul-

Tab. 171. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

cralibus e contra omnino quaereretur; nam sive illae considerentur imagines quae animam dum in paradisum introducitur repraesentant, sive ceterae quae animam iam aeterno gauden-

(1) Cf. Mabillon, *Museum Italicum*, I, 2, p. 384.

tem praemio effingunt, semper beatitudinis dilatio prorsus exclusa apparet. Picturarum eiusmodi, ad cogitationes quod attinet, fons praecipuus item in liturgia quaerendus est, quae nobis suavem exhibet boni Pastoris, seu Christi, imaginem, animam sub ovis specie portantis. Liturgia insuper vitam aeternam, regnum coeleste ac Domini ovile, tria veluti beatitudinis supremae diversa nomina, simul confert: « Transitum mereantur ad vitam et, in ovium tibi placitarum benedictione, aeternum numerentur ad regnum ». (1) Sic etiam inter oves admitti idem in liturgia est atque cum sanctis et electis numerari: « ... Colloca eos inter agnos tuos: numera eos cum sanctis tuis »; et alias: « Refer illos in numerum electorum tuorum... statue illos cum agnis ad dexteram tuam. » (2)

Eiusmodi vero formulae antiquissimae dicendae sunt, nam boni Pastoris imago iam inde ab apostolicis temporibus, Romae, depicta fuit; ac nisi dicere velimus in picturis privatisque deprecationibus priusquam in liturgicis communibusque precibus talem boni Pastoris cogitationem exortam esse, veri videtur simillimum eis formulis apostolicam originem esse vindicandam. Ceterum, boni Pastoris imago centies circiter depicta in antiquis invenitur coemeteriis, cuius nihilominus praecipuas tantum effigies recensendas putamus, nempe eas quae aliquid proprium exhibent, aut typicae insigniter dici possunt.

Bonus Pastor aliquando solus, saepius vero inter duas pluresve oves cernitur. Si solus, Christum adumbrat animam defuncti in paradisum portantem: si inter oves, hunc veluti mystici gregis, seu electorum societatis, ducem exhibet. Saepe enim multiplex sive pluralis effingendarum rerum copia, duali tantum numero, in picturis sculptilibusque, exprimitur, tum propter compositionis convenientiam, seu, ut aiunt, symmetricam legem, tum etiam angustioris spatii caussa. Sic leones in Danielis repraesentationibus nunquam plures quam duo sunt, necnon, eadem norma adhibita, aliquando duo iuxta anchoram

(1) Muratori, *Liturg. rom. vet.* II, pp. 290 et 356.
(2) Renaudot, *Liturg. orient.* II, pp. 534 et 516.

pisces, vel duae apud arcam Noe columbae apparent; immo, quod mirum videbitur, tum orantis tum boni Pastoris imago duplex eodem in sepulcro nonnunquam conspicitur.

Praeterea, una cum grege, etiam paradisi horti adumbratio cernitur, constans plerumque arboribus duabus, in quarum ramis volitant aut quiescunt aves (Tab. 171). Aves autem, ut notum est, haud secus atque oves, animas beatorum significant.

A saeculo tertio, bonus Pastor interdum vas dextera tenens effingitur, nec non ubera mulgens ovis; quae quidem cogi-

Tab. 172. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

tatio S. Perpetuae visionem quamdam redolet. Haec enim, cum in carcere esset detenta, per somnum, immensum vidit hortum, cuius in medio, statura praegrandis venerabilique adspectu, aderat senex instar pastoris vestitus, ovesque mulgens. Qui caput elevans atque Perpetuam intuens dixit: Ave, filia; deinde eam ad se vocavit eique de lacte quod mulserat coagulatum nonnihil dedit. Ipsa vero illud iunctis manibus accepit ac comedit, omnesque circumstantes clamaverunt: *Amen.*

Huius exemplum tabula 172 exhibet, illudque vere praeclarum; nam praeter pastorem, ex una parte, ovem mulgentem, etiam animae imago pastori adstans in ea deprehenditur, atque item pastor, ex altera parte, ovem in humeris reportans. Sensus igitur eiusmodi repraesentationis est aeterni cibi gustatio, illius scilicet cibi quem S. Perpetua in visione sua praegustaverat;

qui quidem sensus apud Augustinum invenitur, ubi ait: « Sed tamdiu haec Perpetua lactavit, quamdiu acciperet ab illo pastore simul et patre buccellam lactis: *qua accepta, dulcedo felicitatis perpetuae* eam fecit contemnere filium, spernere patrem, non haerere mundo, perdere animam pro Christo ». [1] Alia huiuscemodi repraesentatio in tabula 95 habetur. Tabula vero 172 quae animam iam in paradiso receptam repraesentat, novi quid profert, quod in epitaphiis quidem sculptum iam invenimus, sed quod multo eloquentius picturae praebent. Similiter visionem S. Perpetuae relatam redolere videntur quaedam picturae coemeteriales quae, una cum orantis figura, etiam vas proferunt; nisi tamen refrigerii vas illud signum sit, ut in tabulis pluribus conspeximus; quod alioquin eodem recideret. Eiusmodi repraesentationes habes apud egregii Wilpert toties laudatum opus.

Tab. 173. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

Tabula 173, praeter bonum Pastorem humeris ovem gestantem, interque duas alias gregis oves stantem, etiam paradisiacum exhibet hortum in quo iam beatae, id est orantes, animae duae apparent, ovibus duabus ita quoad locum respondentes, ut unum et idem cum illis significare videantur. [2] Quod igitur

(1) S. Aug. *De tempore barbar.* 5; *P. L.* XL, 703. — Sunt qui mulctram a bono Pastore exhibitam symbolum esse eucharistiae dicant; qua quidem cogitatione, simul ac priore, potuit artifex afflari, praesertim quod relatae visionis narratio ritum eucharisticum redolet, et alioquin, ut vidimus, eucharistiae repraesentatio monumentis sepulcralibus quam maxime congruat.

(2) Wilpert, *Le pitture* etc. textus, p. 416. — Id etiam in alia eiusmodi coemeterii Domitillae pictura cernitur, orantes tamen multo maioris staturae sunt. Cf. Wilpert, loc. cit. tab. 199.

symbola epitaphiorum nos iam docuerant, id tabulae 171 et 173 confirmant; ac proinde non est cur diverso sensu, ut quidam antiquitatis studiosi asseruerunt, oves avesque et figurae orantes accipiantur ubi de caelesti horto paradisi agitur, quod quidem evidentius infra patebit.

Denique bonus Pastor, licet semel dumtaxat, in coemeterio S. Callisti, inter duas metas seu columnas milliarias cernitur; forsan, ut Wilpert existimat, termini significandi caussa, id est paradisi, ad quem anima humeris aeterni Pastoris defertur. (1) Sed omnium eloquentissima huiuscemodi compositionum illa est, quae in quadam eiusdem coemeterii S. Callisti crypta apparet, ob quam etiam ipsum cubiculum *crypta ovium* (Italice *delle pecorelle*) vulgo nuncupatum est. (Tab. 174). Gratiae dogma hac adumbratum fuisse pictura I. B. de Rossi arbitratus est. Sex scilicet oves, quae diverso modo habituque depictae sunt, diversos gratiae effectus secundum diversam animarum singularum affectionem significarent. Gratia autem unda esset quam, veluti de coelo, duo viri apostolici, gratiae administri, fluere iubent.

Merito prorsus haec interpretatio subtilior et exquisitior omnibus visa est vel summi archaeologi discipulis; contra vero obvia omnino apparet picturae significatio, si cum ceteris monumentis conferatur. Etenim, est ibi fons, igitur refrigerium: sunt oves circa bonum Pastorem, ergo electorum grex, inter quos, sub specie sacrarum personarum, duo admissi defuncti refrigerantur. (2)

(1) « Il De Rossi, tratto in errore da una copia inesatta del suo disegnatore, sulle prime credè ravvisare in essi " dei vasi con ramo di palma "; fece ripulire l'affresco " per meglio discernere ciò che quivi è dipinto, ma senza frutto ". Perciò non gli fu possibile " di sì oscurate ed incerte tracce proporre un disegno sicuro ". Un'altra ripulitura da me eseguita mi fece ravvisare in quegli oggetti due *pietre miliari* riccamente ornate. Il pittore non terminò a piano pari, ma diede loro un piano inclinato per farle rispondere alla linea dell'incorniciatura. Ne è chiaro il significato: esse indicano che il Buon Pastore è giunto al termine del suo viaggio, cioè nel paradiso presso gli eletti » (WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 411).

(2) WILPERT, loc. cit. p. 417, ac eiusdem *Sakramentskapellen*, p. 41 sqq.

Multo rarior defunctus dum a sanctis in paradisum introducitur apparet; idque procul dubio quia eiusmodi repraesentatio facile poterat cum aliis imaginibus, a significatione eius prorsus alienis, confundi. Et re quidem vera, nisi, exempli gratia, aliunde agnosceretur quae adumbratae in tabula 175 sint personae, talis picturae significatio plane incerta evaderet.

Tab. 174. Pictura coem. S. Callisti. (Ex photographica repetitione).

Contra vero nemo dubitavit quin ibi Petronilla (vel martyr in inscriptione vocata) tamquam patrona defunctae, quam in paradisi hortum introducit, appareat. Petronilla enim nulla nisi devotionis ac patrocinii caussa potuit una cum Veneranda, quae saeculo quarto vixit, tali modo effingi; paradisus vero floribus ad dexteram imaginum repraesentatus est.

Alia eiusmodi imago in S. Cyriacae coemeterio reperitur, subter nempe a nobis iam superius illustrata pictura, quae prudentes fatuasque virgines profert. (Tab. 176).

In medio scilicet extat persona orans, cuius ad dexteram, necnon ad sinistram, adest iuvenis effigies auleum, seu prae-

tentum foribus velum, allevantis. Ibi non adsunt quidem inscriptiones sensum quodammodo determinantes; sed clara per se talis adumbratio evadit, si ad illa S. Pauli verba animadvertatur: « Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam

Tab. 175. Veneranda a S. Petronilla in paradisum introducta. (Ex photographica repetitione).

sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam, et incedentes usque ad interiora velaminis, ubi praecursor pro nobis introivit Iesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in aeternum ». (1) Verba enim: *usque ad interiora velaminis* (τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος) licet ad litteram *sanctum sanctorum* respiciant, intimum scilicet tabernaculi antiquae legis recessum; tamen caelum symbolice innuunt quod primum Chri-

(1) *Hebr.* VI, 18-20.



Tab. 176.

stus ingrediens nobis, post redemptionis opus completum, aperuit. Christus nempe, qui animae sponsus dicitur, regalem seravit domum ad quam virgines, in quadam iam supra relata oratione, dicuntur admitti: ... *Regalem ianuam cum sapientibus (virginibus) libenter introeat.*

Cetera quoque apostolici textus verba huic cogitationi conveniunt; nam anchora revera Christianorum spei proindeque crucis est symbolum et ubique in coemeteriis, ad saeculum usque quartum, conspicitur; in gemmulis vero aliisque ocellis pretiosis vel serius perdurat, evidentissimam tunc crucis ac crucifixi exhibens formam. (1)

Denique, quod sancti sint qui, apertis velis, animam in paradisum introducant, id sane dubium esse nequit iis qui hucusque vel obiter opus praesens legerunt. Omissis igitur liturgiarum innumeris paene testimoniis, unum hoc referam alioquin iam nobis cognitum epitaphium:

PAVLO FILIO MERENTI IN PA
CEM TE SVSCIPIAN*t* OMNIVM ISPIRI
TA SANCTORUM QVI VIXIT ANNOS · II · DIES · N · L (2)

Egregius P. Garrucci, de illa Cyriacae hypogei loquens pictura, iuvenes vela aperientes angelos esse putat, quod fere eo-

(1) I. B. De Rossi, *Roma sott.* t. II, p. 315; cf. Le Blant, *Inscr. chrêt. de la Gaule*, t. I, p. XII.

(2) E Romanis quidem coemeteriis erutum, nunc vero in *Carsoli* urbis (*museo del Bagno*) extat hoc epitaphium.

dem quoad sensum recidit. (1) Picturae igitur istius significationi, perinde ac epitaphio modo relato, mirum quantum haec S. Maximi Taurinensis consonant verba : « Cuncti igitur martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuvant, isti etiam adiuvant passione ; cum his autem nobis familiaritas est : semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est et in corpore nos viventes custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt... ». (2)



Tab. 177.

Quae quidem verba satis commonstrant quid quaedam significent picturae, quae defunctis sanctos manus porrigentes exhibent. Id, Romae, clare in coemeterio Priscillae ac vel clarius in coemeterio S. Theclae apud viam Ostiensem, conspicitur. (3) Ceterum paradisi adumbratio sub specie aulae regiae, vel tabernaculi ac templi, in funerariis monumentis haud deest, et exemplum habetur in tabula 159 in qua domus caelestis Sponsi, quam virgines petunt, templi adspectum prae se fert. Titulus etiam quidam, nunc in Lateranensi museo asservatus (Tab. 177), idem praebet; necnon consimile aliquid tabula 154 expromitur, apud quam, ipsam formulam IN PACE, columba cuiusdam casae insidens fastigio exprimit.

Art. III. — Picturae paradisum, in quo animae iustorum sunt receptae, adumbrantes.

Ut vidimus, haud raro animae imago inter agnos vel aves apparet, (4) cui repraesentationi hae formulae epigraphicae, uti-

(1) Garrucci, *Storia dell'arte cristiana*, vol. II, tab. lix, 2.

(2) S. Maximus, *Homil. 81* ; *P. L.* LVII, 428.

(3) Wilpert, *Le pitture* etc. textus, pp. 430–431, tab. 219, fig. 1, tab. 343, fig. 2.

(4) Cf. Wilpert, *Die altchristliche Inschriften Aquilejas* ap. *Ephemeris Salonitana*, p. 44 sq.

que nobis notae, consonant: *Vivas cum sanctis*, – *inter sanctos* etc., semel etiam depictum legimus:

VT INTER ELECTV

id est:

Ut inter electos recipiatur (1)

quae liturgica prorsus formula est. In picturis autem raro anima inter agnos stat, nonnunquam vero inter sanctos, quod quidem aliunde saepissime in sculptilibus cernitur. Quaedam



Tab. 178. Defuncti anima inter apostolos Petrum et Paulum. Pictura coem. S. Domitillae

coemeterii Ss. Petri et Marcellini pictura defunctam aliquam exhibet inter duos sanctos qui eius ad orandum brachia sustinent, perinde ac Hur et Aaron, ne Moysi, in monte oranti, lassa caderent brachia, auxilio fuerunt. (2)

In coemeterio Domitillae, defuncti cuiusdam animae personae instar repraesentata est inter duas oves, nec non cum apostolis Petro et Paulo; paradisus vero quodam viridi auleo seu velamine fingitur. (3) Talis autem argumenti superius satis sensum expandimus. Inter alias eiusmodi compositiones, spe-

(1) Antiquissimum huius exemplum habes in tabula 48 sepius vero in Aquileiensibus epitaphiis haec cernitur cogitatio. — Cf. LE BLANT, *Inscr. chrét. de la Gaule*, I, p. 102, n. 80; *Corp. inscr. Lat.* I, n. 1636; WILPERT, *Die altchristliche Inschriften Aquilejas*, p. 38 sq.

(2) *Exod.* XVII, 12. Cf. WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 428, tab. 101, fig. 15; GARRUCCI, *Storia* etc. vol. II, tab. 55, 2.

(3) Cf. WILPERT, op. et loc. citt. tab. 152, 2.

ciali mentione dignae sunt duae picturae, quarum altera in coemeterio Marci et Marcelliani, altera vero, hinc non longe, in coemeterio quod Balbinae libenter dixerim, invenitur. Prior defunctae imaginem profert inter duos sanctos longe statura proceriores; altera vero imagines praebet nominibus instructas, quae proinde non solum certam ipsius dant picturae significationem, sed insuper ceterarum eiusmodi repraesenta-



Tab. 179. Pictura coem. S. Callisti animas apud crucem in paradiso adumbrans.

tionum interpretationem hucusque expositam confirmant. Etenim apud orantem est nomen quoddam, nunc mutilum, in syllabas TOCIAM desinens; iuxta vero duos sanctos sunt nomina: *p*ETRVS *p*AV*lu*S. (1)

Altera liturgica cogitatio est ut anima ad viridarium paradisi admittatur. Florido enim ac frugifero, in quo anima est laetatura, viridario, ut pluries notatum est, liturgiae caeleste regnum assimilant, necnon monumenta iam nobis cognita et explicata illam saepe in sepulcris repetitam ac varie expressam fuisse ostendunt cogitationem; luculentius vero ac speciali quodam modo id produnt picturae, in quibus, una cum *orantibus* aut circa imaginem crucis, plantarum florumque figurae, saeculo tertio ac deinceps, occurrunt. (Tab. 179). (2) Paradisi

(1) Cf. WILPERT, *Le pitture*, etc. textus, p. 433; DE ROSSI, *Bull.* 1867, p. 5.

(2) « In epoca più antica », ait egregius Wilpert, « gli oranti mancano di qualsiasi allusione locale, che faccia conoscere in certo qual modo

quoque mansiones stellae et luna adumbrant, quae, in arcubus arcisoliorum cubiculorumque fornicibus, aut circa crucis imaginem, nec non ad latera vel super capite *orantium* personarumque sacrarum, haud nunquam, sed perraro tamen, conspiciuntur. Saepius vero in cuppis, in lampadibus, in ampullis aliisque similibus resculis, necnon in ecclesiarum ianuis et anaglyptis apparent. (1) Quidam titulus, nunc in museo Vaticano reconditus, praeter columbam uvam rostro appetentem, etiam hederae folium exhibet tribus quas pentalphicas vocant stellis ornatum. (Tab. 27, p. 10). Non desunt quidem qui talem figuram pro Trinitatis symbolum accipiant; sed alioquin, quod stellae sive caelum in monumentis funerariis aeternae beatitudinis locum significent, id ipsa epitaphia suadent; cum iustos in caelesti gloria iam receptos, ad astra pervenisse nunnunquam apud epigrammata legamus. Exemplorum gratia:

— (DATILLAE) ANIMAM NEMO DVBITA*t* CAELVM PE*tiisse* (2)
— SOLA TAMEN TANTI RESTANT SOLAMINA LVCTVS QVOD TALES ANIMAE (scil. *infantium*) PROTINVS ASTRA PETVNT (3)
— RETTVLIT AD CHRISTVM CELSA PER ASTRA GRADVM (4)
— IN P*ace* ASTRA PETE (5)

il luogo della loro dimora; solo a partire dalla seconda metà del III secolo avviene che talora gli artisti li circondino, come il Buon Pastore, di *alberi* o *fiori, simboli del paradiso*» (*Le pitture*, etc. p. 425).

(1) « Ai Ss. Pietro e Marcellino due oranti, uomo e donna, stanno in un giardino fiorito, chiuso da un graticcio di canne; sopra le loro teste veggonsi le *stelle* e la *luna falcata*, per indicare il *cielo*. Questo pensiero dovrebbe nascondersi anche sotto le stelle che sono dipinte sulla volta di un arcosolio della regione liberiana » (WILPERT, p. 425). Procul dubio eadem inest cogitatio, nam et in pictura regionis Liberianae luna in medio arcu apparet, in qua nuperrime ipse archaeologus Christi monogramma crucibus constans delineatum esse mihi commonstravit. Aliunde apud quoddam hypogeum, iuxta viam Appiam ad catacumbas S. Sebastiani inventum, stellae quoque cernuntur, ubi, ut mox videbimus, est paradisi adumbratio.

(2) DE ROSSI, *Inscr.* I, p. 325, n. 735.
(3) DE ROSSI, *Inscr.* I, p. 534, n. 1179.
(4) *Corp. inscr. Lat.* V, par. II, n. 6240.
(5) DE ROSSI, *Roma sott.* t. II, p. 16 et 381, tab. XXX.

Caelestis hortus etiam septis aliquando circumdatus repraesentatur, unde oves agnique qui, illum ingredi quasi desiderantes, depicti extra septorum crates cernuntur, mirum in modum illas defunctorum animas, quae adhuc perpetuam felicitatem expectant, significare videntur. Crates lignei et quasi arundinei pluribus in locis apparent; cum ovibus tamen bis tantum, nempe in S. Cyriacae coemeterio, seu S. Laurentii et iuxta suburbanam S. Sebastiani basilicam, apud cryptam apo-



Tab. 180. Animarum ad refrigerium adumbratio. Pictura coem. S. Callisti.

stolorum Petri et Pauli, seu, ut vocant, Platoniam. Hanc secundam repraesentationem, a R. P. Colagrossi anno praeterito inventam,[1] propter hermulas quibus crates munitae sunt, marmoreis illis pluteis quasi dixeris esse praeditam, quibus altaria circumcingi solebant. Ibi etiam stellae in arcisolii arcu conspiciuntur.

In regione coemeterii S. Callisti, cui a S. Damaso iure nomen esset, duorum sunt cervorum imagines aquam cupide bibentium; aqua vero, fontis instar exilientis, super cervos refrigerandos resilit (Tab. 180). Huic picturae verba ista conveniunt psalmi XLI: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus ».

(1) *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1909, pp. 51–61, tabb. II, III, IV, V, VI.

Omium vero imaginum quae caelestem hortum exhibent eloquentissima forsitan ea est quae in quodam coemeterii Callisti hypogeo extat, necnon *quinque sanctorum pictura* nuncu-



Tab. 181. Pictura saeculi tertii animas in paradiso adumbrans, in coemeterio S. Callisti. (Ex photographica repetitione).

patur. Nempe quinque ibi, in pariete, personae depictae sunt, aetate et sexu diversae; lautis vestibus indutae, ac inter arbusculas, flores et aves, orantium more, stantes. Singulis nomina sua adsunt, nempe:

DIONYSAS IN PACE — NEMESI IN PACE — PROCOPI IN PACE — ELIODORA IN PACE – ZOAE IN PACE (tabb. 41 et 181).

Tab. 182. Pictura super opus musivum elaborata iuxta S. Caeciliae cubiculum in coem S. Callisti. (Ex photographica repetitione).

Inferius, id est ad arcosolii latera, duo sunt pavones, super quibus nomina quoque defunctorum fuerant inscripta; sed nunc vix ad pavonem sinistrorsum legitur:

ARCADIA IN PACE

Sub arcosolii labro, quasi antipendium esset altaris, item picturae sunt, aves videlicet, ut alias iam supra diximus,[1] e vasis aqua repletis bibentes. Itaque animae, quae refrigerio beantur, hic triplici sub specie repraesentatae sunt, scilicet tum variarum, quoad vitae adiuncta, personarum instar, tum sub pavonum forma, quasi immortalitate potitae, tum denique veluti aves ad calices refrigerii sitim explentes. Profecto nihil clarius, nec his omnibus quae hucusque de aeterno gaudio exposuimus magis congruum dari aut effingi posset. Huius generis, licet valde posterioris aetatis, illae duae sunt orantium imagines quae, ut rite creditur, sanctam Caeciliam proferunt. Ambae apud coemeterium S. Callisti, in cubiculo ubi Romanae virginis sepulcrum detectum est cernuntur: altera quidem, paene erasa, in ipso loci luminari, seu lucernario; altera autem, iuxta introitum, in pariete. Haec, quae ad saeculum pertinet nonum, reginam veluti indutam martyris effigiem, gemmis exornatam nimboque capite circumdato, nec non inter paradisi flores laetantem, ostendit (Tab. 182).

Praeclara *quinque sanctorum*, modo descripta, imago, praeterquam aeternae in caelesti horto Dei visionis, perennis etiam refrigerii seu consolationis felicitatisque sub mysticae potationis symbolo, ut notavimus, cogitationem ingerit; hinc, ut ita dicam, apprime transitum praebet ad hanc picturarum seriem, quae iam non solius potationis, sed et plenioris ac absolutioris convivii adumbratione, quamvis potationis in ea semper inductio aliquatenus praevaleat, sanctarum animarum gaudia significat. Sed de his in sequenti articulo sermo sit.

Art. IV. — Convivium caeleste.

De mensa caelesti in primaevis Christianorum monumentis plus iam semel locuti sumus tum in primo huius operis volumine de ritibus funerariis tractando, tum in secundo formulas epigraphicas illustrando.[2] Nunc vero restat ut dicta

(1) Cf. p. 13 et seq.

(2) Vol. I, pars prior, p. 345 sqq.; vol. II, pars prima, pagg. 127–130 et alibi passim.

compleantur, ipsas recensendo picturas quae eiusmodi convivium repraesentant. Ad pleniorem tamen rei notitiam, aliqua paullo fusius repetamus oportet, quae supra, pro opportunitate, obiter tantum praestrinximus.

Caelestis mensae cogitatio in Evangelio primum invenitur, ubi scilicet Salvator Dominus, veluti fidelitatis praemium, fore apostolis pollicetur ut ipsi ad mensam discumbant caelestem in regno suo, ac in thronis duodecim sedeant, duodecim tribus Israël iudicaturi. (1)

In quarto autem libro Esdrae quem plerique exegetae secundo vel, ut summum, tertio tribuunt saeculo, legimus: « Commendatum donum accipite et iucundamini, gratias agentes ei qui vos ad caelestia regna vocavit. Surgite et state et videte numerum signatorum in convivio Domini ». Quae (2) quidem verba Apocalypsim S. Ioannis redolent, apud quam quoque de convivio est mentio: « Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt ». (3)

Convivium caeleste etiam in sanctorum actis commemoratur, veluti gaudii paradisiaci imago martyribus affulgens. En, exempli gratia, in actis Ss. Mariani et Iacobi, quid Iacobus dixisse perhibetur: « Ad martyrum beatorum pergo convivium. Nam ista nocte Agapium nostrum (hic nempe Agapius quidam fuerat martyr paullo ante Iacobum occisus) videbam... sollemne quoddam et laetitiae plenum celebrare convivium. Quo cum ego et Marianus, quasi ad agapen, spiritu dilectionis et charitatis raperemur, adcucurrit nobis obvius puer, quem constabat esse alterum ex geminis ante triduum cum matre passis, corona rosea collo circumdatus et in manu dextera palmam viridissimam praeferens: Et quid properatis? inquit. Gaudete et exultate, cras nobiscum et ipsi coenabitis ». (4)

Denique de mensa caelesti liturgiae omnes loquuntur, atque

(1) Luc. XXII, 29 et 30.

(2) Esdras, lib. IV, c. II, 37–38.

(3) *Apoc.* XIX, 9.

(4) Ruinart, *Passio Ss. Mariani et Iacobi*, p. 60. — Cf. Gebhard, *Martyrium Ss. Carpi et sociorum*, p. 16, § 42.

in illis quidem precibus quae ad defunctos pertinent. Harum aliqua referre huc praestat:

— « Ad convivium beati regni tui nos et illos (id est defunctos) pervenire fac ». (1)

— « Dignos effice (Domine, defunctos) convivio tuo beato ». (2)

— « Vocati ad convivium ». (3)

— « Da illis (scilicet defunctis) spiritum gaudii in habitaculis lucis et laetitiae... in ea regione... ubi invitati ad nuptias sponsum caelestem desiderant: ubi vocati ad convivium, ut ascendant, praestolantur ». (4)

— « Deus Pater, fac ut corpora et spiritus servorum tuorum, qui cum spe tua decubuerunt, ad bona illa caelestia perveniant... ad convivium indesinens. Scribe nomina eorum in libro vitae tuo, laetifica eos aspectu vultus tui... fac illos discumbere ad mensam tuam spiritualem ». (5)

— « Fac eos (defunctos) invitatos esse ad convivium tuum et perduc eos ad regionem exultationis et laetitiae ». (6)

— « Fac eas, Domine, quiescere in habitationibus lucidis et inter convivia illa deliciosa ». (7)

His omnibus, uti iam animadvertimus, consonant plura epitaphia quae, aut ut in agapen defuncti anima gaudeat ominantur, aut allegoricam potationem commemorant illam, quae vitam beatitudinemque in Deo, iuxta priscorum Christianorum sermonem, significabat:

— ERMOGENA IN AGAPE (8)

— SABINA IN AGAPE (9)

(1) RENAUDOT, *Liturg. orient.* II, p. 138.
(2) RENAUDOT, loc. cit. II, p. 164.
(3) RENAUDOT, loc. cit. II, p. 196.
(4) RENAUDOT, loc. cit. p. 195.
(5) RENAUDOT, loc. cit. p. 482.
(6) RENAUDOT, loc. cit. p. 516.
(7) RENAUDOT, loc. cit. p. 533.
(8) MARANGONI, *Acta S. Victorini*, p. 134.
(9) *Bull. di arch. crist.* 1882, p. 128.

— LICINIVS IVSTINAE CONIVGI BENEMERENTI IN ☧ AGP ☧ (1)

— IVSTE NOMEN TVVM IN AGAPE (Tab. 183) (2)

— (ΑΥΡΗΛΙΟC ΘΕΟΔΟΥΛΟC) ΕΙC ΑΓΑΠΗΝ (Tab. 53)

— CYRIACE PIE ZES (id est: *Cyriace bibas, vivas*) (3)



Tab. 183. « Iuste, nomen tuum in agape ».

Haec sequens inscriptio vasis et columbae imaginibus praedita est:

— ... *ani*MA DVLCIS PIE ZESES ☧ DORMIT IN PACE
... *a*NNVM VNVM MENSIS QVINQVAE (*sic*)
DIEBVS XXVI (4)

— ARVNTIVS VICTORIAE COIVGI CARISSIMAE
POSVIT QVE VIXIT
AN*nos* · ME*cum* · XX · ET ME*nse*S · VII
IN PACE PIAE (*sic*) ZESES (5)

(1) *Bull. di arch. crist.* 1882, p. 128.

(2) I. B. De Rossi alium huic formulae tribuit sensum, perinde quasi defunctus bonam de se apud fratres superstites reliquisset memoriam, sed, ut rite animadvertit Wilpert, « nulla osta che prendiamo la prima parte come una amplificazione, ed agape nel senso dichiarato » (id est tamquam caelestis convivii appellatio) (De Rossi, *Bull.* 1882, p. 127; Wilpert, *Le pitture*, etc. textus, p. 433).

(3) Wilpert, *Le pitture*, etc. p. 439.

(4) Wilpert, op. et loc. citt.

(5) Wilpert, op. et loc. citt.

— PAVLO BENEMERENTI QVI VIXIT
ANNIS · XXX · ET FECIT CVM VICTORI
A · CONIVGE · CARISSIMA · ANNOS · V · ET
MENSES VI · FECIT · LEO · PATER · CVM
FILIO · CARISSIMO · PAVLE PIE
ZESES · B · M · EIVS (1)

— ... STAB DVLCIS *anima pi*E SESES

— αλεξαΝΔΡΟC ΙΙΙ(η) ΕΝ ΘΕ(ω) (2)



Tab. 184.

Sunt insuper epitaphia quae figuram defuncti prae se ferunt bibentis, ut in tabula 185 cernimus, necnon in quodam titulo, Vincentiae scilicet a nobis iam alibi relato (Vol. I, pag. 1, Tab. 121). Formula vero quae in utroque legitur:

ΕΥΤΡΟΠΟC ΕΝ ΙΡΗΝΗ
VINCENTIA IN PACE

ita ipsarum imaginum significatione suppleri potest, ut eadem atque supra relatarum formularum quaelibet evadat. Sic epigrammati: *Aruntius in pace pie*, *zeses*, ista respondent: *Eutropius* (vel *Vincentia*) *in pace bibas*, *vivas*.

Haud aliud prorsus apud Ss. Petri et Marcellini coemeterium quaedam figurarum compages enuntiant, cuius in una parte defuncta quaedam bis instar orantis apparet, nomine (C)IN|TIA (Quintia) instructa; itemque aliunde eadem figura iacens cernitur calicem elevans, iuxta quem mutilum nomen legitur KEN..., id est KENτία (pro KINTIA). Denique sunt ibi quoque duo servi dapiferi depicti, alter hydriam, alter

(1) Muratori, *Thes. inscr.* 1922, 3.
(2) De Rossi, *Roma sott.* t. II, tabb. xlvii–xlviii, n. 7.

vero pateram tenens, qui cum Quintia iacente unicam compositionem facere videntur. (1)

Profecto in his omnibus acclamandi usum deprehendimus, ut viguit in conviviis carae cognationis, aut in qualibet alia

Tab. 185. (Ex Wilpert, *Le pitture delle catacombe romane*).

fraterna agape seu cena, quae inter eiusdem familiae membra celebratur, evectum tamen ad sublimiorem significationem.

Acclamationes huiuscemodi etiam in cupparum fundis auro descriptae erant, quarum ecce pulcherrima series: (2)

— DIGNITAS AMICORVM PIE ZESES CVM TVIS OMNIBVS BIBE ET PROPINA
— *dig*NITAS AMICORVM *pi*E ZES*es cum tuis omnib*VS BIBAS
— DIGNITAS AMICORVM VIVAS CVM TVIS FELICITER ZESES
— DIGNITAS AMICORVM VIVAS CVM TVIS FELICITER PIE ...
— DIGNITAS AMICORVM VIVAS CVM TVIS ZESES (Tab. 193, p. 297)
— DIGNITAS AMICORVM VIVAS CVM TVIS FELICITER
— DIGNITAS AMICORVM VIVAS IM PACE DEI ZESES

(1) Wilpert, *Le pitture*, etc. textus, p. 438, tab. 107, 3. — Idem significare videtur quaedam in catacumbis Syracusanis pictura hominem sedentem repraesentans, dum calicem, cui panis superpositus est, elevat.

(2) Apud Cabrol–Leclercq, *Monum. Eccles. liturg.* t. I, nn. 3589, 3738, 3906, 3590, 3592, 3561, 3562.



Tab. 186. Convivium funerarium (coem. Ss. Petri et Marcellini).

En alias: [1]

— HILARIS VIVAS CVM TVIS FELICITER SEMPER REFRIGERIS IM PACE DEI

— HILARIS *vivas* CVM TVIS OMNIBVS FELICITER SEMPER IM PACE DEI.

— HILARIS CVM TVIS PIE ZESES IN DEO

— ANIMA DVLCIS PIE ZESES IN DEO

— DVLCIS ANIMA PIE ZESES VIVAS

— CVM TVOS OMNES ELARES PIE ZESES

— PIE ZESES CVM DONATA

— PI*e zeses hil*ARES OMNES

Cum proinde ita frequens in liturgicis documentis epigraphicis formulis quas recensuimus, refrigerii seu caelestis convivii adsit cogitatio, apprime et iure coniicere licet tale etiam in picturis nonnunquam usurpatum esse argumentum. Verum enimvero cum, temporibus elapsis, parum monumenta Christiana essent explorata, usque ad medium circiter saeculi ultimi, conviviorum repraesentationes agapae vocabantur, nullo inter funerarium, eucharisticum ac caeleste convivium facto discrimine. L. Polidori primus intellexit, aliter quasdam huiusce modi picturas esse interpretandas, easque ad mensam alludere caelestem arbitratus est. [2] Hanc interpretationem strenue I. B.

(1) CABROL–LECLERCQ, loc. cit. nn. 3532, 3533, 3554, 3555, 3569, 3639, 3692, 3687.

(2) L. POLIDORI, *Dei conviti effigiati a simbolo sui monumenti cristiani* (excerptum ex ephemeride *L'amico cattolico*, Mediolani, 1844).



Tab. 187. Convivium funerarium (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

De Rossi amplexus est, ac validis roboravit argumentis, immerito tamen excludens quod unquam potuerit etiam funeraria mensa in sepulcris repraesentari. (1) Nos autem satis iam abundeque de diversis istis conviviorum speciebus iam diximus; (2) sufficit hic pauca memorare.

Quod funeraria convivia in Christianorum sepulcris indicari ac adumbrari potuerint, et revera indicata et adumbrata fuerint, id patet propriis Christianae antiquitatis testimoniis.

Sic, de fidelibus ad huiuscemodi epulas calicisque igitur consortium convenientibus, indicium videtur quaedam apud Priscillae coemeterium, haud procul a Crescentionis cubiculo ac in corio parietis, stylo insculpta inscriptio:

... IDVS·FEBR·|... CONSS GRATIANI III ET EQVITI|...
FLORENTINVS FORTVNATVS ET | *fe*LIX AD CALICE BENIMVS(3)

Praeterea extant imagines quae perspicue et unice funerarii convivii indolem exhibent. Nonne, exempli gratia, quaedam Ss. Petri et Marcellini hypogei pictura, quam iam alibi retulimus, rem dirimit? Tabulae 186 et 187 duas eius imaginis iterationes tradunt, alteram Bosii tempore delineatam (id est ducentis et octoginta circiter abhinc annis), alteram nostris temporibus photographica arte expressam. Porro, in hac repraesentatione, unus e convivis aliquid veluti stipem pauperi cuidam sive peregrino porrigit, quod prorsus in caelesti convivio omnino incongruens et absonum esset. (4) Ceteroquin, quasi ut

(1) « È evidente lo spirito di simbolismo, che ispira ed informa le rappresentanze del ciclo ordinario dell'antica arte cristiana, massime sui sepolcri, ove le scene reali della vita presente sono rarissime. Questa sola osservazione dovrebbe bastare a persuaderci, che è necessario attentamente considerare, se il convito tanto spesso effigiato sui sepolcri cristiani abbia in essi alcun significato più alto della semplice agape reale celebrata dai superstiti nelle esequie del defonto » (*Bull. di arch. crist.* 1882, pp. 121–122).

(2) Cf. vol. I, pars prior, p. 343 sqq.

(3) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1888, tabb. VI, VIII.

(4) Nec valet contra sententiam, quae funerariam mensam in Christianis picturis fuisse affirmat adumbratam, textum quemdam *Constitutio-*



Tab. 188. Convivium caeleste. (Ex *Bull. di arch. crist.* 1885, Tab. IV).

facilius differentia deprehendi possit, haec pictura in eadem apparet coemeteriali regione, ubi mensae caelestis evidentissimae ac plures effictae sunt adumbrationes, quarum tabula 188 sit exemplum.

De eucharisticis conviviis, post ea quae de eucharistiae sacramento loquendo disseruimus, nil addendum. Unum nunc animadvertere iuvat, scilicet, si interdum de huiusmodi repraesentationum interpretatione genuina inter auctores disputatum est, id non dumtaxat e diiudicationis ad amussim instituendae difficultate, sed etiam e religiosis quorumdam praeiudiciis ortum esse. Lutheriani enim seu Calvinistae plerique, qui omnem

num Apostolicarum afferre, qui huiusmodi est: ... Ἡμεῖς συναγωγοὶ ἐν πολλῷ καὶ κινδύνῳ καὶ κόπῳ ἀγρυπνίαις, ἀσιτίαις, χαμευνίαις, διωγμοῖς, πληγαῖς, φυλακαῖς, ἵνα τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ποιήσαντες πληρώσωμεν τὸν τρίκλινον τῶν ἀνακειμένων, τουτέστι τὴν ἱερὰν καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν εὐφραινομένων τῶν κλητῶν καὶ ἀγαλλιωμένων, ὑμνούντων καὶ δοξαζόντων τὸν καλέσαντα αὐτοὺς δι' ἡμῶν εἰς ξωὴν Θεόν (*Const. Apost.* II, 5; Pitra, *Iuris eccl. Graec.* I, p. 203. Cf. p. 219). Quibus propositis verbis haec I. B. De Rossi subiungit: « L'agape adunque tranquilla e festosa era simbolo di celeste convito. Molto più essa doveva assorgere a sì alto significato sui sepolcri, ove tutto parla della cristiana speranza nelle divine promesse del premio eterno e della resurrezione beata ». Sed textus hic, dum optime probat quo animo prisci Christiani, persecutione grassante, se haberent, minime excludit aliunde quin, praeter caelestem mensam, alia in sepulcris conviviorum adumbrata fuissent genera.

Tab. 189. Convivium funebre, pictura saec. IV in hypogeo syncretistarum Via Appia Antiqua inventa.

dogmaticam picturarum coemeterialium auctoritatem infitiari vellent, quodlibet convivium pro mensa caelesti acceperunt; sed hoc quantum a veritate sit alienum, satis iam studiosi intelligunt.

Ad caeleste convivium quod attinet, non est denique praetermittendum, lucem non parvam, quidquid de hoc senserit I. B. De Rossi,(1) ab ethnicis monumentis huic provenire quaestioni. Iam in primo operis nostri volumine quasdam syncretistarum sepulcrales picturas adduximus quae, utpote nonnihil cum Christianis eiusdem generis picturis similitudinis habentes, ad has explicandas optime adhibentur. Videlicet, praeter defunctae iudicium, et piorum sive funerarium, et caeleste convivium hic exhibentur (Tabb. 166 et 189). Tabula vero 190

(1) « L'analogia del ... dipinto dei cultori dei misteri Sabazii con i simili dei Cristiani è manifesta. Non fa uopo qui cercarne le ragioni speciali e proprie di quella setta e dei tempi della più viva lotta tra il cristianesimo ed il paganesimo: essendo in genere notissimo che le iniziazioni ai misteri promettevano la felicità nell'altra vita. Ma i dipinti cristiani non hanno bisogno di questi confronti, perchè possiamo penetrarne il senso simbolico. A ciò bastano le testimonianze proprie della cristiana antichità » (De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1882, pp. 121–122).

Tab. 190. Picturae in coemeterio syncretistarum.

*Vi*NCENTI · HOC · O*ro ne in*QVETES · (*inquietes*) QUOT · VIDES · PLVRES ME · ANTECESSERVNT · OMNES · EXPECTO · ‖ MANDVCA · BIBE LVDE E BENI AT ME · CVM BIBES · BENE FAC · HOC TECVM FERES · ‖ NVMINIS · ANTISTES · SABAZIS · VINCENTIVS · H*ic est q*VI SACRA · SANCTA ‖ DEVM · MENTE PIA *Colui*T

quomodo duo haec convivia in situ disposita sint demonstrat. *Introductio* autem *Vibiae* ad mensam caelestem magnam habet congruentiam cum illa, de qua supra sermo fuit coemeterii S. Cyriacae pictura, virginem ad beatorum consortium iam introducendam adumbrante.

Sunt qui duplicem picturis eiusmodi conviviorum sensum tribuant, nempe quod ipsa eucharistica mensa vel coena funeraria, simul etiam caelestem mensam, cuius est symbolum, repraesentare quaeat. Utrum vero hunc duplicem sensum revera artifices intenderint, res quidem dictu difficillima est. Notabilia sane sunt verba quae I. B. De Rossi, loquens de pisce in caelestibus conviviis apposito, apud *Spicilegium Solesmense* scripsit, et sunt haec: « Ceterum in ipsa quoque caelestis convivii pictura piscis imago aptissima fuit, tametsi ad eucharistiam vix ulla

referri ratione potuerit. Beatos enim, quos caelesti mensae accumbere veteres Christiani illis picturis significarunt, vivere in Christo et Christo frui eorum temporum aequalia passim epitaphia praedicant: quare nil aptius potuit a pictoribus excogitari, quam ut de pisce, sub quo Christus intelligitur, caelestes convivas satiari demonstrarent ». (1)

Notavit insuper illustris archaeologus, in caelestis convivii repraesentationibus apud coemeterium Ss. Petri et Marcellini, piscem constanter apparere, panem vero semper deesse; quod quidem duplicem excludere significationem videtur. (2)

Tab. 191. Convivium funebre. (Ex Wilpert restitutione ap. *Le pitture* etc.).

(1) *Spicilegium Solesmense*, III, p. 569.

(2) En sane circa hoc argumentum pretiosissima auctoris verba: « Oggi vediamo che il piattello del pesce non solo è costante, ma sempre unico e senza i pani, sulle mense dei conviti celesti. E poco proba-

Praeter id, aliud est in praefatis picturis in quo explicando discrepant auctores: nempe ad epularis lecti extrema (Tab. 188) duae cernuntur puellae quibus hae adclamationes, iuxta eas inscriptae, referendae videntur:

AGAPE MISCE	IRENE
NOBIS	PORGE
	CALDA
AGAPE DA CALDA	IRENE MISCE (1)

Nonnulli arbitrati sunt his Irenes et Agapes figuris simpliciter commemorari puellas, quae tamquam famulae, dominis apud coenacula vinum revera fundere solebant. Alii, pauci quidem, sic exhiberi aestimaverunt filias, quae, apud nobiles, parentibus interdum simile ministerium praestabant; necnon hanc ultimam opinionem fulcire conati sunt, animadvertendo praelatas non stantes, sed in strati extremis sedentes, aliquando, uti mos apud nobiles erat gentes figuras conspici. Verumtamen cum plures sint huiuscemodi repraesentationes, neque in eodem aliquo coemeterii cubiculo, quis credat totidem diversas extitisse familias quibus famulae aut filiae illis similibus nominibus insignitae fuerint? Contra vero, cum de symbolicis picturis agatur, puellae illae multo manifestius apparent velut amborum praecipue bonorum quibus in paradiso sanctorum

bile che siffatta costanza sia al tutto priva di ragione ed intenzione simbolica. Il pesce solo senza il pane essendo nell'arcano linguaggio l'ΙΧΘΥΣ (*Gesù Cristo figlio di Dio Salvatore*) senza relazione all'eucaristia, nei predetti dipinti probabilmente significherà (come assai prima delle odierne scoperte congetturai) ciò che cento volte ripetono le acclamazioni convivali e sepolcrali: ζήσῃς ἐν Θεῷ; *vivas, vivatis in Deo, in Christo, refrigeres in pace Dei.* La gloria di Dio e la svelata presenza dell'ΙΧΘΥΣ, di che gli eletti si pascono e saziano nella mensa celeste, è la fonte della loro beatissima *agape* (carità) e *irene* (pace). *Vivis in gloria Dei et in pace domini nostri Christi* afferma dell'anima beata un'epigrafe cimiteriale; e con questa bella sentenza sia chiuso il presente discorso » (De Rossi, *Bull.* 1882, p. 130).

(1) Cf. *Bull. di arch. crist.* 1882, tab. V; Lefort, *Etude sur les monuments primitifs de la peinture en Italie*, p. 64 sq. nn. 77-78.



Tab. 192. Convivium funerarium. Pictura coem. S. Domitillae.

animae beantur, pacis et caritatis scilicet, mysticae inductiones. Sicut enim in epigraphiis legimus:

IVSTE NOMEN TVVM IN AGAPE (Tab. 183, p. 285)

ita etiam eiusmodi inveniuntur formulae:

IRENE TIBI CVM SANCTIS QVINTA VALE IN PACE (1)

Ceterum, in his picturis, puellae quae in cornibus triclinii sedent, non semper calida (id est vinum aquae calidae mixtum) dant convivis; semel dapifer puellus calicem porrigit; (2) ac semel iterum, loco Agapes feminae, iuvenis quidam adest. (3) Revera igitur pro personarum inductionibus dapiferi illi utriusque sexus accipiendi sunt.

Convivii caelestis repraesentatio, iuxta Wilpert, sexies solummodo reperitur, idque semper in coemeterio Ss. Petri et

(1) *Corp. inscr. Lat.* X, 4529.
(2) *Bull. di arch. crist.* 1882, tab. III; WILPERT, *Le pitture*, etc. tab. 157, 1.
(3) *Bull. di arch. crist.* 1882, tab. V; WILPERT, *Le pitture*, etc. tab. 184.

Marcellini. Non ita tamen I. B. De Rossi qui cum convivium funerarium omnino a picturis coemeterialibus exclusisset, numerosiores proinde illius indolis imagines computavit. Sane quae hic et alibi in hoc opere circa hoc attulimus argumentum suppeditant ut studiosi quid sibi verisimilius videatur, eli-



Tab. 193. Fragmenta cupparum convivalium in catacumbis inventa.

· DIGNITAS · AMICORVM · VIVAS · CVM · TVIS · FELICITER · ZESES ·

gant. Una effigies, mea sententia, posset dumtaxat in controversiam venire, nempe mensae quaedam repraesentatio quam in antiquissimo Flaviorum Christianorum hypogeo adspicere est. (Tabula 192).

Extra Romam, nunquam huiuscemodi paradisi imago invenitur.

Art. V. — Martyres et sancti variis modis in paradiso repraesentati.

Diversis modis martyres et sancti in picturis coemeterialibus sunt efficti. Eos iam vidimus apud Christum iudicem advocatorum officio pro animabus fungi, sicut etiam angelos

et apostolos, necnon eis paradisi aperire aditum. Nunc alia est, affinis aliquatenus, series consideranda imaginum, quae, cum non ad defunctorum solummodo memoriam et sortem attineant, sed et plebis Christianae, in quibuscumque huiusce vitae casibus erga sanctos fiduciam expromant, perraro quidem in sepulcris, crebro autem ac diu in decorandis basilicis adhibita sunt.

Sancti genu flectentes ante Christum. In coemeterio Domitillae quaedam est mutila pictura quae tres mulieres Christum adorantes repraesentabat. Nunc vero una dumtaxat mulier cernitur genuflexa coram Christi figura in cathedra sedentis ac loquentis. Quae quidem compositio verbis quibusdam respondere videtur quae in libro *De resurrectione mortuorum* leguntur: « Submissis omnibus genibusque reflexis adorant: solus Agios sanctusque Deus vox omnibus una est ».[1]

Sancti coronam a Christo accipientes. In eodem coemeterii Domitillae loco, praeter aliam picturam picturae proxime memoratae fere similem, sed nunc prorsus deperditam, tres mulieres tresque viri depicti sunt, dum ad Christum coronam recepturi accedunt. De corona victoribus in praemium destinata pluries sacra Scriptura loquitur;[2] ac praesertim nota sunt illa S. Pauli verba in secunda eius ad Timotheum epistola: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex »;[3] necnon ista S. Ioannis: « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae ».[4]

Coronam « immarcescibilem » etiam, post S. Petrum,[5] plures Christiani auctores commemorant, itemque non solum

(1) Inter *Opp.* S. Cypriani, ed. Hartel, v. 176 sq. Cf. Wilpert, *Le pitture*, etc. textus, p. 447 sq. fig. 44.

(2) *Sap.* V, 17; II *Timoth.* IV, 8; Iacob. I, 12; I Petr. V, 4; *Apoc.* II, 10.

(3) II *Tim.* IV, 7 sq.

(4) *Apoc.* II, 10.

(5) I Petr. V, 4.

martyribus, sed aliis etiam fidelibus destinatam;[1] denique de illis qui « confessi sunt nomen Dei » coronandis, seu martyribus lato sensu in quarto Esdrae libro ita mentio fit:[2]

« Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, et omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat iuvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas, et magis exaltabatur: ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogavi angelum, et dixi: Qui sunt hi, domine? Qui respondens dixit mihi: Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, et immortalem sumpserunt, et confessi sunt nomen Dei: modo coronantur et accipiunt palmas. Et dixi angelo: Ille iuvenis, quis est qui eis coronas imponit et palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi: Ipse est Filius Dei, quem in saeculo confessi sunt: ego autem magnificare eos coepi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt. Tunc dixit mihi angelus: Vade, annuntia populo meo qualia et quanta mirabilia Domini Dei vidisti ».

Esdrae quidem quartus liber, perinde ac tertius, spurius seu apocryphus est; tanti tamen apud veteres aestimabatur, ut liturgica officia saeculo quinto concinnanda non pauca ex eo fuerint deprompta. Illius autem compositio, ut alias iam diximus, saeculo secundo vel tertio a plerisque assignatur, licet non desint qui eum ad primum dicant saeculum pertinere.[3]

(1) Min. Felix, *Octavius*, 38, *P. G.* III, 357; Euseb. *Hist. Eccl.* 5.

(2) Esdras, lib. IV, c. 2, vv. 42–48.

(3) Nuperrime tamen auctor quidam fuit, qui saeculo sexto hoc tribueret librum (cf. *Revue biblique*, iul. 1909, p. 412 sqq.). Nostrum quidem non est eiusmodi hic discutere quaestionem; sed quoniam auctor ille hanc voluit inauditam sententiam argumentis archaeologicis probare, aliqua obiter animadversio haud erit supervacanea. Auctor inprimis notat multa in quarto Esdrae libro adesse, quae ex prophetis, ex evangeliis et ex Apocalypsi S. Ioannis deprompta sunt. Item multa e scriptoribus Christianis, e martyrum, praesertim Ss. Perpetuae ac Felicitatis, actis excerpta: in quibus plane nihil est quod per se aetati, quam tali documento generatim assignant, non congruat. Sed praeterea, cum apud eam pseudographam congeriem, de refrigerio, de paradisi viridario, de montibus lac et mel manantibus, de duo-

Ut pluries in epitaphiis recensendis nobis iam notandum occurrit, quidquid regnum caeleste regiamve domum in sepulcris significat illud promiscue tam martyribus quam ceteris fidelibus refertur; neque S. Paulus, de corona iustitiae sibi servata loquens, sibi nempe « et iis qui diligunt adventum Domini » quasi aeterni praemii exhibens exemplum, eam martyribus dumtaxat donandam intellexit. Huius aliunde apostolici textus quem merito, ut videtur, de aeterna perfectaque remuneratione statim post mortem a summo iudice obtinenda est interpretatus, illustrationem quasi quamdam, breviter sed pulchre, iam laudatus Zosimae epigrammatis auctor attulit, his quattuor versibus :

IAM VIDET ET SENTIT MAGNI *spectacula regni*
ET BENE PRO MERITIS GAVDET SIBI PRAEMIA REDDI
TECVM PAVLE TENENS CALCATA MORTE CORONAM
NAM FIDE SERVATA CVRSVM CVM PACE PEREGIT (1)

Si vero saepe in documentis et quandoque in epitaphiis, simplices fideles coronandi aut coronati exhibentur, non idem fieri dicendum est in picturis. Mos enim sane invaluerat martyribus « vindicatis » ac sanctis « rite probatis » illius cum corona repraesentationis honorem reservandi ; et, sicut nunc nemo catholicus, quantamcumque de alicuius defuncti beatitudine privatim habeat opinionem, huiusce effigiem corona vel

decim arboribus quibus duodecim adumbrantur apostoli, de fontibus ex arborum radicibus scaturientibus aliisque huiuscemodi, sermo sit; haec omnia e serioribus catacumbarum picturis, necnon e basilicarum Romanarum musivis operibus aliisque ornamentis collecta fuisse auctor contendit. At vero, nonne his omnibus eodem pacto anterius scriptum illud dicere possumus, quin etiam illarum proprie allegoricarum cogitationum et imaginum fontem aliquatenus extitisse ? Namque sicut ex eo etiam quod ex authenticis certisque Sacrae Scripturae libris, plurima Romanae liturgiae compositores deprompserunt, ita bene potuerunt Christiani artifices, in sepulcris ac basilicis exornandis, picturarum suarum argumenta ab eodem isto visionum et parabolarum spicilegio mutuari. Sed de apocrypho hactenus, ne limites instituti nostri praetergrediamur.

(1) De Rossi, *Bull. d'arch. crist.* 1866, pp. 47-48.

nimbo apud tumulum exornandam curare praesumeret, tunc et a tali agendi ratione prisci Christiani forsitan sedulo abstinere solebant.

Re enim vera, ubi personae coronandae coronataeve depictae hodieque in primaevis coemeteriis cernuntur ac cognosci possunt, ibi semper veluti sanctorum martyrumve imagines apparent. Sic, Romae, in Pontiani coemeterio, Abdon et Sennen martyres; apud subterraneam S. Felicitatis basilicam, haec martyr cum septem filiis; in sepulcro apostolico, via Appia (Platonia), S. Quirinus Sisciae episcopus, vel S. Policamus, Petro apostolo comite;[1] sic, extra Urbem, in Syracusanis catacumbis, quaedam Adeodata, vel Deodata, virgo, quam quidem per longum tempus fideles venerati sunt.[2] Imago ista ultima vere insignis extat, nam, sicut in alia eiusdem coemeterii pictura quam supra illustravimus (Tab. 168), Christus hic inter apostolos Petrum et Paulum apparet, ac, dum sinistra volumen legis tenet, dextera coronam rubram capiti defunctae imponit. Paradisus vero etiam hic floribus repraesentatus est.

Aliae eiusmodi imagines extiterunt, praesertim Romae, temporis tamen hominumque iniuria concisae. Sic apud Boldetti cuiusdam est picturae notitia S. Meritam inter martyres Felicem et Adauctum, quibus Christus coronas imponit, adumbrantis. Huius imaginis exemplar a Bianchini transcriptum, in Canonicorum Veronensium bibliotheca egregius P. Bonavenia nuper invenit, e quo tabula nostra 194 excerpta est. Ipsius vero picturae, apud Commodillae hypogeum nuperrime inventa est pars, minima quidem, sed quae ad Bianchinianam delineationem confirmandam optime deservit. Quae autem delineatio bene textui apocryphi Esdrae iam relato respondet: «Et in medio eorum erat iuvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas, et

(1) Cf. WILPERT, *Le pitt.* etc. tab. 258; DE ROSSI, *Bull.* 1884–85, tabb. IX et X; DE WAAL, *Die Apostelgruft ad Catacumbas* ap. *Römische Quartalschrift*, suppl. tab. I.

(2) FÜRER, *Eine wichtige Grabstätte der Katakombe von S. Giovanni bei Syrakus*, München, 1896.

magis exaltabatur ». Quapropter e talibus etiam verbis, aut ex non absimilium quibusdam aliis visionum narratiunculis venire potuit ut in huiusmodi interdum picturis Christus maiore quam sancti repraesentetur statura; et quoque ut paullatim ipsorum etiam sanctorum imagines maiores ceteris figuris delineari coeptae sint, cuius rei exemplum nobis praebet quaedam in coemeterio Marci et Marcelliani pictura, in qua duo Sancti cernuntur aliquantum maiores quam mulieris cuiusdam figura inter eos repraesentata. Imago ista, ut coniicere licet, animam donatricis significat defunctae inter Sanctos, ad quorum corpora sepelienda ipsa locum opemque praestiterat. Ita enim et in basilicis donatorum imagines adumbratae sunt.

Statura ceteris maior etiam S. Ianuarius inter orantes, Neapoli, in catacumbis quae eius nuncupantur nomine, depictus conspicitur (Tab. 56, p. 21); in illius sepulcro praeterea duo legebantur versus qui, iuxta Garrucci supplementa, ita sonant:

*Fauste feliciter adv*ENIS IANVARI MARTYR
*A Domino coronatu*S AETERNO FLORE (1)

Apud Romam, in Pontiani coemeterio, S. Pollioni martyris inter sanctos Militem ac Pigmenium stat imago, coronam gemmatam manibus tenentis. Gemmata ibi etiam adest crux, circa quam legitur:

INDVLG ABVNDA*n*S (2)
ENTI*a*

Sancti vero Milix ac Pigmenius ibidem volumen habent, scilicet volumen legis, quod, cum saepissime in sepulcris cernatur, ac specialem in picturis quas nunc recensemus habeat significationem, aliquid de eo obiter saltem dicendum.

Primus qui in picturis volumen gerens appareat, Christus est, illudque aut totaliter, aut ex parte apertum sinistra tenet,

(1) Garrucci, *Storia dell'arte. crist.* vol. II, 103.
(2) Wilpert, *Le pitture* etc. textus, p. 454.

dum aliam manum alloquentis instar profert. Deinde cum volumine et ipsi apostoli repraesentati sunt, ac denique Sancti; utrique tamen numquam illud explicatum exhibent. Saeculo solummodo quarto defunctos quoque cum volumine delineatos conspicere est, quod quidem potius repetitio seu imitatio est

Tab. 194. Vetus cuiusdam coem. Commodillae picturae repetitio. (Ex *Nuovo Bull. d'arch. crist.* 1907, Tavv. VII, VIII).

quorumdam anaglyptorum imaginum, de quibus alibi sermo erit. Illud tamen in praesenti notamus, videlicet volumina eiusmodi, aut in scriniis collecta, legem significare divinam a defunctis observatam, ac propter quam eorum animae dignae aestimatae sunt quae caelestem beatitudinem obtineant. (1)

Hoc clarissime patet eo, quod in quadam coemeterii Neapolitani pictura, volumina cernantur Evangelistarum nominibus instructa. (2) Quoties igitur Christus cum volumine explicato loquens conspicitur, de lege divina in volumine descripta dis-

(1) Cf. WILPERT, op. et loc. citt.
(2) GARRUCCI, *Storia dell'arte* etc. II, tab. 99, 1.

serens debet intelligi. Alioquin in monumentis omnigenis, ubi Dominus Petro volumen porrigens inducitur: ipsum volumen his praeditum est verbis:

LEX DOMINI

necnon aliquando eiusmodi repraesentationes hac designantur formula:

DOMINVS LEGEM DAT

Praeterea, in coemeterio Commodillae, Paulus apostolus effictus est dum plura volumina Christo in throno sedenti offert; quae quidem volumina epistolas ipsius apostoli potissime commemorant. Denique, in anaglyptis sarcophagorum aliisque monumentis, aliquando sacerdos repraesentatur volumen sinistra manu tenens, dum dextera aquam baptismatis capiti catechumeni infundit; immo, in quodam sarcophago, Romae, apud Thermarum Diocletianarum museum asservato, sacerdos volumen super catechumeni capite explicatum tenet. Hic tamen non quidem lex Domini volumine indicatur aperto, sed formula fidei, idest Symbolum quod, iuxta vetustissimas liturgias, recitari debebat quando baptismatis praeviae interrogationes fiebant. (1)

Sancti in gloria iuxta Christum. — Sicut picturae quae in hoc articulo praecedunt, ita quae sanctos in gloria cum Christo commonstrant, tantum post pacem Ecclesiae donatam in coemeteriis apparent, ac potius basilicarum propriae sunt, necnon plerumque apocalyptica scripta nonnihil sapiunt.

Omnium pulcherrima eiusmodi repraesentationum in coemeterio Ss. Petri et Marcellini adest, in qua tamen, propter artificis imperitiam, in duas divisa compositio est partes, quae in unica fronte et in eadem linea debuissent effingi. Scilicet Christus amboque apostolorum principes in superiore depicti

(1) Cf. Achelis, *Die Canones Hippolyti*, p. 94, can. 19, Leipzig, 1891; Riedel, *Die Kirchenrechtsquellen des Patriarchats Alexandrien*, pp. 210–212, Leipzig, 1900; Funk, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum*, t. II, pp. 97–119, Paderbornae, 1905.

sunt spatio; sancti vero qui gloriam Christi participare hic intelligendi sunt, in inferiore parietis loco, iuxta tamen alteram, sed symbolicam, ut mox sumus dicturi, Salvatoris imaginem,

Tab. 195.

depicti sunt. Apostoli autem, nempe Petrus ad sinistram et Paulus ad dexteram in throno sedenti videntur acclamare Christo, qui, perinde ac alibi iam deprehensum est, librum sinistra tenens explicatum, dextera instar oratoris innuit. Nec-

non eius caput nimbo circumdatum est in quo crux monogrammatica ☧ cum litteris apocalypticis A et Ω refulget: « Hac simplici formula, ait egregius Wilpert, artifex solemnem ac pluries a Salvatore prolatam expressit sententiam: *Ego sum* α *et* ω, *initium et finis.* (1) Tamquam throno Christi adsistentes apostolorum principes electi sunt ... Eorum vestimenta, sicuti aliorum sanctorum vestimenta, tunica consistunt alba alboque pallio, quia, cum fuerint martyres, *laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni* ». (2)

In inferiori spatio, agnus, pariter nimbo circa caput instructus, itemque cum cruce monogrammatica duabusque litteris A et Ω, in monte stat. Quattuor e monte scaturiunt rivi in unicum deinde flumen confluentes, cui vocabulum IO|RDAS, nempe *Iordanus* apud agnum depictum refertur. Denique ad agni latera quattuor sunt, quasi acclamantium, martyrum figurae, scilicet Petri, Marcellini, Gorgonii ac Tiburtii. (3) Pictura ista ad quartum egrediens vel ad quintum incipiens saeculum pertinet.

Duae aliae in Romanis coemeteriis sunt huius generis imagines. Altera Protum ac Hyacinthum martyres ad Christi latera repraesentans (saec. VI), in S. Hermetis coemeterio adspicitur. Altera Christum in cathedra sedentem inter Simplicium, Faustinum, Viatricem et Rufinianum martyres exhibet. Haec posterior, valde pulchra, in hypogeo S. Generosae, apud Portuensem viam, extat et ad quintum potest pertinere saeculum; ac licet eadem sanctorum non reddiderit propria vultuum lineamenta, tamen artifex ita eos effinxit, ut ante oculos viventia

(1) *Apoc.* I. 8, XXI; 6; XXII, 13.

(2) *Apoc.* VII, 14; WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 456.

(3) « Quantunque Pietro, nella sua qualità di esorcista, occupasse un grado di dignità inferiore a quella di Pietro sacerdote, pure occupa il posto d'onore alla destra dell'agnello. Sembra quindi che l'artista abbia erroneamente fatto i suoi calcoli, considerando le cose dalla parte dello spettatore. Questo spiegherebbe anche perchè nel campo superiore l'apostolo Pietro non sia dipinto a destra di Cristo, come avviene sempre nelle catacombe » (WILPERT, *Le pitture* etc. p. 456).

exemplaria habuisse libenter dixeris.[1] Sancti isti coronam sinistra manu, aut pallii ora aut panno cooperta, gestant eorumque capita nimbis insignita sunt.

Utrum corona, quae apud sanctorum effigies, documentis necnon testantibus monumentis, caeleste praemium et aeternam gloriam indicat, etiam, in gratiarum actionem ac tributum laudis adorationisque, Domino velut oblatae aliquando interpretari queant, quondam disputari poterat. Nonnulli quidem nonnullas huiuscemodi picturas ista arbitrabantur Apocalypsis verba redolere: « ... procidebant viginti quattuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in saecula saeculorum, et mittebant coronas suas ante thronum dicentes : Dignus es, Domine, accipere gloriam et honorem ».[2]

Sed, in paucis imaginum exemplaribus ab auctoribus propositis, revera vix erat unde sedulo talis cum Apocalypsis textu congruentia persuaderetur intuenti. Etenim, in praefatis exemplaribus, cernebantur quidem sancti coronas ante Dominum manibus ferentes (uti, exempli gratia, apud sepulcrum apostolicum viae Appiae (*Platonia*), ubi Christo, in throno sedenti ac S. Quirinum Sisciae episcopum coronanti, apostoli adstant dextera coronam tenentes; necnon, et praesertim, cum sancti, manibus pallio vel panno coopertis, coronam gestant), sed ei minime expresso et manifesto gestu quidquam offerre dici possent. Attamen, quinque abhinc annis, quaedam in Commodillae coemeterio detecta pictura ita quaestionem enodavit, ut nulli dubio maneat amplius locus. In ea enim repraesentatione, Christo, in throno sedenti, Paulus apostolus

(1) « L'artista anzi aveva la capacità di individualizzare le singole figure; ogni testa è molto diversa dall'altra: nella prima è espressa la grazia, nella seconda l'energia, la dignità e la serietà, nella terza e nelle tre ultime la benignità. Questi pregi artistici m'inducono a giudicare la pittura al più tardi della prima metà del IV secolo » (WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 459). — Aetas tamen sic a Wilpert statuta, antiquior mihi videtur quam ut verisimilem eam reputem; ut summum quarto labenti, vel potius quinto incipienti saeculo tribuenda est.

(2) *Apoc.* IV, 10.

volumina suarum epistolarum, sanctus vero Felix coronam, quam martyrio consecutus est, porrigit, neque quidquam eorum figurae a Magorum differunt imaginibus, qui nato Salvatori munera offerunt. (1)

Notandum sane est, nunquam in recensitis picturis Deum Patrem apparere, sed semper Christum ad cuius maiestatis conspectum, assistentibus apostolis ac martyribus, sanctorum animae admittuntur. Sublimis ista maiestas throno significatur ac pedum scabello; necnon divinitas haud raro crucifero indicatur nimbo, nempe quando etiam sanctorum capita nimbis ipsa sunt insignita; sed potissime quum scabelli loco sphaera sive globus terrae substitutus est, quae, uti scriptura loquitur, *scabellum pedum eius* est. Huiusmodi repraesentatio ter in antiquis coemeteriis depicta conspicitur, nempe in Priscillae coemeterio, in S. Commodillae coemeteriali basilica et in quodam hypogeo apud catacumbas S. Sebastiani nuperrime invento. (2) Harum imaginum prima ad medium saeculi quarti, reliquae ad sextum circiter pertinent saeculum. Secunda vero illud sibi vindicat proprium, quod Salvatoris effigiem exhibeat dum claves tradit Petro, atque id quidem, in picturis coemeterialibus, alibi nequaquam conspicitur.

Verum, a saeculo inde quinto, etiam Christus parvulus ac, etsi in matris gremio, doctoris aut iudicis officio fungens est adumbratus. Quarum omnium picturarum pulcherrima in praefata S. Commodillae crypta seu basilica, quinque abhinc annis inventa (Tab. 195), initio saeculi sexti tribuitur. Christus ibi adhuc uti iudex profecto apparet, nam volumen manibus tenet, eique quaedam defuncta nomine Turtura adstat, pro qua sancti Adauctus et Felix intercedere cernuntur. Immo S. Adauctus dexteram super humerum mulieris positam habet; quod qui-

(1) Cf. *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1904, tab. V. — Eiusmodi argumentum, saeculo quinto, commune basilicarum fit ornamentis, praesertim musivis operibus, sed de hoc in sequenti erit libro loquendum. Interim adeantur auctores, praesertim WILPERT, *Sancta Maria Antiqua*, 1910 ap. VENTURI, *L'Arte*, fasc. I, an. XIII; CHARLES DIEHL, *Ravenne*, Paris, 1907.

(2) Cf. *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1904, p. 162 sq.; 1909, p. 52.

dem haud dubius protectionis actus est. Subter haec legitur inscriptio:

+ SVSCIPE NVNC LACRIMAS MATER NATIQVE SVPERSTIS (*sic*)
QVAS FVNDE GEMITVS LAVDIBVS ESSE TVIS·
POST MORTEM PATRIS SERVASTI CASTA MARITI
SEX TRIGINTA ANNIS·SIC VIDVATA FIDEM·
OFFICIVM NATO PATRIS MATRISQVE GEREBAS
IN SVBOLIS FACIEM·VIR TIBI VIXIT OBAS
TVRTVRA NOMEN ABIS (habes) SET TVRTVR VERA FVISTI
CVI CONIVX MORIENS NON FVIT ALTER AMOR
VNICA MATERIA EST QVO SVMIT FEMINA LAVDEM
QVOD TE CONIVGIO EXHIBVISSE DOCES·
HIC REQVIESCIT IN PACE TVRTVRA
QVE BISIT (*sic*) PLM (plus minus) ANNVS LX

Mulier igitur ista quae ab anno vigesimo quarto, id est post mortem mariti, multis annis in castitate vixit, defuncti nunquam immemor, ac eius quasi effigiem in vultu cari filii intueri solita, *Turtura* nomine ac *turtur* vera dulcedine et pietate edicitur; ideo, sanctorum intercessione defensa, Christum habet iudicem non in severitatis terrorisque sedentem tribunali, sed in gremio Matris suae, id est in benignitatis ac misericordiae throno, sub mansueti pueruli specie, arridentem: venusta ac praeclara sane cogitationum complexio, quae apprime illud, bene nobis cognitum, illustrat epitaphium: ... *Cuique vitae suae testimonio sancti martyres apud Deum et* ☧ (Christum) *erunt advocati* ...[1]

(1) Praestat plura egregii Wilpert verba referre de huius picturae origine ac pretio loquentis: « Essa (la pittura) na molto dell'arte cimiteriale, specialmente nel modo di rappresentare e disporre attorno ai gruppi principali le figure dei santi colla defunta, dando ad esse l'atteggiamento corrispondente al momento più essenziale dell'azione. Come nelle scene del giudizio, uno dei santi, Felice, fa il gesto di parlare in pro della defunta; Adautto poi la tocca famigliarmente colla destra sulle spalle come per introdurla; e Turtura stessa offre il volume della legge cristiana da lei santamente osservata nella sua vita. Solo nel gruppo centrale troviamo delle novità: Gesù non ap-

Apud Aegyptum, Christi quoque maiestas divina, necnon ipsius Deiparae divinum ferentis Infantem dignitas pluries in antiquo S. Apollonis monasterio, apud Baouït, pictorum penicillo sunt expressae; nec imagines illae multum a Commodillae hypogei figuris absimiles sunt, paullo tamen posteriores.[1] In tabula 196 Aegyptiarum picturarum utriusque exemplum habes: nempe Christus in throno sedet inter quattuor evangelistarum symbola; subter vero Maria in throno quoque excelso, divinum Infantem habet in gremio, ad eiusque latera series sanctorum dispositae sunt, quorum unusquisque legis librum gerit. Hanc circa picturam duo veniunt animadvertenda, videlicet librum in locum voluminis substitum fuisse, quod quidem

parisce più solo, da giudice, ma bambino in grembo della sua madre, seduta come una imperatrice in un trono gemmato. Ambedue sono inoltre troppo indipendenti dall'azione che l'artista volle raffigurarci; essi potrebbero star benissimo da sè. In ciò io vedo un forte indizio che il gruppo della Vergine col divino Infante sia una copia di qualche celebre immagine della Madonna con Gesù, dipinta forse sopra una tavola, come quella della basilica di Santa Maria Antiqua. In questa chiesa esiste ancor oggi, a destra dell'abside, un gruppo identico in quanto all'atteggiamento della Madre e del Bambino, al quale non un principe nè i magi, come taluno pretende, ma due angeli presentavano, su mani velate, la corona gemmata, che nei musaici apparisce in alto nella mano celeste sporgente dalle nuvole. Citerò anche l'immagine che si fece dipingere in casa sua la vedova Rusticiana, moglie del celebre filosofo Severino Boezio, ucciso in carcere verso il 525. Per questa pittura di Maria con Gesù un *Andreas orator* compose una lunga iscrizione metrica, conservata nei codici epigrafici. Il carme termina col dire: *Protegat ille* (cioè *Christus*) *tuum, Rusticiana, genus.* La pittura doveva essere molto bella, giacchè san Gregorio Magno la fece riprodurre nella casa paterna, mutando nell'ultimo verso il nome *Rusticiana* in *Gregori praesulis.* Di questa immagine, da lungo tempo distrutta, possiamo adesso procurarci una idea esatta mercè le due pitture di Commodilla e di Santa Maria Antiqua » (WILPERT, *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1904, pp. 168–169). — Cf. egregium auctoris ipsius opus paucis adhinc hebdomadis editum: *Sancta Maria Antiqua*, excerptum e I huius anni fasciculo ephemeridis *L'Arte*, in quo pictura praefata restituta exhibetur.

(1) JEAN CLÉDAT, *Le monastère de la nécropole de Baouït*, ap. *Mémoires de l'Inst. français d'arch. orient. du Caire*, 1906, t. XII.

Tab. 196.

iam in Romanis coemeterialibus picturis saeculi quarti bis apparet; (1) deinde, a saeculo quinto, in basilicarum picturis operibusque musivis, episcoporum imaginibus librum plerumque tribui. Ceterum, vera Deiparae maiestas in basilicis delineata fuit, et omnium antiquissima huiuscemodi repraesentatio Romae, apud ecclesiae S. Mariae Antiquae picturas cernitur, quae tamen ad Liberianae basilicae antiquiora quaedam opera musiva imago illa exemplata fuisse videtur. (2)

ART. VI. — **Quaedam circa hucusque propositas picturas generaliter animadvertenda.**

Repraesentationes sacrae quas hucusque recensuimus maximam numero, et momento gravissimam, picturarum coemeterialium partem complectuntur; nam paucae quae considerandae adhuc manent, quatenus aut singularium seclusas sanctorum

(1) Cf. WILPERT, *Le pitture* etc. Tabulae, tabb. 245, 2, et 252.

(2) Cf. WILPERT, *Sancta Maria Antiqua*, ap. VENTURI, *L'Arte*, an. XIII, fasc. I, Romae, 1910.

figuras, aut defunctos artibus quas in vita exercuerant vacantes, aut denique ornamentorum merorum argumenta exhibeant, parum ad internam artis Christianae indolem ac significationem dignoscendam prodesse possunt. Non ergo absonum aut temerarium erit iam et hic aliquas generales producere animadversiones.

Primo quidem enixius concludere nunc licet quod iam pluries innuimus; nempe coemeteriorum picturas eiusdem esse naturae et indolis ac epitaphia, earumque significationem plerumque et potissimum ad defunctos referri. Patet insuper utrumque monumentorum genus aliquando temporum eiusdem studia et scripta redolere, magis vero sacram Scripturam. Haec tamen iuxta potius liturgicum sensum quam secundum Patrum scriptorumque interpretationes in picturarum investiganda significatione intelligenda est, nisi tamen de imaginibus sacramenta significantibus agatur pro quibus contrarium saepius tenendum.

Ceteroquin non aliter in coemeteriis nostris hodie est. Quidquid enim in hodiernis conspicimus sepulcris, ad defunctos attinet eorumque potius in altera vita statum. Quod si de homine nullius relligionis agatur, tunc utique nihil in sepulcro effingitur quod ad mortem, ad parentum dolorem, vel ad corporis destructionem ac, si corpus crematum fuerit, ad cineres eius aliaque eiusmodi non referatur. Optime quidem scio famosa quoque gesta virtutesque alicuius defuncti persaepe eius in sepulcro describi; nihilominus hoc ideo fit, ut novam quodammodo vitam in posterorum memoria vivat mortuus, scilicet eadem prorsus ratione, qua veteres Romani iuxta frequentiores vias propria extruebant sepulcra eaque magnificenter exornabant.

Hoc verum secluso, quod scilicet in sepulcris exornandis superstites parentes et cognati haud raro superbiendi occasionem quaererent, nequaquam, vel apud Romae ethnicos, negandum est in sepulcrorum sculpturis et picturis defunctorum personas tum quoad vitam terrestrem, tum quoad futuram post funus sortem, summe et praestantissime fuisse perspectas. Numerosa enim illa variaque anaglypta, quae in Romanorum

sarcophagis Bacchicos, Orpheicosve quosdam repraesentationum ordines sive cyclos exhibent, aut ludos circenses, aut larvas Medusaeaque capita, Amoris Psychesque amplexus, anni tempora vicesque diei et alia eiusmodi, funerariam habere significationem, res est apud eruditos exploratissima.[1] Ipsa obscoena Priapi effigies congruebat sepulcris, quippe cui, in quadam inscriptione ab Henzen relata, sepulcri esse credita custodia dicitur: *Custos sepulcri... Deus Priapus ego sum mortis et vitae locus*;[2] immo ipsa ad infanda quaedam mysteria initiatio ad defunctum respiciebat, nam per illam apertum ei putabatur iter ad superos immortale.[3]

(1) Cf. AMPÈRE, *L'histoire romaine à Rome*, t. 4, *Les tombeaux romains*, pp. 138–258. — En, exempli gratia, quid auctor iste habet de quodam sarcophago in Capitolino museo asservato: « Proserpine, tantôt sous la terre, tantôt rendue à la lumière, était donc une personnification de l'alternative du jour et de la nuit, de la fécondité et de la stérilité dans la nature, et elle était aussi l'image de la mort et de la renaissance de l'âme sauvée par les mystères; on l'appelait celle qui sauve, Soteira (GERHARD, *Grâces, Mith.* I, p. 450; PAUSANIAS, III, 13, 2). ... Celui (le sarcophage) du Capitole offre une particularité digne de remarque: Proserpine, dont le visage semble un portrait, celui de la morte du sarcophage, a une vive expression de tristesse et de terreur; le sculpteur, probablement d'après quelqu'un des grands artistes grecs qui avaient traité ce sujet, Praxitèle, Nicias, Nicomaque, a, malgré son inhabileté, fortement exprimé l'effroi de mourir et le regret de la vie sur les traits de celle dont Proserpine figurait l'enlèvement par le dieu de la mort; nouvelle preuve que sur les tombeaux, comme dans les mystères dont ils reproduisaient les *tableaux vivants*, c'était bien de la mort qu'il s'agissait, et pas seulement de la végétation interrompue pendant l'hiver; mais, une consolation était donnée par la seconde partie des mystères de Proserpine; tandis qu'un amour essaye de retenir Proserpine et exprime par là les regrets des vivants, un autre élève au-dessus de Pluton un flambeau qui fait rayonner l'espérance de la vie dans la mort. Une victoire qui tient une couronne semble indiquer la même idée, et une petite figure de femme posant son doigt sur sa bouche avertit qu'on est en présence d'une scène des mystères » (op. cit. pp. 115–116).

(2) HENZEN, *Inscr.* n. 5756 a.

(3) Cf. WALTER AMELUNG, ap. *Atti della pont. Accad. di arch.* 27 genn. 1910. Egregius hic auctor inter Dionysiaca mysteria ac vitae futurae apud veteres Romanos opinionem congruentiam maximam esse ostendit.

Neque ab hac consideratione reliquorum populorum sepulcra sunt excipienda; nam, ut de propinquioribus tantum loquamur, tam Etruscae quam Aegyptiae necropoles quodnam ornamentorum suorum genus et qualem indolem habuerint satis adhuc extantia monumenta revelant, illaque funeraria prorsus fuisse magis constat quam ut demonstrari oporteat. (Tab. 161).

Quamobrem, eadem hac norma et de Christianorum et de profanorum sepulcrorum ornamentis disserendum; ac, sicut mythicis praesertim poetarum fabulis funerarias paganorum imagines quasi afflari deprehenditur, ita coemeteriales nostras adumbrationes praecipue sacrae historiis informari Scripturae haud ambigitur; Scripturae sacrae, inquam, non tam ad Patrum scriptorumque quam ad liturgicarum, ut vidimus, pro morientibus et defunctis orationum sensum praesertim intellectae.

Sed aliud pro comperto habere licet, nempe in coemeterialibus Christianorum picturis revera adesse repraesentationum, ut aiunt, *cyclos*, id est figurarum eiusdem seriei argumenta ita inter se quoad cogitationem esse quandoque connexa, ut unicam eodem in sepulcro haud raro compositionem faciant. Quod quidem iam supra obiter tetigimus quasdam figurarum series proponendo, quarum partes separatim et invicem independenter depictae nullo possint modo intelligi. Praestat nihilominus ulterius hic rem commonstrare; et primum quidem notamus Christianos artifices minime potuisse modum omnino ab ethnicis artificibus diversum in exornandis sepulcris tenere. Atqui, si diversa alicuius parietis spatia sint depingenda, non modo artifex quilibet convenienter naturae loci figuras effinget, verum etiam ita aliquando eas invicem, si res patitur, uniet, ut omnes imagines in unum significandum concurrant. Ad picturas vero nostras quod attinet, dubia res esse nequit; nam praeterquam quod non debemus credere Christianos pictores in suis exarandis operibus symmetrica solummodo lege ductos fuisse, nequaquam illa prorsus communis laus neganda est ipsis, quod scilicet voluerint ac potuerint plura ad unum ordinare sensum.

Etenim, hoc in sepulcris extruendis decorandisque apprime servaverunt Aegyptii, Graeci, Etrusci, Romani; horum vero monumenta cotidie sub oculis Christianorum versabantur, necnon saepe Christianus aliquis pictor iuxta ethnicarum scholarum disciplinam et normas educatus fuerat. Sicut igitur sortem animarum post mortem earumque mutationes ac vices ethnici in sepulcris effingebant, ita Christiani artifices ea quae ad animas defunctorum earumque statum respicerent, in parietibus catacumbarum adumbraverunt.

Unum hic obiici posset, scilicet Christiana symbola depingenda nullam inter se connexionem admittere; sed non multa investigatione ac diuturno studio opus est ut quantum a veritate alienum illud sit deprehendere quis queat. Potius de vera cyclorum interpretatione disputandum esset: nam aliqui intemperantiores in eiusmodi cyclis detegendis videntur, alii vero ipsis explicandis haud documenta adhibent aptiora, alii denique in unica simplicique figura interdum nimia congerunt eique plures significationes, aut subtiliorem sensum nimisque complexum et reconditum tribuunt. Errores isti profecto vitari a studiosis debent; ceterum nemo ignorat quam ardua res sit, post tot oblivionis saecula, symbolicas interpretari repraesentationes. Quum primum I. B. De Rossi, picturas coemeterii S. Callisti cum Pectorii Aberciique epigrammatibus conferens, arcanae piscis figurae sensum magis intime deprehendere potuit, in plausus ubique gentium consurrectum est ei. Postea vero non defuerunt qui ipsius magistri quibusdam picturarum interpretationibus adversarentur, tunc quidem inter Lutherianos Calvinianosque auctores, nuper autem etiam inter catholicos. Talia vero minime evenirent si certa, obvia omnibusque probata picturarum interpretatio esset; non quod proinde omnis interpretatio aeque sibi eamdem probabilitatem vindicet; sed quia, propter praeiudicatas opiniones relligionisque dissidia, haud libenter accipitur pro vero quod proprio iudicio plus minusve adversatur. His adde nova producendi cupidinem, immodicam erga quosdam Lutherianos scriptores aestimationem, quasi vere hac in re catholici posteriorem teneant locum, necnon

quamdam pruriginem (vocabulo parce) nomen *critici* captandi simulque nomen theologi velut aliquatenus nunc probrosum reiiciendi.

Haec studiosi secum ipsi reputent, ac sane intelligent cur in antiquorum Aegyptiorum, Graecorum, Etruscorum, Romanorumque picturis et anaglyptis sepulcralibus interpretandis plerumque eruditi conveniant inter se, dum de imaginibus apud Christianorum prisca sepulcra extantibus, licet eiusdem prorsus sint generis, haud parva exurgit sententiarum discrepantia.

Postremo aliquis fortasse erit, qui, his animadversionibus minime contentus, morose et instanter requirat ut picturarum coemeterialium nostrarum non iam indoles, vel connexio, sed potissime finis ultimus haud ambigue declaretur. Tali quidem flagitationi plane et explorate respondere arduum est. Wilpert enim, qui propriam super hoc argumento docte et eximie protulit sententiam, haud omnes habuit assentientes; et nihilominus nemo sane in picturarum studium intentius ac diutius illo incubuit.

Iuxta Wilpert igitur, imagines in Christianis coemeteriis adhibitae in hunc finem delineabantur, ut mortuorum parentibus, sepulcra visitantibus, ipsae pro defunctis recitandae suggererentur preces, quarum cogitationes ac formulas picturae quodammodo referebant. Sic, primordia Christi ipsius defuncti fidem, quam in Dominum incarnatum revelatumque professus erat, significabant; sic baptismatis et eucharistiae figurae ac symbola haec sacramenta adumbrabant quae ille, ut mercedis aeternae pignora, receperat, quae quidem in precibus Deo quasi commemorabantur ut propitius esset defuncto; sic denique biblicae historiae ac Salvatoris miracula rationem Dei exorandi praebebant, ut sicut servos suos olim a gravibus periculis liberaverat, ita nunc animam defuncti illius fidelis ab omnibus poenis liberaret eamque ad caelestem beatitudinem admitteret.[1]

(1) WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 148 sq. — Cf. passim.

Et quidem, si non leviter sed accurate picturas consideraveris, easque cum documentis contuleris, huic explicationi varias repraesentationum compages, seu *cyclos*, plerumque optime congruere non infitiari poteris. Exempli gratia, ad iam superius illustratas cubiculi A^6 in coemeterio Callisti imagines at-



Tab. 197. Ionae cyclus a dextera ad sinistram progrediens. Pictura cubiculi A^6 in coem. S. Callisti. (Ex WILPERT, *Le pitture*, etc.).

tendatur: ibi cyclus non, ut solet, a sinistra in dexteram, sed inverso modo, a dextera in sinistram procedit, et argumenta sic disposita haec sunt:

1 Moyses rupem percutiens, seu gratiae fons necnon baptismatis figura;

2 Convivium eucharisticum (Tab. 142, p. 184), id est vitae Christianae nutrimentum aeternaeque semen beatitudinis;

3 Ionas deiectus in mare (Tab. 197);

4 Draco Ionam evomens (ib.);

5 Ionas sub pergula quiescens (ib.): tria ista novissimorum hominis velut adumbratio;

6 Lazari resurrectio, obvium futurae resurrectionis nostrae ac immortalitatis signum.

Porro, quod statim eucharistiae adumbratio symbolum sequatur baptismi, ac deinde novissimorum repraesentatio succedat, hunc, inquam, tam egregie et arcte cohaerentem cogitationum processum numquid fortuito exortum esse casu quis dicet? Nonne etiam priscis fidelibus, talia meditari assuetis, necnon aliunde liturgicarum precum formulas in mente habentibus, translucidae, ut ita loquar, istiusmodi imaginum se-

ries evadere debebant et deprecationum quasi ultro subministrare materiam ?

Procul dubio nonnunquam, sive ob artificis festinationem, sive symmetriae aliave caussa factum est, ut series parum ordinatae extiterint; et ideo nonnunquam perdifficile est imaginum ordinem a pictore intellectum deprehendere, quod nempe statim apparet unam aut alteram inspicienti compositionum seriem, in qua ordo, a Moyse inceptus, ad Lazari resurrectionem procedit, licet Noe adsit quasi ultimum locum tenens. Sed, et hic, exceptio aliquatenus regulam confirmat.

Subtile forsan nimis et argutius hoc esse obiicies; et fateor mihimet ipsi primum non ita evidentem Wilpert sententiam visam esse, ut omne dubium e mente mea expelleret; neque sat putavi rem, in suis scriptis, egregium magistrum demonstrasse. Casu autem venit ut, cum mihi quidam Paulini Nolani versus ab egregio P. Bonavenia, quo utor familiariter, legerentur, lux clarior affulgeret. En versus illi: (1)

De Genesi, precor, hunc orandi collige sensum:
Ne maneam terrenus Adam, sed virgine terra
Nascar, et exposito veteri, nova former imago.
Educar tellure mea, generisque mei sim
Degener; et sponsae festinem ad mellea terrae
Flumina, Chaldaei servatus ab igne camini.
Sim facilis tectis, quasi Lot, fore semper aperta,
Liberer ut Sodomis; neque vertam lumina retro,
Ne salis in lapidem vertar, sale cordis egenus.
Hostia viva Deo, tamquam puer offerar Isaac:
Et mea ligna gerens sequar almum sub cruce Patrem.
Inveniam puteos; sed ne, precor, obruat illos
Invidus, et viventis aquae caecator Amalec.
Sim profugus mundi, tamquam benedictus Iacob.
Fratris Edom fugitivus erat; fessoque sacrandum
Supponam capiti lapidem, Christoque quiescam, etc. (1)

Quibus, ut cernitur, Paulinus, qui S. Felicis basilicam picturis exornaverat, veteris ac novi Testamenti argumenta exhiben-

(1) S. Paulin. Nol., v. 607 sqq. *P. L.* LXI, 662.

tibus, Nicetae cuidam, episcopo et amico, sacras aedes visitanti, imaginum ibi extantium significationem exposuit, et quidem has ita interpretando, ut Nicetae, hospiti, Paulini amici memoriam iniicere et pro eo Deum exorandi voluntatem incutere deberent.(1)

Quid plura? Illo carmine aperte satis tandem indicatur

(1) Praestat huc ad rem clarius illustrandam, et licet alibi a nobis iam semel relata fuerint, Wilperti verba adducere, quibus sententiam pluribus ante annis prolatam, denuo in maximo suo opere exposuit: «... Lo scopo delle rappresentazioni sacre delle catacombe non è didattico, come parecchi sostengono, ma, *oggettivamente* considerate, *parenetico*, in quanto che esse contengono una esortazione e una guida a pregare per i defunti deposti nei sepolcri e ricordati nelle iscrizioni; *soggettivamente* considerate, esse esprimono, ora più ora meno ampiamente, il *credo* di colui che le fece dipingere; quanto poi al sepolcro stesso, esse costituiscono una degna decorazione. In un'opera precedente ho cercato di render chiara con un esempio concreto la prima parte della mia asserzione; mi sia permesso di riprodurre qui quel passo: Poniamo che un figlio visiti il sepolcro di sua madre, che trovasi nel cubiculo 54 della catacomba dei santi Pietro e Marcellino. Il suo sguardo cade sulle pitture: nel mezzo della volta egli vede dominare Cristo giudice circondato da Santi, e intorno l'annunziazione di Maria, il battesimo di Cristo, i Magi con la stella e l'offerta dei loro doni, il Buon Pastore e la figura dell'orante; egli vede le tre miracolose guarigioni: del cieco, dell'emorroissa e del paralitico, ed insieme la scena al pozzo di Giacobbe. Le singole pitture gli suscitano le idee relative; i pensieri si traducono in parole, e le parole assumono la forma di preghiera. Questa preghiera poteva essere presso a poco di questo tenore: O Signore Gesù, luce dei defunti, ricordati della mia cara madre. Non permettere che mai le tenebre involgano l'anima sua: essa ha creduto in te; tutta la sua speranza è in te, poichè tu sei il Messia promesso. Tu sei la luce del mondo, il vero Dio, al quale solo spetta onore e adorazione. Per illuminare e redimere noi, che eravamo infedeli, tu assumesti un corpo umano dalla Santa Vergine Maria e ti facesti battezzare nel Giordano. Tu hai ricolmato di benefizi l'umanità, hai ridonato la sanità a storpi e paralitici: ristora anche l'anima di mia madre! Non esserle giudice severo, ma riguarda benignamente i meriti gloriosi dei Santi, che presso il tuo tribunale intercedono per lei. Come hai riportato sulle tue spalle all'ovile la pecorella smarrita, così accogli anche l'anima di lei nella schiera degli eletti e conducila nelle abitazioni della luce eterna. Cara madre, vivi in Dio e prega per me» (WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 148 sq.).

quod ex aliis documentis vix obscure coniicere fas est, videlicet antiquitus e picturis sacris *deprecationis* quasi *sensum* colligere sollemnis et communis moris fuisse. Sicut ergo Paulinus, de templi quod aedificaverat picturis loquens, in semetipsum adhuc viventem amici preces, harum imaginum contemplatione excitandas, vertere est nisus: ita haud dubitandum quin prisci Christiani, qui picturas carorum suorum sepulcris adhibendas curaverunt, quidquid utilitatis et pietatis ex talibus oriri posset in defunctorum illorum animas voluerint refundi.

CAPUT VIII.

Picturae ad aeternam defunctorum sortem haud directe respicientes, et significationis incertae.

ART. I. — **Picturae artes seu officia exhibentes.**

Quemadmodum in epitaphiis ea quae in vita defuncti exercuerant negotia, vel artes, interdum indicantur, ita in catacum-



Tab. 198. Pictura coem. S. Callisti (EX WILPERT, *Le pitture*, etc.).

barum picturis, licet quam rarissime, talium repraesentationes adsunt, quod quidem etiam in ethnicis sepulcris conspicitur, nec solum apud Romanos, sed etiam apud Etruscos, apud

Graecos (1) et Armenos. Eiusmodi tamen effigies in Christianis sepulcris haud ante saeculum quartum effictae sunt.

Inter has notanda sane venit illa quae, apud Thrasonis aut Iordanorum coemeterium, aurigam, in circensibus ludis victorem, dum vehitur curru, necnon coronam palmamque manibus gestat, exhibet. De ea iam sermo fuit in primo huius operis volumine. (2)

In quodam coemeterii Callisti arcosolio, mulieris olera vendentis invenitur figura (Tab. 198).

In coemeterio quod vulgo Ostrianum nuncupant, vinarius quidam negotiator cernitur dum boves ducit, plaustrum dolio onustum trahentes. (3) Huius picturae significatio ex similibus, sed clarioribus eiusmodi repraesentationibus apud ethnica sepulcra colligitur. In Priscillae autem hypogei cubiculo quodam, vinerarii plures ostenduntur, dum doliis transferendis se accingunt.

Quaedam coemeterii Domitillae pictura frumenti venditorem repraesentat, una cum personis tabernae addictis. In medio scilicet sedet tabernarius, cuidam alii porrigens volumen explicatum, cui proinde verba haec iuxta ipsum depicta referri videntur:

SECVNDE SVME (4)

Praeterea adest mensor frumentarius cum virga, necnon servus cum cribro, et alius iuvenis cum statera.

Pictura ista quasdam ethnicas inscriptiones in mentem revocat, quae sequentibus constat formulis.

— ... NEGOTIATRIX FRVMENTARIA ET LEGVMINARIA AB SCALA MEDIANA (5)

— ... MERCATORES FRVMENTARII ET OLEARII AERARII (6)

(1) Cf. HOMERUS, *Od.* XI, 77.

(2) *Not.* etc. pars prima, pp. 166–167. — WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 478 sq. tabb. 145, 2; 146, 1.

(3) WILPERT, *Le pitture* etc. tab. 245, 2.

(4) Cf. WILPERT, ap. *Römische Quartalschrift*, 1887, p. 20–40, tab. I.

(5) *Corp. inscr. Lat.* VI, n. 9683.

(6) *Corp. inscr. Lat.* VI, n. 1620.

Necnon huic consonat cuiusdam Polleclae, *quae hordeum vendebat in via Nova*, epitaphium in coemeterio Domitillae olim quidem inventum, sed hodie deperditum:

POLLECLA QVE ORDEV BENDET DE BIA NOBA (1)

aliudque cuiusdam Constantini *horrearii* a De Rossi in S. Pauli basilica repertum. (2)

In Africa, non longe ab urbe Hadrumeto, hypogeum quoddam paucis abhinc annis detectum est, quod utrum ad ethnicos an ad Christianos pertinuerit ambigendum. Inter picturas, quae internos huius hypogei parietes exornant, negotiatoris figura sive cauponis vinum vendentis apparet, ad quem sequens refertur inscriptio:

OMNES · AMICI · ET · AMATORES · CVM · QVIBVS · SEMPER · BAENE · VIXI ET IS · TATERE ... PONDVS · LIBRE REDI VALETE (3)

Id est, bonam mercem semper et eam iusto pretio amicis suis se vendidisse gloriatur.

Maioris vero momenti picturae illae sunt, quae operariorum collegiorum indicia tradunt; sed etiam istae post seculum tertium solummodo apparent, et sunt rarissimae. In coemeterio Domitillae pistorum, seu potius frumentariorum mercatorum collegium quoddam proprium habuit sepulcrum, in cuius parietibus illorum laboris repraesentatio depicta fuit. Nempe naviculae frumentariae ibi conspiciuntur quae, ductae a caudicariis usque ad fluminis ripam, a saccariis merce exonerantur. Nec desunt annonae ministri ac frumenti praesertim mensor, qui iuxta modium repraesentatus est. Pictura ista, non secus ac plures pistorum inscriptiones, propria huius loci est, propterea quod, coemeteria viarum Ostiensis et Ardeatinae, necnon ea quae in dextro viae Appiae latere iacebant, ad primam ecclesiasticam regionem pertinerent. In hac enim regione, quae

(1) Bosio, *Roma sott.* p. 214.

(2) De Rossi, *Inscr.* t. I, pp. 466, 1026.

(3) Reinach, *Peintures murales* etc. ap. *Bull. arch. du Comité des travaux historiques*, 1892, pp. 456–459, tab. XXIX.

duodecimam ac decimamtertiam regiones civiles comprehendebat, annonaria administratio sedem habebat, necnon ibi aderant *porticus fabaria, vicus frumentarius, horrea Galbiana* ac, iuxta Tiberim, *emporium*, per quod res frumentaria aliaeque merces Urbi afferebantur. Hinc est quod regio ista antonomastice *Horrea* vocata fuerit,[1] Christiani vero pistores qui in ea habitabant in praefatis fuerint coemeteriis sepulti; quod quidem monumenta tum olim tum nostra aetate inventa luculenter confirmant. Pistorum enim inscriptiones plures repertae sunt in coemeterio Callisti, ac *Via* illa *Nova* apud quam *Pollecla* Domitillae in hypogeo sepulta, hordeum vendidisse dicebatur, in duodecima quoque regione sita erat, cum ad Antoninianas, seu Caracallae, duceret thermas.

Iisdem thermis duo capsararii addicti erant, qui in coemeterio Domitillae sepulti sunt; ac nunc, apud S. Sebastiani coemeterium, cuiusdam *catadromarii*, id est aurigae seu cursoris, qui in vicino Maxentiano circo, ut veri simile est, *catadromavit*, epitaphium cernere est.[2] Sed haec proprie nihil ad picturas spectant.

In Pontiani autem coemeterio, pictura quaedam operariorum collegii indicium esse videtur, locique etiam ubi est ipsa rationem reddit. In ea enim, velis instructa amphorisque onusta, navis conspicitur, quae a duobus caudicariis (nudis, ut moris apud piscatores erat) ducitur. Coemeterium autem istud non longe a flumine Tiberi est situm, per quod merces omnigenae in Urbem a mari vehebantur.[3]

Ad eiusmodi quoque collegium referenda dici potest illa

(1) Cf. De Rossi, *Le « horrea » sotto l'Aventino e la « statio annonae urbis Romae »* ap. *Annali dell'Istituto*, 1885; *Roma sott.* t. III, p. 515.

(2) Haec tamen inscriptio merito ab aliquo ethnica putatur, quia minime in catacumbis inventa.

(3) Wilpert, *Le pitture* etc. textus, pp. 489–450, tab. 173, 1: « Questa vicinanza rende probabile che ivi avesse la sua sepoltura una corporazione funeratizia dei barcaiuoli del Tevere (corpus caudicariorum). È però anche possibile che il cubiculo, nel quale l'affresco con la scena della nave occupa un posto così spiccato, fosse la cripta di famiglia di un ricco impresario che esercitava in grande l'industria del trasporto delle merci ».

in coemeterio Priscillae pictura, quae vinarios dolia ferentes repraesentat; necnon item altera illa, haud multum absimilis, quae apud Ostrianum (quod vocant) deprehenditur hypogeum. Aliter quidem elapsae aetatis archaeologi hanc picturam interpretati sunt; hodie vero, post I. B. De Rossi ac Wilpert indagines, nullum circa eius sensum, prout diximus, dubium esse potest.(1)

Sunt denique memorandi fossores, virorum scilicet corpus sive collegium ad hypogea effodienda adhibitum. Eorum imagines in coemeteriis S. Callisti, S. Domitillae, Ss. Petri et Marcellini ad duas lauros inveniuntur. Plerumque binae et binae apparent atque, unam et alteram si excipias, ita rapidis penicilli ictibus delineatae sunt, ut non sane ad alicuius singularis personae similitudinem praebendam, sed potius ac manifeste ad communem generalemque fossorum speciem exprimendam sint effictae.(2)

Fossorum figurae a saeculo secundo apparent, ac diversimode repraesentati sunt, scilicet aut dum ad opus eunt, aut dum labori incumbunt, aut denique aliquid indicantes, seu cum aliquibus aliis figuris quamdam convenientiam quoad significationem habentes. Sic, in cubiculo A^3 coemeterii S. Callisti, fossores duo cernuntur, qui, utpote sacrarum cryptarum custodes profanamque turbam arcere iussi, ad picturas eucharisticas adeundas inducere videntur.(3)

Utcumque sit, eorum apud picturas vestimentum tunica cincta est, caput plerumque nudum aliquando tamen pileo tectum. Praeter instrumenta (asciam, batillum, malleum etc.) lampadem ferunt, et saccum cibariis repletum. Haec omnia si-

(1) WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 450, tab. 202.

(2) WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 477.

(3) WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 477: « Nell'affresco più antico, nella cappella dei Sacramenti A^3, i fossori, riconoscibili al piccone, accennano a tre scene eucaristiche. Con questo l'artista volle affermare anche esteriormente la correlazione delle tre scene: che a tal uopo abbia scelto dei fossori, può trovare la sua ragione in ciò, che essi nella loro qualità di custodi delle catacombe, come più tardi di ostiarii delle basiliche cimiteriali, dovevano aver somma cura che nessun profano prendesse parte alla celebrazione dei sacri misteri ».

mul in quodam titulo etiam cernuntur, apud Ss. Marci et Marcelliani hypogeum invento.

Omnium eiusmodi imaginum ea notissima est quae in S. Domitillae coemeterio, fossorem quemdam Diogenem repraesentat dum ad opus se accingit. At infeliciter, initio saeculi ultimi, cum quidam stulto ac inani conatu picturam auferre voluisset, neque posset, imaginem quasi funditus destructam reliquit. Eius depicta inscriptio, quae integra a Boldetti visa est, ab eodem transcripta nobis est tradita:

DIOGENES · FOSSOR · IN · PACE · DEPOSITVS
OCTABV · KALENDAS · OCTOBRIS

Ad officia proprie dicta, sive ecclesiastica, sive civilia, quod attinet, in antiquis coemeteriorum Christianorum picturis pauca dicenda sunt, quia fere nihil habetur huiusmodi. Ne dicam de monumentis extra Romam extantibus, Romae duo possunt tantummodo referri exempla idem prorsus exhibentia, nempe binae episcoporum imagines apud S. Cornelii sepulcrum delineatae saeculo, ut videtur, sexto. Sunt autem pontifex Syxtus II una cum S. Optato episcopo Vesceritano ac pontifex Cornelius cum S. Cypriano episcopo Carthaginiensi; dispositi velut consulum effigies in diptychis tabulis. (Tab. 199 et 200). Praeter uniuscuiusque nomen, cuius litterae, in linea ad perpendiculum recta, iuxta illius ac posterioris temporis morem, inscriptae deprehenduntur, circa figuras prolixae sunt inscriptiones psalmorum versibus conflatae. Quarum unam ita I. B. De Rossi legit:

EGO AV*tem* *c*ANTABO BIRTVTEM TVAM ET EX*alta*BO MISERICORDIAM TVAM QV*i*A FACTVS *e*S ET *s*V*s*CEPTRO (*sic*) MEVS

At Wilpert, postquam imagines liquore quodam acido lavit, paullo aliter eamdem inscriptionem detexit, nempe:

+ EGO AV*tem* CANTABO BIRTVTEM TVAM ET
EXALTABO MANE MISERICORDIAM TVAM QVIA
FACTVS SET SVSCEPTRO (susceptor) MEVS ET
REF*u*G*ium* MEVM I*n* DI*e* *tribulationis meae* (1)

(1) WILPERT, *Le pitture* etc. textus, p. 46: « L'iscrizione continuava nel fregio sinistro e nell'inferiore, là ove ora veggonsi solo poche lettere. Qua-

I. B. De Rossi talia quidem verba a Leone III, qui Caroli Magni auxilio fretus fuerat, forsitan dictata esse est arbitratus, et ideo nono saeculo addicendas imagines aliquatenus existimavit;[1] Wilpert autem merito saeculo sexto eas adscripsit, tum quia vestes liturgicae hic effectae talem aetatem sapiunt, tum quia saeculi septimi, vel octavi saltem, peregrini has repraesentationes iam viderant.

Etenim, peregrini qui iuxta *Itinerarium* Salisburgense, saeculo septimo, seu tempore circiter Honorii I (625-638) concinnatum, martyrum visitabant sepulcra, Cornelium adhuc in suo subterraneo sepulcro conditum venerabantur, nam in illo *Itinerario* legimus: « Eusebius papa et martyr longe in antro requiescit, Cornelius papa et martyr longe in antro altero quiescit ».[2] Porro, auctor libri *de locis sanctorum martyrum*, quem eiusdem temporis atque auctorem supra dicti *Itinerarii* esse scimus, ideo potuit haec scribere: « Inde haud procul in coemeterio Callisti Cornelius et Cyprianus in ecclesia dormiunt »,[3] quia etiam coemeterium vel quilibet locus ad plures congregandos aptus ecclesia vocabatur, necnon apud Cornelii papae sepulcrum huius pontificis effigies una cum S. Cypriani effigie depicta, quae etiam hodie apparet, conspiciebatur. Picturae autem Ioannis III temporibus delineatae dicendae sunt, nam hic pontifex « coemeteria sanctorum martyrum amasse ac restaurasse » legitur, atque instituisse « ut oblatio et amula vel luminaria in easdem (*sic*) coemeteria per omnes dominicas de Lateranis

lunque fosse il tenore della parte distrutta, *rimane tuttavia certo* che nelle parole superstiti non si fa neppur parola di uno " scettro ". Con ciò cade il fondamento dell' ipotesi che le pitture si riferiscano a Leone III ed a Carlo Magno ».

(1) De Rossi, *Roma sott.* vol. I, p. 299: « E a chi meglio che a Leone III si addice quel cantico? Egli, campato per miracolo dalle mani dei suoi nemici ..., ricondotto a Roma e giustificato dalle calunnie degli avversari per opera di Carlo Magno, potè con le voci del Salmista cantare a Dio e al monarca suscitato da Dio per la sua salute: *Ego autem cantabo...* ».

(2) Syxtus, *Notiones* etc. vol. I pars 1, p. 454.

(3) Syxtus, op. et loc. citt.

ministraretur ».[1] Praeterea Ioannes III, ob turbationes quae Romae, Graecorum caussa, fovebantur, ex Urbe egressus, in coemeterio Praetextati diu commoratus est;[2] quod quidem



Tab. 199. Picturae iuxta S Cornelii papae sepulcrum extantes. (Ex WILPERT, *Le pitture*, etc.).

coemeterium in sinistra viae Appiae et prope hypogea Callistiana, quae in dextera viae sunt, adhuc extat.

Tandem haud fortuito ac sine intentione pontifices Cornelius et Syxtus II, episcopi vero Cyprianus ac Optatus re-

(1) MOMMSEN, *Gesta pont. Rom.* p. 157.

(2) « Tunc sanctissimus papa retinuit se in cymiterio sanctorum Tiburtii et Valeriani et habitavit ibi multum temporis, ut etiam episcopos ibidem consecraret » (MOMMSEN, *Gesta pont. Rom.* p. 158).

praesentati sunt, cum sciamus Syxtum II ipso in coemeterio Callistiano necatum, ceteros autem inter alia etiam extra Urbem aut dioecesim vivere sive detentionis, sive exilii, sive fugae

Tab. 2co. Picturae iuxta S. Cornelii papae sepulcrum extantes. (Ex Wilpert, *Le pitture*, etc.).

caussa esse perpessos; quibus omnibus optime inscriptio e psalmo excerpta congruit.

Aliorum ecclesiasticorum virorum imagines Romae, apud S. Valentini hypogeum, saeculo septimo depictae sunt, atque, licet sint fere penitus destructae, tamen eo agnoscuntur, quod pedes habeant campagis calceatos. Campagi enim proprium ecclesiasticorum calceorum tunc temporis genus erat, iisque etiam praefatae episcoporum imagines calceatae conspiciuntur.

De calceis, sicut de ceteris indumentis sacris, in sequenti libro erit sermo.

Priusquam haec nostra coemeterialium picturarum explanatio, seu interpretatio, finem habeat, restat tantummodo ut, in duplici articulo, de imaginibus, si quae sint, Christi passionem martyrumve cruciatus adumbrantibus, ac denique de una aut altera effigie, cuius significatio haud satis perspecta est, breviter sermonem faciamus.

Art. II. — Christi passionem martyrumque cruciatus picturae adumbrantes.

Inter priscas coemeteriorum picturas, una est solummodo quae ad Christi passionem respicere videatur, et quidem ita obscura et parum cum evangelica narratione congruens, ut de genuina eius significatione doctissimi quidam viri dissenserint, et adhuc dissentiant. Extat scilicet Romae haec imago, apud Praetextati hypogeum, et a Patre Marchi, qui eam invenerat, spinis coronatum Christum adumbrare reputata est; quam opinionem I. B. De Rossi et nuper clarissimus Wilpert sunt amplexi. Iamdudum vero Garrucci hic nihil aliud esse quam Iesu baptisma intelligendum arbitratus erat; et talem interpretationem novissime egregius Marucchi e cineribus quodammodo excitavit, ac Ioannis praecursoris testimonium docuit picturam adumbrare.[1] Hunc iuxta auctorem nequit pictura illa Christi

(1) *N. Bull. di arch. crist.* 1909, pp. 157 e 185. — Praestat ipsa Wilpert verba, huius effigiei significationem explanantis, afferri: « La prima (pittura) nella parete sinistra ci presenta una scena che non ha compagne nell'antica arte cristiana, cioè la *coronazione di spine*. La composizione è molto semplice, ma concepita in istile del tutto classico, e per questo è anche fondamentalmente diversa dalle rappresentazioni posteriori, che riproducono talora questo episodio con un realismo ripugnante. Qui, in rispettosa lontananza, si vedono al lato al Salvatore due soldati, riconoscibili alla clamide ed alla tunica succinta molto in alto. Uno di essi tiene nella destra sollevato un bastone, l'altro ha la destra distesa e con una canna (κάλαμος, arundo) tocca il capo coronato di spine del Cristo, il quale sta in attitudine calma, e, contrariariamente alla narrazione biblica, indossa il pallio, non la clamide purpu-

dolorosam spinarum coronationem repraesentare, et hoc multiplici ratione; nempe quia: 1. Propter cuiusdam arboris depictam figuram res in aprico loco agi fingitur, dum e contra Christus in praetorio spinis est coronatus; 2. arbor adest palustris, quae aquae seu fluminis propria est, et quidem in hoc casu Ior-

Tab. 201.

danis fluminis figura; 3. insidet arbori columba, quae Spiritus sancti est species; 4. Christus viatoria veste, nempe tunica

rea. Ad eccezione di questo particolare, l'artista nell'abbozzare la sua composizione si è tenuto al tenore delle sacre carte, cosicchè a spiegare il significato della scena, possono mettersi a' suoi piedi le parole dell'Evangelista (MARC. XV, 19): "(milites) percutiebant caput eius arundine". Il gruppo, come per es. due volte nella cappella greca, è chiuso da un albero meschino, sul quale posa un uccello che, ad ali stese e testa piegata verso terra, è rivolto a Cristo. Questo modo di dipingere l'uccello fa quasi pensare che esso pure voglia attestare al Salvatore la sua venerazione, ma non è inverosimile che l'artista abbia voluto semplicemente mostrare un uccello che spicca il volo all'ingiù » (WILPERT, *Le pitture*, textus, p. 208).

cum pallio, est indutus; 5. foliis potius quam spinis coronatus videtur; 6. ex duobus viris qui milites dicuntur, alter Ioannem, propter arundinem qua praeditus est, sane repraesentat; alter vero miles esse non potest, nam haud certe baculum, sed volumen fortasse dextera tenet.

Haec, procul dubio, non sunt spernenda; sed illi qui ipsam, de qua agitur, picturam, tum pluribus abhinc annis graphice aut photographica arte repetitam cognoverunt, tum nostra tempestate pluries eam visere potuerunt, haud ea facile ut a Marucchi exponuntur admittent. Etenim arbor, quae adest, revera minime palustris dicenda. Ad ambos autem viros quod attinet, in coemeterialibus picturis ac in sculptilibus, generatim, nonnisi milites ita succincti effinguntur, chlamys videlicet proprium militum vestimentum est, licet ea etiam aliae, perraro tamen, indutae appareant personae. Hodie quidem baculus, quem secundus miles tenet, non ita ut olim clare cernitur, attamen qui bene photographicam repetitionem a Marucchi proditam (1) inspexerit, facile baculum, iuxta prioris militis caput productum, deprehendet; temporis igitur iniuriae tribuendum videtur, si amplius baculus iste integer non appareat. Revera denique imago, quam omnes Christum repraesentare affirmant, coronata est.

Hisce animadversis, alia quoque consideranda veniunt: parum verisimile esse Ioannem Christum arundine, fere super capite Salvatoris posita, indicare. Qui enim indigum se iudicaverat qui Christi calceamenta solveret, curnam nunc tam parum conveniente modo eum ostendit? Nonne a pictore, si de tali argumento cogitasset, alius effingi non debuisset, proprius magisque idoneus, indicandi gestus, idem scilicet quem alibi in picturis coemeterialibus cernimus? Ad quid denique corona? Utique spinae non apparent, sed neque evidenter apparent folia, quae quidem etiamsi lucide paterent, ceteris cum adiunctis concordarent. Non enim hic perfecta quoad rem habetur Christi spinis coronati repraesentatio, sed quaedam solummodo adumbratio. Quomodocumque tamen sit, certis-

(1) *N. Bull. di arch. crist.* 1909, tav. IX.

sime ea quibus coronatus Christus conspicitur ipsius arundinis folia non sunt. Ceteroquin aliquid simile in quodam sarcophago musei Lateranensis conspicitur, in quo Christus, tunica pallioque indutus, volumen sinistra tenens, corona floribus intexta a milite coronatur (Tab. 202). Miles hic tum vestibus, tum vero gestu simillimus militis apud Praetextati hypogei imaginem depicti videtur. Neque obest quod hic galeatus, ille autem nudo sit capite effictus; in eodem enim sarcophago, ad sinistram inspicientis, miles nudo quoque capite, necnon baculo instructus, adstat cum Cyreneo. Denique avem, quae arbori insidet, haud certe Spiritum sanctum repraesentare dixeris, cum minime dici possit columba. Neque arbor necessario locum in aprico indicat, nam et alibi in coemeterialibus picturis apparet, ubi tamen naturae repraesentationis minime conveniret. Itaque sententiam Christi coronati tenendam puto, licet pictoris cogitationem hac expressam effigie haud plene valeam deprehendere. (1)

Utcumque sit, haec pictura, passionem Christi redolens, primae saeculi secundi parti addicenda videtur. Perinde ac vero alibi iam diximus, in catacumbis semel tantum, et sera omnino aetate, saeculo namque septimo, apud S. Valentini hypogeum, Christi cruci affixi depicta imago est.

Apud coemeteria etiam nulla, ante pacem Ecclesiae datam, pictura extitisse videtur, quae martyrum cruciatus aliquatenus exhiberet. Saeculo solummodo quarto, apud quasdam coemeteriales basilicas, eiusmodi repraesentationes, paucae quidem, adhibitae perhibentur. Sic, Romae, in via Tiburtina, iuxta S. Hippolyti sepulcrum, huiusce martyris ab equis, ut fertur, distracti, supplicium fuisse adumbratum Prudentius testatur:

> Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
> Multicolor fucus digerit omne nefas.
> Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
> Effigians tracti membra cruenta viri.

(1) Hac supra re videsis: *Bull. di arch. crist.* 1872, p. 64; Garrucci, *Storia dell'arte cristiana*, vol. II, p. 45 sq.; Pératé, *L'archéologie chrétienne*, ed. 5, 1892, p. 127; Bacci ap. *Römische Quartalschrift*, 1908, p. 165 sq. Sed vide additam appendicem in fine libri.

Rorantes saxorum apices vidi, optime papa,
Purpureasque notas vepribus impositas.
Docta manus virides imitando effingere dumos
Luserat et minio russeolam saniem... (1)

Necnon idem poeta, apud Forum Cornelii, seu Imolam, S. Cassiani, quem graphiis et stilis pueri crudeliter dicuntur lacerasse, martyrium, in pariete basilicae depictum, sibi ab aedituo ostensum esse enarrat:

Fuscis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus...
Aedituus consultus ait: quod prospicis, hospes,
Non est inanis aut anilis fabula:
Historiam pictura refert... (2)

Quarto autem vergente, vel quinto incipiente saeculo, Romae, in monte Caelio, apud subterraneas Ss. Ioannis et Pauli

(1) PRUDENTIUS, *Peristephanon* hymn. XI, *P. L.* LX, 544 sq. – Praestat integram huius martyrii narrationem hic referre, quae Hippolyti, Thesei filii, supplicium, uti a Seneca narratum fuit, sapere videtur:

Cernere erat, ruptis compagibus, ordine nullo
Membra per incertos sparsa iacere situs.
Addiderat caros, gressu, lacrymisque sequentes,
Devia qua fractum semita monstrat iter.
Moerore attoniti, atque oculis rimantibus ibant,
Implebantque sinus visceribus laceris.
Ille caput niveum complectitur, ac reverendam
Canitiem molli confovet in gremio.
Hic humeros, truncasque manus, et brachia et ulnas,
Et genua, et crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulae siccantur arenae,
Nequis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis et in sudibus recalenti aspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.
Nec iam densa sacro quidquam de corpore silva
Obtinet, aut plenis fraudat ab exequiis.
Cumque recensitis constaret partibus ille
Corporis integri qui fuerat numerus:
Nec purgata aliquid deberent avia toto
Ex homine, extersis frondibus et scopulis:
Metando eligitur tumulo locus; Ostia linquunt:
Roma placet, sanctos quae teneat cineres.

Cfr. DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* 1882, p. 72; ALLARD, *Hist. des persécutions*, t. III, p. 336; FICKER, *Studien zur Hippolytfrage*, Leipzig, 1893, pp. 43–64.

(2) PRUDENTIUS, *Pheristephanon* hymn. IX, *P. L.* LX, 433 sq.



Tab. 202.

aedes, tres martyres, Crispum forsitan, Crispinianum ac Benedictam, in eo iam discrimine positos ut mox carnificis gladio decollentur, pictor quidam effinxit. Quam quidem imaginem adhuc in vetere pariete cernere est (Tab. 203).

Aliunde Gregorius Nyssenus († 394) gloriosam S. Theodori necem sepulcro eius adpictam fuisse refert. En eius verba:

« Quod si venerit ad aliquem locum similem huic, ubi hodie noster conventus habetur, ubi memoria iusti sanctaeque



Tab. 203. Martyrium Crispi, Crispiniani et Benedictae. (Ex P. Germano, *La casa Celimontana*, p. 326).

reliquiae sunt: primum quidem earum rerum magnificentia, quas videt, oblectatur, dum aedem, ut templum Dei et magnitudine structurae, et adiecti ornatus decore splendide elaboratum intuetur, ubi et faber in animalium figuram lignum formavit, et latomus ad argenti levitatem crustas lapideas expolivit. Induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortior facta martyris, repugnantia, cruciatus, efferatas et immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeum illum fornacem, beatissimam consummationem athletae, certaminum praesidis Christi humanae formae effigiem, omnia nobis tamquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens, certamina at-

que labores martyris nobis expressit, ac tamquam pratum amoenum et floridum templum exornavit ». (1)

Denique etiam S. Augustinus († 430) quamdam huiusce generis effigiem illis describit verbis: « dulcissima pictura est haec, ubi videtis sanctum Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantium... ». (2)



Tab. 204. Damnatus ad bestias. Fragmentum vasis testacei. (Ex J. B. De Rossi, *Melanges*, p. 245).

Harum picturarum aliarumque forsan deperditarum similitudines quodammodo esse possunt plures martyrum ad supplicia addictorum repraesentationes, quae in vasis, in lampadibus, in annulis aliisque eius modi resculis conspiciuntur. Huius cimeliorum generis plura protulimus in prima primi voluminis parte exempla, eaque non erit inutile huc iterum referre. (Tabb. 203-216).

(1) S. Gregorius Nyssenus, *De S. Theodoro martyre, P. G.* XLVI, 538-539.

(2) S. Augustinus, *Serm.* CCCXVI, 5, *P. L.* XXXVIII, 1434.



Tab. 205.

Tab. 206. Martyrium S. Achillei.
Fragmentum columnae in basilica S. Petronillae inventum.



Tab. 207. Mulier bestiis exposita. Fragmentum vasis musei Turonensis. (Ex *Mém. de la soc. nat. des Antiq. de France*, an. 1892, p. 103).



Tab. 208. Mulier bestiis exposita. Vasis fragmentum. (Ex Dom Cabrol, *Dict. d'archéol. chrét. et de liturg.*, Tab. 90).

Tab. 209. Damnati ad bestias tauro expositi. Fragmentum vasis.



Tab. 210. Damnati ad bestias. Fragmentum cuppae.
(Ex *Sammlung der röm. Denkmäler in Baiern; Abbild.* Tab. III).



Tab. 211. Martyrium S. Laurentii, gemma sculpta. (Ex Lupi, *Dissertazioni e lettere*, p. 192).

Tab. 212. Gemma sculpta. (Ex W. King, *Antique gems*, p. 352).



Tab. 213. Martyrium S. Laurentii. (Saeculi IV numisma).

Tab. 214. Damnati ad metalla, anaglyptum.
(Ex *Revue archeologique*, 1882, t. I).

Tab. 215. Decollatio S. Menae. Anaglyptum eburneum musei Britannici.
(Ex Dom Cabrol, *Dict. d'arch. chret. et de liturg.*, vol. I, col. 426, Tab. 72).

Tab. 216. Quadraginta martyres Samariae. Tabella eburnea. (Ex Bode von Tschudi, *Beschreibung*, Tab. 57, n. 440).

ART. III. — **Incertae significationis picturae.**

Paucissimae aliquae denique sunt picturae, quae prae raritate ac novitate argumenti, necnon prae difficultate eas ad communem interpretationis normam reducendi, vagum nonnisi et incertum, nobis saltem post tot saecula exquirentibus, sensum prodant. Exemplo sint duae, de quibus sequitur sermo, imagines, tabulis 217 et 218 delineatae. Prior Romae, haud procul a S. Callisti coemeterio, in regione videlicet illa, quae Ss. Marci

Tab. 217.

et Marcelliani coemeterium rite nuncupanda videtur, aliquot abhinc annis est reperta. Cernitur vir tunica et pallio indutus, qui scalas ascendere incipit dum vultum retro vertit. Ad eius pedes serpentis instar retorti est effigies, iniuria temporis tamen fere abrasa. Denique, retro, quo vir respicit, clivus cuiusdam montis conspicitur, magnas quasi efferens spicas. Tabula 217 picturam hanc repraesentat ut a Wilpert graphice restituta est; exindeque colligitur bis idem fuisse argumentum repetitum, atque ita delineatum, ut scalae ad Christi in medio fornice imaginem depictam viderentur directae.

Quin talia quadam S. Perpetuae narratione seu visione suggesta et, ut ita dicam, afflata sint, non est ambigendum. Martyr nempe Africana ait: « Video scalam aeream mirae magnitudinis, pertingentem usque ad caelum et angustam, per

quam nonnisi singuli ascendere possent ... et erat sub ipsa scala draco cubans mirae magnitudinis, qui ascendentibus insidias praestabat et exterrebat ne ascenderent. Ascendit autem Saturus prior, ... et pervenit in caput scalae et convertit se et dixit mihi: Perpetua, sustineo te; sed vide ne te mordeat draco ille. Et dixi: Non me nocebit in nomine Iesu Christi. Et de sub ipsa scala, quasi timens me, lente eiecit caput, et ascendi».(1)

De hac pictura, quae quarti profecto saeculi est, ardens inter Wilpert et Marucchi controversia est exorta: praesertim vero eximii illi archaeologi in hoc discordaverunt, ut quorumnam martyrum recolendae memoriae huiuscemodi adumbratio fuerit adhibita dignoscerent. Quoad argumenti interpretationem, plura, cum probabilitate saltem, coniicere licet. Serpentis seu draconis cogitatio semel amplius in sepulcris occurrit: haec autem, dum in S. Perpetuae visione ad martyrium attinet, in sepulcrali monumento potius ad infernalem spectare debet draconem, e cuius faucibus defunctorum animae, Dei omnipotentis auxilio, eripiuntur; immo his liturgiae verbis eam libenter dixerim consonare: « Hic est vir, qui non est derelictus a Deo in die certaminis sui, et ipse conculcavit caput serpentis antiqui. Modo coronatus est quia fideliter vixit in mandatis Domini».(2) Scalae autem vel martyrium, vel vitae aerumnas doloresque apprime significare possunt, quibus, quasi arduis gradibus, ad caelestem beatitudinem Christiani hic sepulti fortiter pervenerunt. (3) Sed quid de spicis cogitandum? Ut dicam quid sentiam eas eucharistiae symbolum libenter

(1) *Passio Ss. Perpetuae et Felicitatis*, ed. FRANCHI, p. 110 sq.

(2) *Off. commune Confessoris non pontificis.*

(3) « La visione della scala », ait hac de re egregius Wilpert, « divenne famosissima; essa ricorre anche in parecchi altri *Atti*; in quei del martire Poliuto si dice che la scala arrivava fino al Salvatore: κλίμακα τὴν ἕως τοῦ Σωτῆρος ἀναβαίνουσαν, come nel nostro caso. Il significato della visione, che qui per la prima volta è rappresentata in pittura, non ha bisogno di lunga spiegazione: la scala simboleggia il martirio, per mezzo del quale i martiri giungono immediatamente alla vita col Cristo; il serpente, il *draco*, rappresenta Satana che colle torture, colle pene cerca di strappare la palma ai martiri » (WILPERT, *N. Bull. di arch. crist.* 1903, p. 48).

putarem, quae et terrestris huius vitae in adversis robur, et supernae mercedis pignus est.[1] Cur vero non tamquam e solo

(1) Haec mihi proprior omninoque obvia videtur spicarum istarum figurae interpretatio; nihilominus Marucchi, qui ad Graecos quosdam martyres picturae interpretationem esse referendam docet, haud ita censet. En, quid egregius archaeologus hanc circa rem in *Nuovo Bullettino di archeologia cristiana* anni 1905 pagina 224 scripsit: « Per ora posso dire soltanto che alcuni indizi favorirebbero tale ipotesi (scilicet quod in cubiculo, ubi picturae illae sunt, martyres Graeci supra dicti conditi fuerint), i quali indizi io vengo studiando e potrò a suo tempo esporre. Intanto accennerò solo che forse in questa ipotesi potrebbe pure spiegarsi la scena simbolica del martire che salisce la scala, e del serpente e delle spighe di grano, la quale scena troverebbe assai bene il commento nella *passio* celeberrima di quei martiri greci e nella epigrafe metrica che vi fa allusione e che era collocata nella cripta stessa dei santi ».

Porro, martyres quos Graecos appellant ibi fuisse conditos nobis minime probatur, eosque alibi potius sepultos reputandos satis iam demonstravimus apud ephemerides *Rivista di scienze storiche*, Saronno, 1909, menss. iunii et augusti; ac *Rivista storico-critica delle scienze teologiche*, Roma, 1910, fasc. II, mens. febr., et amplius ulteriusque praestabimus. Nihilominus de his martyribus epigrammata, saeculo forsan concinnata quarto, hic transcribere haud inutile ducimus. (De Rossi, *Roma sott.* t. III, p. 194):

NATA MARIA SIMVL CARO CVM FRATRE NEONE
GAVDENTES SACRAM PROMERVERE FIDEM
DIVITIAS PROPRIAS CHRISTI PRAECEPTA SECVTI
PAVPERIBVS LARGA DISTRIBVERE MANV
QVORVM PRAECLARIS MONITIS MVLTOQVE LABORE
ACCESSIT SVMMO SANCTA CATERVA DEO
POST ANIMAS CHRISTO TRADENTES SANGVINE FVSO
VT VITAM CAPERENT NON TIMVERE MORI
HORVM VIRTVTES QVEM PASSIO LECTA DOCEBIT
RITE SVIS FAMVLIS DISCE ADESSE DEVM

OLIM SACRILEGAM QVAM MISIT GRAECIA TVRBA
MARTYRII MERITIS NVNC DECORATA NITET
QVAE MEDIO PELAGI VOTVM MISERABILE FECIT
REDDERE FVNEREO VOTA NEFANDA IOVI
YPOLITI SED PRIMA FIDES CAELESTIBVS ARMIS
RESPVIT INSANAM PESTIFERAMQ · LVEM
QVEM MONACHI RITV TENVIT SPELVNCA LATENTEM
CHRISTICOLIS GREGIBVS DVLCE CVBILE PARANS
POST HVNC ADRIAS SACRO MVNDATVR IN AMNE
ET PAVLINA SVO CONSOCIATA VIRO
XIII · K · IVN ·

natae, sed velut consulto in terra fixae videantur, fateor nescire.

Quomodocumque sit, pictura ista aliud nobis praebet draconis sive serpentis, hominis inimici, exemplum, Christique superandi virtute; ex quo nihilominus non est cur in Victoris Schultz declinetur sententiam, iuxta quam piscis figura, sive symbolum Christi, apud evangelistam Matthaeum per oppositionem ad serpentem, symbolum diaboli, institueretur notis illis verbis: ἢ καὶ ἰχθὺν αἰτήσει, μὴ ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; = *aut si piscem petierit, numquid serpentem porrigerit ei?* (1) Pauciora enim sunt exempla, unum scilicet et alterum, quam ut possit talis oppositio admitti, et aliunde, non solum nulla videtur inter Matthaei textum ac symbolum Christi intercedere, verum etiam ipse serpens in Iohanne (2) Christi crucifixi quodammodo fit symbolum, utque tale primaevi Patres interpretati sunt. (3) Itaque eiusmodi oppositionem tum ab Evangelistis, tum a Christianis pictoribus intellectam fuisse parum saltem veri videtur simile.

Neapoli, in S. Ianuarii catacumbis, altera singularis adest imago (Tab. 218). Tres exhibet puellas turrim aedificantes; quae libri *Pastoris*, ab Herma conscripti, visionem quamdam sane in animum revocant. (4) Ut notum est, turris haec, in

(1) MATTH. VII, 10; idem habet LUCA, XI, 11.

(2) « Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis » (IOANN. III, 14).

(3) Unum pro omnibus testimonium sufficiat, verba videlicet S. Ioannis Chrysostomi: « Ne enim, inquit, quis diceret: quomodo possunt in crucifixum credentes salvi fieri, cum se a morte non liberaverit? Veterem in medium adducit historiam. Nam si ad aerei serpentis simulacrum aspicientes Iudaei, morte liberabantur: quanto maiori qui in crucifixum credunt, beneficio fruentur? Illic enim mortem fugerunt Iudaei temporalem, hic sempiternam fideles. Illic ictus serpentum suspensus serpens sanavit, hic incorporei serpentis plagas Iesus cruci affixus curavit. Illic corporeis oculis suspicientes, corporis salutem; hinc incorporeis omnium peccatorum remissionem consecuti sunt. Serpens illic mordebat, et serpens sanabat; hic mors perdidit, et mors salvum fecit ».

(4) HERMAS, *Pastor*, vis. 3.

mediis aquis erigenda, necnon lapidibus quadratis affabreque politis construenda, pro triumphantis, seu caelestis figura accipitur Ecclesiae, a qua nempe deformes scabrique lapides, id est pravi improbique homines, sunt excludendi. Verumtamen, iuxta quosdam interpretes, alteri haec visio non refragatur enodationi: scilicet puellae, vel virgines, quae ibi structorum vices



Tab. 218.

explent, virtutum sub humana specie essent inductiones earum, sine quibus Christianae perfectionis opus, seu turris, aedificari nequit. Utraque cogitatio haud difficulter in defunctorum animas, ut patet, transferri potest, sed quamnam revera coemeterialis imaginis artifex in mente habuerit, nemo est qui prudenter decernere audeat.

Haec Neapolitana pictura ad saeculum secundum a plerisque archaeologis pertinere existimatur.

BIBLIOGRAPHIA

PRAECIPUA DE PICTURIS OPERA TRACTANTIA

1544–1614. Jean l'Heureux (Macarius), *Hagioglypta, sive picturae et sculpturae sacrae antiquiores, praesertim quae Romae reperiuntur*, opus evulgatum a R. Garrucci, an. 1856, Lutetiae Parisiorum.

1570. J. Vermeulen (Molanus), *De picturis et imaginibus sacris*, alias *Historia sacrarum imaginum et picturarum libri IV*, Lovanii, 1570, 1594; Duaci, 1617; Lovanii, 1771.

1634. Ant. Bosio, *Roma sotterranea, opera postuma compita e disposita da Giov. Severano di S. Severino*, Roma.

1651. Paulus Aringhi, *Roma subterranea novissima, in qua post Ant. Bosium, Ioan. Severanum et celebres alios scriptores, antiqua christianorum et praecipue martyrum coemeteria ... VI libris illustrantur* etc., Romae; Coloniae et Parisiis, 1659.

1710. Boldetti, *Osservazioni sopra i cimiteri dei santi Martiri e antichi Cristiani di Roma*, Roma.

1730. Ch. Lamotte, *An essay upon poetry and painting, with relation to of sacred and profane history, with an appendix concerning obscenity in writing and painting*, London.

1730. I. Interian de Ayala, *Pictor christianus eruditus, sive de erroribus qui passim admittuntur circa pingendas, atque effingendas sacras imagines, libri octo cum appendice*, Matriti.

1737. G. Bottari, *Sculture e pitture sagre estratte dai cimiteri di Roma, pubblicate già dagli autori della «Roma sotterranea» ed ora nuovamente date in luce colle spiegazioni*, 3 vol. in–fol., Roma.

1749. Th. Mamachi, *Origines et antiquitates christianae*, 5 vol. in–4°, Romae. Edit. 1844, Romae, 6 vol.

1750. I. B. Passeri, *Thesaurus gemmarum antiquarum astriferarum, interprete I. B. Passeri, cura et studio A. F. Gorii*, 3 vol. in–fol., Florentiae.

1765. J. Mery de la Canorgue, *La théologie des peintres, sculpteurs, graveurs et dessinateurs*, Paris.

1767. J. D. Genér, *Theologia dogmatico-scholastica, sacrae antiquitatis monumentis illustrata*, 6 vol. in-4°, Romae.

1773. I. Allegranza, *De monogrammate Christi D. N. I. C.*, in-4°, Mediolani.

1817. J. Augusti, *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archäologie*, 12 vol. in-8°, Leipzig, 1817-1831.

1818. Fr. Münter, *Symbola veteris Ecclesiae artis operibus expressa*, Altona.

1821. Cailliaud, *Voyage à l'oasis de Thèbes et dans les déserts de la Thébaïde*, Paris.

1823. Séroux d'Agincourt, *Histoire de l'art par les monuments*, 6 vol. in-fol., Paris; editio Italica, Mediolani, 1824-1825; editio Germanica, Berolini, 1840.

1826. Fr. Münter, *Symbola ad interpretationem Evangelii Ioannis, ex marmoribus et numis, maxime graecis*, Hauniae.

1833. J. Letronne, *Matériaux pour l'histoire du Christianisme en Egypte*, Paris.

1834. Raoul Rochette, *Sur l'origine des types imitatifs qui constituent l'art du Christianisme*, Paris.

1835. G. Sanchez, *La Campania sotterranea*, Napoli.

1837. Raoul Rochette, *Tableau des catacombes de Rome*, Paris; *Mémoires sur les antiquités chrétiennes des catacombes* ap. *Mém. de l'Académie des Inscr. et Belles-Lettres*, t. XIII, 1837; editio italica, Mediolani, 1841: *Le catacombe di Roma.*

1839. Bellermann, *Ueber die ältesten christlichen Begräbnisstätten, und besonders die Katakomben zu Neapel mit ihren Wandgemälden*, Hamburg.

1843. Polidori, *Il pesce considerato come simbolo cristiano*, Milano.

1843. W. Grimm, *Die Sage vom Ursprung der Christenbilder*, Berlin.

1843. H. Merz, *Die Entwicklung der christl. Kunst. Deutsche Vierteljahrschrift.*

1845. Guénebault, *Dictionnaire iconographique des monuments chrétiens*, 2 vol. in-4°, Paris.

1845. Selvatico, *Sulla simbolica figurativa ornamentale*, Venezia.

1847. C. Cahier et A. Martin, *Mélanges d'archéologie, d'histoire et de littérature*, 4 vol. in-4°, Paris, 1847-1856.

1847. F. Piper, *Mythologie und Symbolik der christlichen Kunst*, 2 vol., Weimar, 1847-1871.

1848. Crosnier, *Iconographie chrétienne*, Paris.

1848. J. Jacquin et J. Duesberg, *Dictionnaire d'antiquités chrétiennes*, Paris.

1849. C. Cavedoni, *Ragguaglio critico dei monumenti delle arti cristiane primitive nelle metropoli del Cristianesimo disegnati ed illustrati per cura di G. M. D. C. D. G.*, Modena.

1852. R. Garrucci, *Tre sepolcri con pitture ed iscrizioni scoperti in un braccio del cimitero di Pretestato in Roma*, Napoli.

1852. L. PERRET, *Les catacombes de Rome*, 6 vol. in-fol., Paris.

1852. L. TWINING, *Symbols and emblems of early and medieval christian art*, London.

1854. R. GARRUCCI, *Les mystères du sincrétisme phrygien* ap. CAHIER et MARTIN, *Mélang. d'arch.* etc. t. III.

1855. DE ROSSI (G. B.), *De christianis monumentis ἰχθὺν exhibentibus* ap. PITRA, *Spicilegium Solesmense*, t. III, pp. 544–77.

1856. F. VON QUAST et H. OTTE, *Zeitschrift für christliche Archäologie und Kunst*, Leipzig, 1856–1858.

1856. F. PIPER, *Die älteste christliche Bilderkreis* ap. *Deutsche Zeitschrift für christl. Wissenschaft*, Berlin.

1858. R. GARRUCCI, *Vetri ornati di figure in oro trovati nei cimiteri dei cristiani primitivi di Roma*, in-fol., Roma; secunda editio, in-4°, Roma, 1864.

1863. DE ROSSI (G. B.), *Imagines selectae Deiparae Virginis in coemeteriis subterraneis udo depictae*, in-fol., Romae.

1863. DE ROSSI (G. B.), *Bullettino di archeologia cristiana*, 1ª serie, 1863–1869 (editio Gallica, 1867–1869); 2ª serie, 1870–1875 (editio Gallica, 1870–1875); 3ª serie, 1876–1881 (editio Gallica, 1876–1881); 4ª serie, 1882–1889 (editio Gallica, 1882–1883); 5ª serie, 1890–1894.

1863. L. VITET, *Etudes sur l'histoire de l'art*, Paris.

1863. LUTHARDT, *Ueber kirchl. Kunst*, Leipzig; 3ª editio, 1878.

1864. DE ROSSI (G. B.), *La Roma sotterranea cristiana*, t. I, con atlante di XI tavole, in fol., Roma.

1864. J. A. CROWE and CAVALCASELLE, *New history of painting in Italy*, London.

1865. MARTIGNY, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*, Paris; 2ª editio 1877, 3ª editio 1889.

1866. F. BECKER, *Die Darstellung Jesu Christi unter dem Bilde des Fisches*, Breslau.

1867. F. PIPER, *Einleitung in die monumentale Theologie*, Gotha.

1867. DE ROSSI (G. B.), *Roma sotterranea*, t. II, con atlante di LXII e A, B, C, D tavole, in-fol., Roma.

1868. F. X. KRAUS, *Die Kunst bei den alten Christen*, Frankfurt am Main.

1869. G. SP. NORTHCOTE, W. E. BROWNLOW, *Roma sotterranea or som account of the Roman catacombs, especially of the cemetery of San Callisto*, London; 2ª editio, 1878–1879.

1870. MARRIOT, *The testimony of the Catacombs*, London.

1871. AUBER, *Le symbolisme religieux*, 4 vol., Paris.

1872. GRIMOUARD DE SAINT-LAURENT, *Guide de l'art chrét.* 6 vol., Poitiers, 1872–1874.

1873. F. X. KRAUS, *Roma sotterranea. Die römischen Katakomben*, Freiburg; 2ª editio, 1879.

1873. R. Garrucci, *Storia dell'arte cristiana nei primi otto secoli della Chiesa*, 6 vol. in-fol., Prato, 1873–1880; t. I, storia e simbolica; t. II, affreschi delle catacombe; t. III, pitture non cimiteriali; t. IV, mosaici; t. V, sarcofagi; t. VI, sculture, bassorilievi, oggetti vari.

1874. Cl. Lübke, *Die Bilderverehrung und die bild. Darstellungen in den ersten christlichen Jahrhunderte*, Freiburg.

1875. M. A. Von Bethmann Hollweg, *Christenthum und bildl. Kunst*, Bonn.

1876. Smith and Cheetham, *A dictionary of christian antiquities*, 2 vol., London, 1876–1880.

1876. F. Becker, *Die Wand- und Deckengemälde der römischen Katakomben*, Gera.

1877. V. Schultze, *Die Katakomben von San-Gennaro dei Poveri in Neapel*, Jena.

1877. De Rossi (G. B.), *Roma sotterranea*, t. III, con atlante di LII tavole, Roma.

1878. O. Marucchi, *La cripta sepolcrale di S. Valentino nella via Flaminia*, Roma.

1879. Ch. Bayet, *Recherches pour servir à l'histoire de la peinture et de la sculpture chrétiennes en Orient jusqu'à la querelle des Iconoclastes*, Paris.

1879. P. Allard, *L'art païen sous les empereurs chrétiens*, Paris.

1880. V. Schultze, *Archäologische Studien über altchristliche Monumente*, Wien.

1880. A. Hauck, *Die Entstehung der Christustypus in den abendländischen Kunst*, Heidelberg.

1881. Th. Roller, *Les catacombes de Rome*, 2 vol. in-fol., Paris.

1882. F. X. Kraus, *Real-Encyklopädie der christlichen Alterthümer*, 2 vol., Freiburg, 1882–1886.

1882. V. Schultze, *Die Katakomben, die altchristlichen Grabstätten, ihre Geschichte und ihre Monumente*, Leipzig; *Die theologische Ertrag der Katakombenforschung*, Leipzig.

1882. G. Rohault De Fleury, *La Messe. Etudes archéologiques sur ses monuments*, 8 vol. in-4°, Paris, 1882–1888.

1885. L. Lefort, *Etudes sur les monuments primitifs de la peinture chrétienne en Italie*, Paris.

1886. E. Müntz, *Etudes sur l'histoire de la peinture et de l'iconographie chrétiennes*, Paris.

1887. *Römische Quartalschrift für christliche Altertumskunde und für Kirchengeschichte*, 1887–1910.

1888. O. Pohl, *Die altchristliche Fresco- und Mosaik Malerei*, Leipzig.

1888. Wilhelm Bode, Hugo von Tschudi, *Königl. Museen zu Berlin. Beschreibung der Bildwerke der christl. Epoche*, Leipzig.

1889. J. Wilpert, *Prinzipienfragen der christl. Archäologie*, Freiburg; supplem. 1890.

1889. V. Schultze, *Die altchristlichen Bildwerke und die wissenschaftliche Forschung*, Leipzig.

1890. Barbier (de Montault), *Traité d'iconographie chrétienne*, 2 vol., Paris.

1890. I. Bilczewskiego, *Archeologia chrześcianska a vobec Historyi kosciola i dogmatu Z osmioma illustracyami w tekscie i dwiema tablicami*, Krakow.

1891. J. Wilpert, *Ein Cyklus christologischer Gemälde aus der Katak. der heiligen Petrus und Marcellinus*, Freiburg.

1891. J. Wilpert, *Die Katakombengemälde und ihre alten Copien*, Freiburg.

1892. J. Wilpert, *Die gottgeweihten Jungfrauen in den ersten Jahrhunderte der Kirche*, Freiburg.

1892. J. Wilpert, *Prinzipienfragen der christlichen Archäologie*, Freiburg.

1892. A. Peraté, *L'archéologie chrétienne*, Paris.

1892. Schaffer, *Das Phönix-Sinnbild als Baum und Vögel*, Regensburg.

1893. S. Gsell, *Recherches archéologiques en Algérie*, Paris.

1893. A. Riegl, *Stilfragen Grundlegungen zu einer Geschichte der Ornamente*, Berlin.

1893. A. Heussner, *Die altchristl. Orpheus Darstellungen*, Cassel.

1894. P. Germano, *La casa celimontana dei santi martiri Giovanni e Paolo*, Roma.

1894. A. Breymann, *Adam und Eva in der Kunst des christlichen Alterthums*, Wolfenbüttel.

1894. R. Forrer, G. Müller, *Kreuz- und Kreuzigung Christi in ihrer Kunstentwicklung*, Strassburg.

1895. *Nuovo Bullettino di archeol. crist. ufficiale per i resoconti della Commissione di archeol. sacra sugli scavi e sulle scoperte nelle catacombe romane*, 1895–1910.

1895. J. Wilpert, *Fractio panis, die älteste Darstellung des eucharistischen Opfers*, Freiburg; editio Gallica, Paris, 1896.

1895. Cutts and Lewes, *History of early christian art*, New-York.

1895. V. Schultze, *Archäologie der altchristlichen Kunst*, München.

1895. E. Maass, *Orpheus. Untersuchungen zur griech.-röm.-altchristl. Jenseitsdichtung und Religion*, München.

1897. J. Fürer, *Forschungen zur Sicilia sotterranea*, München.

1897. J. Wilpert, *Die Malereien in der Sakramentskapelle in der Katak. d. heil. Callistus*, Freiburg.

1898. Haseloff, *Codex purpureus Rossanensis*, Berlin.

1899. J. Wilpert, *Un capitolo di storia del vestiario*, Roma.

1900. O. Marucchi, *Eléments d'archéologie chrétienne*, I, *Notions générales*, Rome.

1900. *Oriens christianus*; *römische Halbjahshefte für die Kunde des christlichen Orients*, Rom.

1900. *Στρωμάτιον ἀρχαιολογικόν. Mittheilungen, dem zweiten internationalen Kongress für christl. Archäolog. zu Rom gewidmet vom Kollegium des deutschen Campo Santo*, Roma.

1901. S. GSELL, *Les monuments antiques de l'Algérie*, 2 vol., Paris.

1901. W. DE BOCK, *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Egypte chrétien*, atlas oblong, Saint-Pétersbourg.

1901. W. LOWRIES, *Christian art and archaeologie*, London.

1901. J. STRZYGOWSKI, *Orient oder Rom*, Leipzig.

1901. FR. WICKHOFF, *Roman art*, London.

1901. A. VENTURI, *Storia dell'arte italiana*, Milano.

1902. A. GAYET, *L'art copt*, Paris.

1902. *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie*, publié par le R. P. dom Cabrol, avec le concours de nombreux collaborateurs, Paris, 1902-1910.

1902. C. M. KAUFMAN, *Ein altchristliches Pompeij in der libyschen Wüste. Die Nekropolis der « grossen Oase »*, Mainz.

1902. J. CLÉDAT, *Recherches sur le Kôm de Baouît* ap. *Comptes-rendus de l'Acad. des inscriptions.*

1903. J. WILPERT, *Die Malereien der Katakomben Roms*, 2 vol. in-fol., Freiburg; editio Italica, Roma.

1903. A. GHIGNONI, *Il pensiero cristiano nell'arte* (sec. I-IV), Roma.

1904. E. BERTAUX, *L'art dans l'Italie méridionale*, Paris.

1904. L. BRÉHIER, *La querelle des images*, Paris.

1904. P. TOESCA, *Reliquie d'arte della badia di S. Vincenzo al Volturno* excerptum ex *Bullettino dell'Istituto storico italiano*, n. 25, Roma.

1904. ANT. MUÑOZ, *Iconografia della Madonna. Studio delle rappresentazioni della Vergine sui monumenti artistici d'Oriente e d'Occidente*, Firenze (Alfani e Venturi, editori).

1905. A. MICHEL, *Histoire de l'art depuis les premiers temps chrétiens jusqu'à nos jours*, t. I, Paris.

1905. C. M. KAUFMANN, *Handbuch der christlichen Archäologie*, Paderborn; editio italica, Roma, 1908.

1905. B. MAGNI, *Storia dell'arte italiana dalle origini al secolo* XX, 2ª editio, Roma.

1906. ANT. MUÑOZ, *L'art byzantin à l'exposition de Grottaferrata*, Rome.

1906. W. LOWRIE, *Monuments of the early Church. A handbook of Christian Archaeology*, New-York, Macmillan Company.

1906. L. VON SYBEL, *Die klassische Archäologie und die altchristl. Kunst*, Rektoratsrede, Marbg, 196.

1906. J. CLÉDAT, *Le monastère et la nécropole de Baouît*, Caire.

1906. L. VON SYBEL, *Christliche Antiche. Einführg in die altchristl. Kunst*, Marbg.

1906. Waszklewiez–van Schifgaarde, *Het dogma der heilige Eucharistie in die romeinsche Catacomben* etc., Amsterdam.

1906. G. Wilpert, *Le pitture dell'oratorio di S. Silvia* ap. *Mélanges d'arch. et d'hist.* fasc. III–IV.

1906. G. Wilpert, *Le pitture della basilica primitiva di S. Clemente* ap. *Mélanges d'arch. et d'hist.* fasc. III–IV.

1906. L. Zeller, *Die heiligen Zahlen und die Symbolik der Katakomben*, Berlin.

1906. M. C. Catalano, *L'arte cristiana primitiva*, 2 vol., Napoli.

1907. Ἐ. Μ. Ἀντωνιάδες, *Περὶ τῶν ἀχειροποιήτων τῆς Ἁγ. Σοφίας εἰκόνων* ap. *Byzant. Zeitschr.* I Heft, n. 2, s. 287.

1907. A. Bertini–Calosso, *Gli affreschi della Grotta del Salvatore presso Vallerano*, Roma.

1907. J. Wilpert, *L'Acherotipa, ossia l'immagine del Salvatore nella Cappella del « Sancta Sanctorum »* ap. *L'Arte*, pp. 161–177, 247–262.

1907. Haus von der Gabelentz, *Die kirchliche Kunst in Italienischen Mittelalter* (Ihre Beziehungen zu Kultur und Glaubenslehre), Strassburg, Heitz–Mündel.

1907. J. Fuhrer und V. Schultze, *Die altchristlichen Grabstätten Siziliens*, Berlin.

1907. A. Melani, *Manuale d'arte antica e moderna*, Milano, Hoepli.

1907. H. Koch, *Virgines Christi, Die Gelübde der gottgeweihten Jungfrauen in den ersten drei Jahrhunderten*, Leipzig, Hinrichs.

1907. A. Muñoz, *Il codice purpureo di Rossano e il frammento Sinopense*, Roma.

1907. J. Braun, *Die liturgische Gewandung in Occident und Orient nach Ursprung und Entwicklung, Verwendung und Symbolik*, Freiburg.

1907. W. De Gruneisen, *Studi iconografici comparativi sulle pitture medievali romane. Il cielo nella concezione religiosa ed artistica dell'alto medio evo* ap. *Archivio della R. Soc. di Storia patria*, vol. XXIX, pp. 443–525.

1907. N. de Likhatscheff, *Materiali per la storia della iconografia russa* (russo), 2 vol., Pietroburgo.

1907. L. Testi e N. Rodolico, *Le arti figurative nella storia d'Italia. Il Medio Evo*, con 572 illustr., Firenze.

1908. Burus, *The Christ Face in art*, London.

1908. M. Tabor, *The Saints in art*, London.

1908. H. Grisar, *Die römische Kapelle « Sancta Sanctorum » und ihr Schatz*, Freiburg.

1908. F. X. Kraus, *Geschichte der christl. Kunst*, II B. 2 abteil. bearb. v. I. Sauer, Freiburg.

1908. L. Ferretti, *Manuale di storia delle arti belle in Italia*, Roma.

1909. O. Marucchi, *Roma sotterranea cristiana* (nuova serie), t. I, *Monumenti del cimitero di Domitilla sulla via Ardeatina*, fasc. I, con atlante di 25 tavole, Roma, libr. Spithöver.
1909. M. Besnier, *Les catacombes de Rome*, Paris.
1910. G. Wilpert, *Sancta Maria Antiqua* excerptum ex *L'Arte*, an. XIII, fasc. I, Roma.

CIRCA ABERCII EPIGRAMMA BIBLIOGRAPHIA

1855. I. B. Pitra, *Spicilegium Solesmense*, t. III, p. 533; t. IV, p. 483, Paris.
1856. R. Garrucci ap. *Civiltà Cattolica*, t. I, p. 685 sq.; t. II, p. 83 sq.
1856. R. Garrucci ap. *Mélanges d'épigraphie ancienne*, Paris, pp. 1–31.
1866. G. Becker, *Die Darstellung Jesu Christi unter dem Bilde des Fisches*, München.
1882. W. Ramsay, *The tale of saint Abercius* ap. *Journal of hellenic studies*, fasc. octobris, London.
1882. L. Duchesne ap. *Bulletin critique*, t. III, p. 135 sq., Paris.
1883. L. Duchesne, *Abercius évêque d'Hiéropolis* ap. *Revue des questions historiques*, t. XXXIV, pp. 5–33, Paris.
1883. A. Manoury, *L'épitaphe de saint Abercius* ap. *Annales de philosophie chrétienne*, t. VIII, pp. 437-446, Paris.
1883. W. Ramsay, *The cities and bishoprics of Phrygia* ap. *Journal of hellenic studies*, pp. 424 sq.
1884. I. B. Pitra, *Analecta sacra Spicilegio Solesmensi parata*, t. II, p. xxvi sq.; p. 162 sq.
1888. De Rossi (I. B.), *Inscriptiones christianae urbis Romae septimo saeculo antiquiores*, t. II, par. I, prooem. p. xii sq. Romae.
1889. P. Allard ap. *Science catholique*, p. 362 sq., Paris.
1890. H. Thurston, *Tomb of saint Abercius* ap. *The Month*, pp. 38–56; et *The story of saint Abercius: a Byzantine forgery?*, pp. 339–359.
1890. P. Batiffol et Bareille ap. *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Abercius*, t. I, col. 57.
1893. A. Harnack, *Geschichte der altchristlichen Literatur bis Eusebius*, t. I, fasc. 1, p. 259, Leipzig.
1893. O. Marucchi, *La regina delle iscrizioni cristiane venutaci dall'Asia* ap. *Nuova Antologia*, Firenze, 15 marzo 1893.
1894. G. Ficker, *Die heidenische Character der Abercius-Inschrift* ap. *Sitzungsberichte der königlich-preussischen Akademie der Wissenschaften zu Berlin*, p. 87 sq.
1894. L. Duchesne ap. *Bulletin critique*, t. XV, p. 177.
1894. De Rossi (G. B.) ap. *Bullettino di arch. crist.* p. 69 sq.

1894. V. Schultze ap. *Theologische Literaturblatt*, nn. 18–19.
1894. Robert ap. *Hermes*, p. 421 sq., Berlin.
1895. A. Harnack, *Zur Abercius-inschrift* ap. *Texte un Untersuchungen*, t. XII, fasc. 4, pp. 3–28, Leipzig.
1895. L. Duchesne, *L'épitaphe d'Abercius* ap. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, t. XV, p. 155 sq.
1895. O. Marucchi, *Nuove osservazioni sulla iscrizione di Abercio* ap. *Nuovo Bullettino di archeologia cristiana*, p. 17 sq.
1895. Ch. Zahn, *Eine altchristliche Grabinschrift und ihr jüngstes Auslegen* ap. *Neue kirchliche Zeitschrift*, pp. 863–886.
1896. Th. Wehofer, *Philologische Bemerkungen zur Abercius-inschrift* ap. *Römische Quartalschrift*, 1896, t. X, pp. 16–84.
1896. L. M. Hartmann, *Abercius und Cyriacus* ap. *Serta harteliana*, p. 142 sq., Vien.
1896. Th. Wehofer, *Eine neue Aberkioshypothese* ap. *Römische Quartalschrift*, t. X, pp. 351–578.
1896. J. Wilpert, *Fractio panis*, in-fol. pp. 96–112, Freiburg in B.
1896. A. Dieterich, *Die Grabschrift des Aberkios*.
1897. Fr. Cumont, *L'inscription d'Abercius et son dernier exégète* ap. *Revue de l'instruction publique en Belgique*, p. 89 sq., Bruxelles.
1897. C. M. Kaufmann, *Die Legende der Aberkiosstele im Lichte urchristlicher Eschatologie* ap. *Der Katholik*, p. 245 sq., Mainz.
1897. L. de Grandmaison ap. *Etudes* publiées par les Pères de la Compagnie de Jésus, t. LXXI, pp. 433–461, Paris.
1902. D. Cabrol et D. Leclercq, *Monumenta Ecclesiae liturgica*, in-4°, t. I, p. 4 sq. n. 2787, Paris.
1903. H. Leclercq ap. *Dictionnaire d'archéol. chrétienne et de liturgie*, art. *Abercius*, t. I.
1907. A. Rocchi, *L'epitaffio d'Abercio. Nuovi studi*, Roma.

TABULARUM EXTRA TEXTUM

BREVIS EXPLANATIO

TABULA I:

1. — Christi effigies, Romae, in coemeterio appellato *della Nunziatella* extans et ad secundam saeculi tertii partem pertinens. Antiquior hac nullibi Christi effigies invenitur, atque, sicut supra animadvertimus, quae omnium antiquissima dicebatur, neque in coemeterio S. Callisti apparebat, et ad saeculum forsan quartum spectabat (cf. WILPERT, *Le pitture*, Tavole, tabb. 75 et 76, 2).

2. — Christi effigies ad initium saeculi quarti pertinens, extans Romae, in coemeterio Domitillae (cf. WILPERT, *Le pitture*, Tavole, tabb. 76, 1, et 124).

3. — Christi effigies prima saeculi quarti parte depicta in coemeterio Domitillae (cf. WILPERT, *Le pitture*, Tavole, tab. 148).

4. — Christi effigies quarti exeuntis vel quinti ineuntis saeculi, Romae, in coemeterio Ss. Petri et Marcellini extans. Pulcherrima haec imago typum Salvatoris praebet, qualis post Byzantinum pingendi modum invaluit, licet effigies nostra hoc stilo sit anterior; sed unicum manet illius temporis exemplum (cf. WILPERT, *Le pitture* etc. Tavole, tabb. 252 et 253).

5. — Christi effigies, Romae, apud coemeterium Generosae extans et ad primam saeculi sexti pertinens partem. Nimbus quo caput circumdatum est iam crucem fert, ut a ceteris personis, apostolorum scilicet ac sanctorum, nimbis quoque munitis distingueretur (cf. WILPERT, *Le pitture* etc. Tavole, tab. 262).

6. — Christi effigies, Romae, apud Pontiani coemeterium extans, saeculo sexto vel septimo depicta. In ea typus prorsus Byzantinus habetur, ac valde effigiei illius est similis quae iuxta S. Caeciliae sepulcrum apparet, nisi quod in illa Salvatoris nimbus crucem fert non simplicem, sed gemmatam (cf. supra, tab. 182 et WILPERT, *Le pitture* etc. Tavole, tabb. 157 et 159, 2).

Tabula II: Pictura bis piscem repraesentans iuxta sportam panibus repletam cui calix vitreus vino rubescens additus est. Extat in hypogeo quod, ut traditur, S. Lucinae vocatur, et ad initium saeculi secundi pertinet. Est omnium eloquentissimum necnon antiquissimum eucharistiae symbolum, de cuius plena significatione vide supra, p. 169 sq.

Tabula III:

1. — Pictura convivium repraesentans in quo quinque panes duoque pisces appositi sunt. In dextro cornu, praeses panem cruciferum frangit, habens vas ansatum ante se. Ad convivii latera septem sunt sportae panibus repletae, tres hic, quattuor illic. Pictura ista, propter allusionem ad panum et piscium multiplicationem, mensam eucharisticam adumbrat et ad primam saeculi secundi partem pertinet. De ea fuse loquimur supra, p. 170 sqq.

2. — In hac pictura cyclus sive series argumentorum cernitur inter se coordinatorum, scilicet a rupe quae a Moise percussa aquam manat, ad animas orantium instar adumbratas proceditur, id est a gratiae fonte in quo homo beatitudinis aeternae fit haeres, ad ipsum caeleste gaudium obtentum. Inter haec unius cogitationis (si ita fas est loqui) quasi extrema, eucharistiae ac fidei in Christum incarnatum symbola sunt. Quinam vero sit cum ceteris eiusdem parietis picturis quae in tabula nostra non apparent, ordo successionis dicere non audeo. Pictura integra apud Wilpert habetur (*Le pitture* etc. Tavole, tab. 212), pertinet ad medium saeculum quartum, et invenitur apud hypogea sub vinea *Massimo* effossa.

Tabula IV: Fragmenta cippi Abercii in museo Lateranensi asservata (cf. supra, p. 167 sqq. tab. 145).

Tabula V: Fragmenta inscriptionis Pectorii, in museo Augustodunensi asservata.

1

2

3

4

5

6

1

2

1



APPENDIX

Iam integer paratus erat liber, cui pro appendice brevem de vestimentis sacris addendam tractationem putaveram, quum mihi in mentem venit pergratum me studiosis facturum si, hac de sacris indumentis dissertatione omissa, summatim disputationem referrem quae die XVII huius mensis martii a. MCMX circa sensum picturae tabula 201 adumbratae habita est.

Cogitatum hoc eo vel magis me movebat, quod tandem, quinquaginta circiter post annis a quo pictura tam insignis fuerat reperta, a viris peritissimis res erat eo modo tractanda quo numquam antea fuerat, adhibitis insuper imaginibus arte photographica quam accuratissime expressis. Etenim, de tali agebatur argumento, quod nullibi in picturis primorum saeculorum invenitur, immo quod ab ipsis musivis operibus prorsus alienum est. Unica igitur haec vetustissimaque Christi dolores ac opprobria pictura commemorans digna mihi plane visa est, ut largius eius significatio explicaretur, atque huc praecipua elucubrationum a doctissimis viris peractarum breviter adducerentur puncta. Neque tamen utile putavi novas imaginum imitationes photographicas referre, quum istae semel amplius Wilpertinam imaginem quae tabula nostra 201 reproducitur adamussim repetitam fuisse illae sane ostenderint.

Primus hac de re in Pontificiae Archaelogiae Christianae Academiae coetu locuturus professor Attilius Profumo erat, vir antiquae artis tum profanae tum Christianae peritissimus. Eius vero tractationis haec est summa: (1)

(1) Folium Academiae nuncium hunc dissertationis titulum praebebat: *Del problema storico che presenta il cubicolo di Urania d'Erode (detto anche della incoronazione di spine) nel cimitero di Pretestato.*

Cum sit ars veluti quaedam populorum cogitationum passionumque pulchra nobilisque expressio, rebus vel scriptis tradita, quidquid ad eam pertinuerit populorum ipsorum indolis erit significatio; quapropter ars tempora sapiet sua, eiusque opera ipsius temporis moribus et scriptis erunt explicanda.

Inter primum alterumque saeculum Christiani aevi, dum Romanorum anaglyptica ars florebat, Christianorum etiam ars coemeterialis haud parum est progressa; nec solum propria argumenta exhibuit, verum quadam etiam propria sub forma ea repraesentavit. Etenim, in Flaviorum hypogeo, ad primum certe saeculum pertinente, Noe quidem apparet, sed orans, necnon bonus Pastor ovem humeris portans, gregemque pascens. Ditiora deinde argumenta in picturis primae secundi saeculi partis conspiciuntur, praesertim in illo coemeterii Priscillae cubiculo, quod *Cappella Greca* Itali appellant, ac in coemeterii Praetextati quodam cubiculo cui a Christi passione vulgo est inditum nomen (*la critta della Passione*).

Dissertatio de picturis huius Passionis cubiculi est habenda quae, sicut plerumque ceterae, in Christianorum hypogeis, sine praevia delineatione ductae fuerunt, quarum stilus maxime sobrius apparet; pictor, contra, eximium sane artificem se prodit. Harum vero imaginum complexio ita erat disposita, ut plura argumenta unius essent cogitationis veluti partes, ac simul in unicum convenirent sensum. Praeterea, parietes ita illiti erant, ut imagines prope essent adspiciendae, hodie autem cum solum multo demissius sit quam prius extiterit, haud satis potest earum significatio percipi.

Hisce praemissis missis, egregius orator ad ipsam artificis cogitationem inquirendam pergit, canone, quem dissertationis initio posuerat, adhibito. Primum quidem notandum, artifices tunc temporis valde symbolicis argumentis afflatos fuisse, cuius rei nedum picturae, etiam sculptilia et numismata luculentissima sunt indicia, eoque in allegoricis adumbrandis rebus artifices pervenerunt, ut si, propter spatii angustias, aliquid esset ab aliqua eliminandum compositione, persona potius quam symbolum supprimeretur. Itaque nihil in Christianis quae

considerandae nobis sunt picturis secundarium, aut simplex ad symmetricam legem servandam adiunctum erit reputandum.

Inter imaginum vero argumenta, unum saltem ex Evangelio Ioannis excerptum est, nempe Christi cum muliere Samaritana colloquium; haec autem ac Lazari resurrectio, ut ita in communibus hypogeis adumbrarentur, (1) nota omnino apud plebem esse debebant; unde concinne egregius orator animadvertit, picturas eiusmodi antiquitatem S. Ioannis Evangelii, iuxta ecclesiasticam traditionem confirmare, quod quidem quum maximi sit momenti, tum vero minime in libris de archaeologia Christiana tractanctibus, qui potissimum studiosorum manibus teruntur, hucusque animadversum est. (2)

Porro, quid de imaginum significatione dicendum? Orator putat illam picturam primam esse considerandam, quae mulierem profluvio sanguinis laborantem atque Salvatoris vestimenti fimbrias tangentem repraesentat. Eam, ut notum est, Gnostici, Valentiniani praesertim, cum Sophia (duodecimo *Aeone*) cuius illa typus fuisset, contulerunt. At S. Irenaeus quam stulta eiusmodi sententia et comparatio essent pulchre demonstravit in suis adversus haereses libris. (3)

(1) Lazari resurrectio in coemeterio Priscillae saeculo ineunte secundo depicta fuit, cuius repetitionem habes in tab. 90, p. 55.

(2) Nobis tamen erat de hoc in proximo libro loquendi locus statutus.

(3) Inter alia quae S. Irenaeus affert argumenta hoc potissimum nobis videtur, nempe si duodecim anni, quibus mulier sanguinis fluxu laboravit, duodecim Valentinianorum Aeonum figurae fuissent, typica ista praefiguratio incondita omnino evaderet, nam duodecimus tantum Aeon, scilicet Sophia, passus est, ceteri vero impassibiles praedicantur. Quam ob rem anni passionis undecim cum undecim impassibilibus Aeonibus conferrentur quod absurdum est. Sed integrum hac de re S. Irenaei textum referendum putamus:

« *Mulierem profluvio sanguinis laborantem perturbati Aeonis typum non esse.* — Sed et de illa muliere, quae profluvio sanguinis laborans, tetigit fimbriam vestimenti Domini, et sanata est, aperta est eorum ignorantia: (dicunt enim per eam ostendi passam illam duodecimam virtutem, et in infinitum defluxam, id est duodecimum Aeonem) primum quidem, quia, secundum sectam eorum duodecimus non est iste Aeon, sicut ostendimus. Ut autem ex superfluo eis et hoc detur, duodecim Aeonibus existentibus,

Verum ista, aliaque a supparibus illi aetati auctoribus circa idem argumentum, necnon circa Lazari resurrectionem contra Gnosticos allata, etiam Passionis cubiculi picturas contra eorumdem haereticorum doctrinam elaboratas fuisse innuere videntur. Gnostici enim vel resurrectionem carnis negabant, Lazari vero cogitatio resurrectionis symbolum erat Christianis. Praeterea, mulieris Samaritanae picturam illustrans, egregius orator inprimis notat hydriam deesse, puteum leviter esse delineatum, mulierem denique cuppam semisphaericam prae manibus habere, perinde ac si aquam bibendam Christo revera vellet porrigere. Quod vero maxime interest, Christus ibi adstat erectus, chlamyde indutus coccinea. Porro, indumentum eiusmodi saltem ad medium usque saeculum tertium proprium imperatorum Romanorum vestimentum fuit, et si quis illud forte vestiendi facultatem ab imperatore impetrasset, aut dono recepisset, hoc summus honor habebatur. Igitur, dum in Lazari resurrectione ac mulieris infirmae sanatione Christus Messias praedicatur promissus qui miraculis suam confirmat divinam legationem, necnon vitae ac resurrectionis auctor declaratur: in mulieris Samaritanae adumbratione Christus homo proclamatur quatenus ei sitienti aquam mulier porrigit cuppa, Deus autem propter imperatorium indumentum.[1]

undecim quidem impassibiles perseverasse dicuntur duodecimus autem passus; mulier autem e contrario duodecimo anno sanata, manifestum est quoniam undecim quidem annis habuit perseverantem passionem, duodecimo autem sanata est. Si quidem undecim Aeones in passione insanabili fuisse dicerentur, sanatus autem duodecimus, suasorium erat dicere typum eorum esse mulierem. Quia autem haec undecim quidem annis passa est, et non est sanata, duodecimo autem anno sanata est; quomodo potest esse typus duodecimi Aeonis, ex quibus undecim omnino nihil passi sunt, solus autem duodecimus participatus est passionem? Typus enim et imago secundum materiam et secundum substantiam aliquoties a veritate diversus est: secundum autem habitum et lineamentum, debet servare similitudinem, et similiter ostendere per praesentia illa quae non sunt praesentia » (S. Irenaeus, *Contra haereses*, lib. II, c. xxiii; Migne, *P. G.* VII, 786).

(1) De chlamyde coccinea haec habet Wilpert: « Appartenendo la clamide al vestiario militare, si spiega perchè il Salvatore, quando fu

Iam ad picturam veniamus ad quam illustrandam omnia quae praecedunt tamquam apparatus adducta sunt interpretationisque viam sternunt.

Nihil, ut diximus, secundarium ac fere inutile adiunctum in hac pictura (tab. 201) haberi potest, proindeque arundo, arbor, avis et corona suam habebunt propriam significationem. Arundo, ait orator, sive in terra defixa, sive manu agitata aut quomodocumque aliter efficta sit, semper aquam indicat, flumen videlicet, torrentem vel saltem rivum, cuius rei exempla in romana proferuntur arte.

Iam quisnam coronatus vir esse potest? Si Tertulliano credimus, Christianum coronari minime decebat, qua de re integrum librum scripserat data occasione cuiusdam militis qui noluit ad largitionem accedere, sicut ceteri eius contubernales,

esposto allo scherno dei soldati, fu vestito di una " chlamys coccinea "; ciò avvenne perchè essa era il mantello usato dai soldati. Tutti e quattro gli Evangelisti narrano i particolari di questa scena; tre, Matteo, Marco e Giovanni, ricordano espressamente il mantello di porpora. Nella catacomba di Pretestato s'è conservata l'unica e perciò preziosissima pittura che rappresenti questo fatto così umiliante pel Signore; ma è da notarsi che in essa il Cristo non porta la clamide, bensì, come al solito, il pallio. Per sè non dovrebbe recar meraviglia l'allontanamento dalla narrazione evangelica; solo è strano che l'artista in questa cripta non sia stato coerente con se stesso nella scelta degli abiti, giacchè nella vicina scena del colloquio con la Samaritana diede a Cristo il mantello di porpora. Se la pittura della coronazione fosse stata eseguita isolata, nella cappella, potrebbe pensarsi che il pittore temesse di rendere incerto il significato del suo quadro, eseguendovi tre figure in abito militare, e che perciò gli conservasse il vestito che comunemente gli spettava; ma non può supporsi nell'artista tale timore, poichè la pittura appartiene ad un ciclo di rappresentazioni cristologiche. Siccome però deve escludersi pure il capriccio e l'arbitrio, rimane soltanto che debba ammettersi un'inavvertenza, un " lapsus penicilli "; l'artista aveva omesso di dare al Salvatore nella scena della derisione la caratteristica clamide purpurea; accortosene credette riparare allo sbaglio dipingendo il mantello della coronazione nella scena vicina, la quale e dal catino e dal pozzo era abbastanza specificata per il colloquio di Cristo con la Samaritana » (WILPERT, *Le pitture*, textus, p. 73). — Ut liquido patet longe inter se duo isti auctores dissentiunt.

coronatus.[1] Quamobrem haud certe Christianus coronatus in pictura nostra exhibetur, sed ipse Christus. Christus, igitur, revera dignus qui coronaretur, maiestatis plenus ibi est effictus, ac veluti statim post baptisma a Spiritu Sancto, sub columbae specie, Dei filius declaratur. Ioannes Baptista ei adstat, eum reverenter arundine indicans, arundine, scilicet, Christi caput quasi arcu circumdante. Ioannes vero, qui vetus adumbrat testamentum, Christum commonstrat Messiam, Regem, Dei Filium; quod quidem iterum testatur, Vetus Testamentum Novo Testamento inservire non autem vice versa, neque ipsum destrui sed perfici per Christum, et, contra Gnosticorum doctrinam, Iudaeorum Deum Iesu patrem esse.[2]

Denique, alter qui Ioannem comitatur, Praecursoris assecla est vel etiam apostolus.

Haec sane argumentorum complexio eiusque ita explicata significatio illud iuxta oratorem evincit, nempe dum Valentiniani Redemptorem non autem Iesum passum esse dicerent, picturae nostrae e contra Christum Iesum, Messiam, Regem, Dei Filium verumque hominem ploclament; eumdem

(1) TERTULL. *De corona*, c. I. — De hoc Tertulliani libro plus semel iam in hoc opere locuti sumus.

(2) Ut clarius ista intelligantur Tertulliani quemdam referam textum ex eius *De Praescriptionibus* libro exceptum: « Postea Basilides haereticus erupit: hic esse dicit summum Deum esse Abraxan, ex quo mentem creatam, quam graece **ΝΟΥΝ** appellant. Inde Verbum. Ex illo providentiam, ex providentia virtutem et sapientiam; ex ipsis inde principatus, et potestates, et angelos factos, deinde infinitas angelorum editiones et probolas: ab istis angelis trecentos sexaginta quinque caelos institutos, et mundum in honore Abraxae, cuius nomen hunc in se habebat numerum computatum. In ultimis quidem angelis, et qui nunc fecerunt mundum, novissimum ponit Iudaeorum Deum, id est Deum legis et prophetarum; quem Deum negat, sed angelum dicit ... Christum autem non ab hoc qui fecerit mundum, sed ab illo Abraxa missum venisse in phantasmate: sine substantia carnis fuisse: hunc passum a Iudaeis non esse, sed vice ipsius Simonem crucifixum esse; unde nec in eum credendum esse qui sit crucifixus, ne quis confiteatur in Simonem credidisse » (TERTULL. *Liber de Praescript.* c. XLVI, *P. L.* II, 62-63).

insuper pro genere humano redimendo passum ac mortuum esse. (1)

Hucusque dicta egregii professoris Attilii Profumo dissertationem in epitomen reductam praebent, quae tamen ipsa non integre, propter temporis angustias, proferri ab ipso potuit. Quoad hanc dissertationem illustris Academiae Praeses, professor Gatti, animadvertit, parum sibi verisimile videri tam subtilibus exquisitioribusque cogitationibus Christianos pictores duci aut afflari potuisse; egregius autem Comm. Marucchi postquam oratori gratulatus est quod interpretationem de militibus Christum spinis coronantibus excluserit, suas repetivit rationes, iuxta quas pictura Ioannis Evangelio afflata est, ac Ioannis Baptistae testimonium adumbrat. (2)

Equidem si quid sentiam dicere debeam, unum mihi evidens in hac disputatione evadit, scilicet picturas reddere quidem tempora sua, sed caute in sensu intimius ac modo decretorio determinando procedendum esse, nam ipsius picturae materialis compositionis nondum omnia perspecta sunt satis. Sic, exempli gratia, ex novis photographicis repetitionibus plane emicuit quod tamen aliqui hucusque negarunt, Christum scilicet revera ibi esse quodammodo coronatum.

Haec dum scribebam, mihi clarissimi professoris Marucchi allata est epistula, quae quanti sit in praesenti quaestione momenti quisque eam legendo intelliget:

(1) E Valentinianorum sententia, Iesus descendit quidem in Redemptorem sed tempore baptismi solummodo, in eoque mansit usque eo quoad Pilato coram Redemptor adstitit; deinde enim in pleroma reversus est; neque unquam veram Iesus assumperat humanitatem, sed tantum humanitatis apparentiam: «Christum autem missum ab illo propatore qui est Bythos (*dŏcet Valentinus*). Hunc autem in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de coelo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem» (TERTULL. *De Praescript.* c. XLIX; *P. L.* II, 69).

(2) Cf. *Nuovo Bullettino di archeologia cristiana,* an. 1909, p. 157–185.

« Roma, 20 marzo 1910.

« Carissimo P. Sisto,

« Quando ci vedemmo giovedì scorso nell'adunanza dell'Accademia romana di archeologia nella quale si discusse sulla insigne pittura del cimitero di Pretestato che alcuni credono rappresenti la incoronazione di spine del Salvatore, Ella mi disse che tale questione le interessava in modo particolare, perchè proprio in questo momento aveva sul tavolo il manoscritto del capitolo del suo volume di archeologia cristiana in cui si tratta appunto di quel dipinto celeberrimo.

« Data questa circostanza io accetto ben volentieri l'invito che Ella mi fa di esporle alcune ulteriori osservazioni da me fatte in seguito alla accennata discussione intorno al significato di quella scena tanto controversa.

« Ella ha già letto il mio articolo nel « Nuovo Bullettino di archeologia cristiana », 1909, n. 4. In esso mi pare di aver dimostrato chiaramente che la scena rappresentata in quel dipinto non può essere la incoronazione di spine; perchè tale rappresentanza è contraria allo spirito della primitiva arte cristiana che mai riprodusse le scene della Passione, e perchè la scena del dipinto accade in aperta campagna e perchè i due personaggi accanto al Cristo non sono soldati. Ella sa pure come io abbia sostenuto che in quel dipinto debba riconoscersi un episodio dell'incontro di Gesù con Giovanni Battista sul Giordano, ma non l'atto proprio del battesimo, bensì quello del *testimonium Ioannis* avvenuto il giorno appresso al battesimo secondo la narrazione del capo I del Vangelo giovanneo; giacchè al Giordano accennano l'albero palustre e la colomba, ed il Battista è per me senza dubbio quel personaggio che tiene in mano una canna palustre simbolo del battesimo che egli amministrava nell'acqua del fiume. Ed in questo particolare importantissimo del *testimonium Ioannis* la mia spiegazione differisce da quella del Garrucci il quale pensò pure al Giordano. E secondo me questa spiegazione del *testimonium* trova

una conferma nei due quadri dipinti proprio accanto a quello controverso, cioè la resurrezione di Lazzaro e la Samaritana, i quali esprimono episodi indicanti anche essi in modo esplicito la *messianità di Gesù* e che sono riportati con tale intendimento nello stesso quarto Vangelo.

« Il prof. Profumo nella sua dissertazione di giovedì ammise anch'egli che la scena del nostro dipinto si riferisca al Giordano e che la figura con la canna palustre sia Giovanni Battista; ma poi fisso nella idea che il capo di Cristo sia circondato da una vera corona, disse che oltre il Battista lì vi era il Salvatore incoronato di spine. Ed io confesso che non so comprendere come possa mettersi in relazione il Battista con il Cristo incoronato di spine.

« Io dichiarai esplicitamente che i segni dipinti intorno al capo di Cristo non sono spine ma bensì foglie identiche a quelle della canna e perciò aggiunsi che quelle foglie sono foglie palustri e che devono quindi mettersi in relazione al battesimo che è simboleggiato dalla canna palustre tenuta dal Battista; ed aggiunsi che se anche quella fosse stata una corona, non si poteva mai pensare alla corona di spine ma bensì alla corona di gloria del « Rex Israel » e che allora pure la mia spiegazione resterebbe la stessa.

« Ora, dopo la interessante discussione di giovedì, io ho esaminato di nuovo fotografie e disegni ed ho ripreso questo studio e mi sono convinto sempre più che le foglie intorno al capo di Cristo non sono spine ma bensì foglie palustri, e che queste sono state dipinte a destra staccate dalla canna e perciò danno a chi guarda la illusione di una corona. La mia opinione pertanto si è che l'artista non abbia voluto rappresentare affatto una corona ma abbia dipinto a sbalzi qua e là quelle foglie palustri (*che sono il simbolo dell'acqua*) intorno alla testa del Cristo, per indicare *che egli era stato già bagnato dall'acqua*; il che converrebbe egregiamente al testo evangelico del capo I di san Giovanni, ove si dice che il « testimonium Ioannis » ebbe luogo il giorno appresso al battesimo ἐπαύριον *altera die* (Ioan. I, 29). Nè credo che si potrebbe pensare al

Iesu baptizato et orante del Vangelo di san Luca (III, 21) perchè la figura di Cristo nel dipinto di Pretestato non è orante; mentre p. es. è orante il Cristo battezzato nel Giordano in un affresco del cimitero dei santi Pietro e Marcellino (Wilpert, *Ein Cyclus cristologischer gemälde* ecc., 1891, pag. 7), pitture che giustamente il Wilpert mise in relazione al racconto del terzo Vangelo.[1] Di più la immediata vicinanza dei due episodi di Lazzaro e della Samaritana presi unicamente dal Vangelo di san Giovanni conferma che veramente l'affresco del cimitero di Pretestato rappresenta la grande testimonianza del precursore secondo la narrazione giovannea.

« Io intendo continuare questo studio sul particolare delle foglie dipinte presso il capo di Cristo come simbolo del battesimo già ricevuto; e parmi già da qualche ricerca fatta che questo simbolo possa trovare dei confronti nell'arte classica, dove tali foglie sul capo delle figure indicano in relazione con l'acqua, come p. es. le figure dei fiumi; e tale confronto farebbe bene a proposito, perchè l'arte cristiana specialmente nel suo periodo primitivo ha preso alcuni motivi dell'arte greco-romana. Ma ad ogni modo tornerò a spiegare meglio tutto ciò in uno studio ulteriore che intendo pubblicare nel « Nuovo Bullettino ». Intanto però onde mostrarle che questa spiegazione è più attendibile di quello che a prima vista qualcuno potrebbe credere le faccio sapere che la stessa idea riguardo al simbolismo di queste foglie staccate è venuta dopo la discussione citata ad altri colleghi dell'Accademia senza che l'uno sapesse ciò che pensava l'altro; e questa coincidenza d' idee è per lo più indizio di verità.

« Questo è ciò che per ora posso dirle in proposito; e posso anche aggiungerle che fu quasi unanime il giudizio dei presenti alla indicata discussione nel ritenere inammissibile che nell'affresco di Pretestato sia rappresentata la scena della Passione.

« Gradisca intanto i saluti del

« Suo dev.mo

« O. MARUCCHI ».

(1) Cf. tabb. 126 et 127.

Post hanc, altera mihi epistula circa eiusdem picturae interpretationem ab egregio P. Bonavenia missa pervenit, quae operae pretium est ut integre hic referatur.

« Rev.^{do} e Ch.^{mo} P. Sisto

« *Pax Christi.*

« Avendo saputo che V. R. farà un'Appendice al suo terzo volume (*Notiones Archaeologiae Christianae*), nella quale esporrà un largo sunto delle cose discorse nell'adunanza della Pontificia Accademia Romana d'Archeologia (17 marzo 1910) su la celebre pittura in Pretestato, pittura che va sotto il nome di *coronazione di spine* di Nostro Signore G. C.; mi prendo la libertà di inviarle alcune mie osservazioni su lo stesso soggetto, perchè Ella ne faccia quella menzione che crederà più opportuna.

« Comincio dal recitare i testi del santo Evangelio, dai quali per ipotesi sia stato assunto il soggetto di quella pittura. La mia ipotesi (nel resto comune a parecchi valenti archeologi) è che la pittura si riferisca non al pretorio di Gerusalemme, ma alle vicinanze del Giordano, nel quale Nostro Signore Gesù Cristo fu battezzato da Giovanni. Adunque per ciò che riguarda il presente discorso, leggo in

« Matteo (III, 16-17): " Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua; et ecce aperti sunt ei caeli; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de caelis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui ".

« S. Marco (I, 9, 10, 11): " 9. ... Iesus... baptizatus est a Ioanne in Iordane. 10. Et statim ascendens de aqua, vidit caelos apertos, et Spiritum tanquam columbam descendentem et manentem in ipso. 11. Et vox facta est de caelis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui ".

« S. Luca (III, 21, 22): " 21. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Iesu baptizato et orante, aper-

tum est caelum; 22. et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; et vox de caelo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi ".

« S. Giovanni (I, 29-34) suppone la narrazione dei tre precedenti evangelisti ed aggiunge che il dì seguente "τῇ ἐπαύριον (altera die I, 29) vidit Ioannes (Baptista) Iesum venientem ad se... 32. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens, quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum. 33... 34. Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei ".

« Ora esaminiamo alquanto i tre primi testi citati. Dico i primi tre, perchè questi narrano la storia di un fatto avvenuto nello stesso identico giorno, mentre Giovanni narra quella del dì seguente.

« Quei primi tre considerati nel loro complesso dicono in sostanza la stessa cosa: ma per una notevole particolarità, trovo differenza dei due primi dal terzo. Giacchè Matteo e Marco, tra loro perfettamente concordi, ci fanno sapere che Gesù immantinente (εὐθὺς) nell' uscire dalle acque del Giordano " vidit Spiritum Dei... descendentem sicut columbam et venientem SUPER SE ". Così s. Matteo, e del pari s. Marco: (Iesus... ascendens vidit... Spiritum tamquam columbam descendentem et manentem IN IPSO). Dunque il primo e forse solo a vedere i cieli aperti e la colomba fu Gesù medesimo. *Iesus... vidit.* Ora a questo momento storico non corrisponde la nostra pittura. Basta un'occhiata alla scena ivi dipinta, e Gesù non ha la colomba dinanzi agli occhi, ma a così dire, dietro le spalle.

« Ma Luca aggiunge la particolarità che vi era presente molto popolo, e che fu vista la colomba *corporali specie, Iesu baptizato et orante.*

« Dunque s. Luca fa supporre uno spazio più o meno lungo o breve tra l'uscire di Gesù dalle acque, e il vedersi dai circostanti (tra i quali certamente il Battista, come si ricava dalla narrazione di s. Giovanni) e il vedersi, dico, lo Spirito Santo in forma di colomba scendere sopra il Messia. Certo la pit-

tura ci offre Gesù già rivestito dei suoi panni, e quando egli usciva dalle acque dovea esser nudo.

« Posto ciò è cosa evidente che la scena dipinta in Pretestato corrisponde alla narrazione di s. Luca e non a quella dei santi Matteo e Marco. Ma dovremo dunque escludere affatto questi due evangelisti dal concetto che informò il pittore nell'affresco di Pretestato; ed escludere anche s. Giovanni perchè ci narrò la storia del dì seguente?

« Prima di rispondere a questi ultimi quesiti, converrà premettere alcune altre osservazioni.

« Prima osservazione, o meglio prima serie di osservazioni: i quattro evangelisti convengono in additare *il luogo* ove avvenne il fatto: le rive del Giordano. Convengono pure in ricordare la colomba prodigiosa. Or queste due cose sono espresse nella nostra pittura: la prima col simbolico segno delle acque, ossia per mezzo della lunga canna vestita di parecchie sue foglie in mano ad uno dei tre personaggi formanti il gruppo; l'altra, nella propria forma di una colomba. Questa colomba poi è precisamente nell'atto di discendere a volo, secondochè leggesi nei quattro evangelisti. Ciò quanto al luogo. Anche *quanto al tempo* gli evangelisti convengono, perchè se Giovanni narra cose avvenute nel giorno seguente, fa però rientrarvi il ricordo della colomba apparsa nel giorno precedente. Donde segue (se non erro) che niuno dei quattro evangelisti debba del tutto escludersi dall'avere influito nella invenzione e composizione del nostro quadro.

« Anzi dico fin d'ora che di fatto vi influirono più di quello che possa dedursi dal fin qui detto. Passo quindi ad un altro esame più particolareggiato della pittura, e solamente della pittura, e sarà la seconda serie delle osservazioni.

« 1° Noto che i tre personaggi non posano in un medesimo piano. Il Cristo rasenta coi piedi quasi la linea della cornice orizzontale inferiore; gli altri due alla sua destra ne sono distanti in misura media due centimetri. Aggiungo che anche l'albero a sinistra del Cristo sta piantato allo stesso piano con i due personaggi suddetti. Dunque i due personaggi e l'albero

non formano una intera ed unica superficie in senso verticale con quella del Cristo, che posa in piano più basso, ma una superficie parallela indietreggiante al di là del Cristo. Dunque qual corollario evidente da ciò si deduce, che la lunga canna in mano del personaggio di mezzo non cade sul capo di Cristo ma al di là del medesimo. Dunque... ma prima di quest'altro dunque, osserviamo il gesto di quel personaggio di mezzo. Egli stende il braccio impugnando la lunga canna. Stando egli in un piano più alto, ove fosse vero che volesse percuotere il capo di Nostro Signore, la direzione del braccio dovrebb'essere ben diversa. Noi dovremmo vedere la sua persona volta a noi quasi di fronte e il suo braccio in iscorcio, o almeno non vederne tutto il gomito e molto meno quella leggiera curva che inclina l'avambraccio e conseguentemente la canna piuttosto verso il fondo del quadro che verso il Cristo. Dunque (quel dunque, rimasto poco fa sospeso), dunque il braccio e la canna sono stesi ad indicare un oggetto al di là del Cristo. È forse l'albero? è forse la colomba? Naturalmente è da preferire la colomba. Ma qui pure c'è da ridire prima di una categorica affermazione.

« Noi non abbiamo ancora osservato l'atteggiamento di quei due personaggi relativamente alle loro teste, agli occhi, al collo. Le teste sono levate in alto, in alto gli occhi, in alto il mento, e perciò necessariamente il collo teso. Quindi la linea visuale dei loro occhi va più su del capo di Cristo. Andrà dunque alla colomba. Ma si osservi nella pittura che la colomba sta in punto più basso che il capo di Cristo, giacchè trovasi a pari altezza con l'omero della figura di Cristo. Può forse la distanza della colomba supplire a ciò che manca in altezza? A me pare di no. E qui altra osservazioncella importantissima. I piedi della colomba non toccano affatto l'estremità del ramo, come in talune copie di quella pittura si vede, ma essa è liberamente librata in aria e vien giù a volo spiegato verso il Cristo. Ma dove mirano dunque gli occhi di quei due personaggi? A che sono intese quelle teste? Gli occhi vanno certamente con la loro visuale al di là della linea rossa orizzontale

che forma la superiore cornice del quadro. Mirano dunque più su del Cristo, più su dell'albero e della colomba, mirano insomma in cielo. E perchè mai? Ce lo dice il sacro testo: *Et ecce vox de caelis* (S. Matteo); *et vox facta est de caelis* (S. Marco); *et vox de caelo facta est* (S. Luca). Questa voce fu udita dal popolo ivi presente, ma prima della voce si vide scendere la colomba, e verso questa si indirizzava la canna, ma seguitando la colomba a volare in giù, la canna stessa non va più precisamente a colpire, per modo di dire, sul segno: e le teste si sono levate in alto verso la voce che s'udiva dal cielo. Il Cristo rimaneva nella sua posa divina.

« Se giuste sono le osservazioni fin qui esposte, non sarà difficile il persuadersi, che chi ideò la composizione del nostro quadro attinse le notizie storiche ai quattro santi Evangelisti, e il suo pensiero mirò a formare un tutto, che insieme raccogliesse il più possibile degli elementi somministrati dalle quattro ispirate narrazioni. Al che, per vero dire, potea bastare anche la sola narrazione di S. Luca.

« Di fatto però è ben presumibile che *la scelta del soggetto* sia stata suggerita dall' Evangelio di S. Giovanni, vedendo noi che nel cubicolo stesso di Pretestato sono rappresentati, tra i pochi superstiti, due altri fatti che si narrano solamente dall' Evangelista Giovanni, la Samaritana cioè al pozzo di Giacobbe, e la risurrezione di Lazaro. Nondimeno IL PROPRIO MOMENTO STORICO DELL'AZIONE dee senz'altro attribuirsi alla narrazione di S. Luca. Ciò è ben manifesto, mi sembra, da quanto si è ragionato di sopra. Si rilegga il testo di S. Luca (III, 21, 22). Ivi nulla manca di quanto ci offre l'affresco in Pretestato, eccetto una cosa sola, quella cioè di fare il Cristo in atto di *orante*. Vi si è certamente espresso il *Iesu baptizato*, ma non il *Iesu orante*. Or, questa deliberatamente voluta omissione rende più credibile ancora, che nella mente dell' artista (o chi per lui) dominò l' idea, che caratterizza l'Evangelio di S. Giovanni, l'idea, dico, di glorificare la divinità di Cristo.

« Ma passiamo ormai all'ultimo come nodo della questione, e dalla cui soluzione dipende pure lo scioglimento delle diffi-

coltà, che sono sorte nella mente di chi ha seguìto il mio discorso e conosce le animate controversie che vi hanno fatto intorno archeologi di alto grado. Vo' dire di quelle pennellate che nel nostro quadro circondano il capo di Nostro Signore.

« Io, prima di por mano a scrivere questa mia qualunque più dissertazione che lettera, volli andare a Pretestato (lunedì 14 marzo 1910), e salito sopra un' impalcatura che mi ponesse esattamente all'altezza e prossimità anche minima del quadro, ed aiutandomi più e più volte di una ben ampia lente, andai esaminando ogni minuzia della scena, ma sopratutto le dette pennellate. Con ciò mi accertai che *a destra* del capo di Cristo quei pochi tratti somigliantissimi nella forma e nel colore alle foglie della lunga canna tenuta in mano dal Battista, non toccano affatto nè i capelli nè le tempia del Salvatore, ma sono come sospese in aria; invece *sul convesso* del capo e *al lato suo sinistro* vi è un leggiero contatto tra quelle anch' esse poche foglie e i capelli.

« Io sospesi allora e per altri giorni il mio giudizio, ma sempre più mi arrise un confronto recato già dal Garrucci nell' illustrazione di questa stessa pittura.[1] Egli richiama la scena del battesimo per immersione e infusione dipinta nel cubiculo A_3 [2] in Callisto. Ivi il battezzato è coi piedi nell'acqua, ed ha sopra e intorno al capo delle pennellate verdastre che rappresentano acqua, senza che apparisca chi versi quell'acqua; giacchè il battezzante gli pone solamente la destra sul capo. Il qual gesto avrebbe potuto far pensare, che vi si trattasse del sacramento piuttosto della *confermazione*, che del battesimo, ma quelle pennellate (sebbene rappresentanti l'acqua in modo del tutto inverosimile) tolgono ogni dubbio e ci rendono certi che ivi si tratti esclusivamente del *battesimo*. In tal pensiero, e considerando che il pittore di Pretestato si mostra molto libero nell'usare i suoi *tre soli* colori, giallastro, bianco e rosso: quasi quasi io inclinava a giudicare che non avesse avuto

(1) Garrucci, vol. II, p. 46.
(2) Vide tabulam 133, p. 155.

scrupolo di rappresentare degli sprazzi di acqua col colore usato ad effigiare le foglie della canna. Ma la mattina del 19 (del sopraddetto marzo), feci l'ultimo passo nella mia ricerca. Ragionai così. Il pittore in Callisto contrappose acqua ad acqua. Qui in Pretestato il pittore *al simbolo dell'acqua*, che è la canna con le sue foglie, contrappose parimenti foglie di canna o simile pianta palustre; dunque *il simbolo dell'acqua*. Dunque in quei tratti non dipinse una corona di spine, ma dette foglie, e queste o volanti o leggermente posanti già sul capo o a contatto coi capelli a sinistra di quel capo divino. Dunque rimane accertato che in tal modo egli ha con geniale invenzione ritratto il *momento storico* indicato da S. Luca, cioè, *Iesu baptizato*.

« Con ciò termino, e non le nascondo una cotal piena soddisfazione che provai per la soluzione di quel quasi enimma, la mattina del mio caro S. Giuseppe; e da lui riconoscendo il favore, l'ebbi in conto di strenna da lui fattami proprio il dì del mio onomastico.

« Potrei e forse dovrei spiegare alquanto diffusamente parecchie cose qui appena accennate, ed anche aggiungere altre particolarità qui omesse; ma non voglio abusare della sua pazienza, avendo in sostanza proposto il mio modo di pensare su l'interpretazione di quella preziosa pittura.

« Nel resto conchiuderò anch'io con le parole del Garrucci (alla cui spiegazione io mi attenni sempre sino dai principii delle mie lezioni di archeologia cristiana, cioè dal 1888): " Il lettore scelga fra le *due* (ora dobbiamo dire almeno *quattro*) opposte sentenze ". (1)

« Con ogni ossequio

« Roma, Pontificia Università Gregoriana, 21 marzo 1910.

« Infimo in Cristo servo
« GIUSEPPE BONAVENIA, S. I. »

Ut e descriptis epistulis patet, nisi milites sint qui arundinibus muniti Christo adstant, omnis est ratio cur ipsae arun-

(1) GARRUCCI, vol. II, p. 46, tav. 39.

dines aquae symbolum dicantur; aut, si unica admittatur arundo, ea Ioannem Baptistam designet. Ad columbam vero quod attinet, sive propter eius situm, sive propter altitudinem relate ad Christum, haud clarior eius significatio evadit. Etenim Spiritus Sanctus super Christum descendit, hic vero columba, si quidem columba est, iam ad humeri Salvatoris altitudinem pervenit, ac ne in humero quidem fore ut consistat videtur. Denique pauci penicilli ictus bene potuere in mente artificis, sicut folia palustria, etiam folia cum spinis innuere. Quomodocumque sit, sagax prorsusque nova mihi P. Bonaveniae animadversio videtur, scilicet haud in eadem fronte et linea imaginem Salvatoris cum ceteris imaginibus arboreque extare. Hinc videat studiosus quam caute sit in picturis interpretandis procedendum, praesertim quum, ut in praesenti casu, propter ipsam, ut ita dicam, materialis imaginis non satis perspicuam repraesentationem, ne principia quidem interpretationis communia tuto applicari possunt. Restat igitur ut, unusquisque interpres, postquam suam ediderit sententiam aliorumque fideliter sententias retulerit, iuxta Garrucci quaedam verba supra a P. Bonavenia relata, dicat studiosis: Ita ego sentio, sed eligat lector quid sibi magis arriserit [1].

(1) Egregiis viris qui epistulas supra relatas, ut quoad fieri posset appendix nostra perfecta evaderet, nobis miserunt publice amplissimas reddimus grates.

INDEX

AD LECTOREM . . . . . p. VII

CHRISTIANORUM SYMBOLA ET PICTURAE

Consideratio praevia 1

CAPUT I. Christianorum epitaphiorum symbola.

Art. I.... Animae ac beatitudinis aeternae symbola . . . 3
Art. II.. Symbola Christum et crucem significantia . . 25
Art. III. Symbola sacramentorum signa 40
Art. IV. Formularum symbolorumque in epitaphiis indoles 48

CAPUT II. Picturae sepulcrales.

Consideratio praevia 53
Art. I.... Technica picturarum – Pictores 54
Art. II.. Quanta sit inter Christianas et ethnicas picturas congruentia 61
Art. III. Gestus in picturis sepulcralibus, barba et caesaries 67
Art. IV. Vestimenta in picturis coemeterialibus 74
Art. V.. Criteria chronologica 84
Art. VI. Picturarum Christianarum chronologicus prospectus 87

CAPUT III. Picturarum interpretationis universalis ratio.

Art. I.... De diversis, circa indolem picturarum Christianarum, auctorum sententiis – Quaenam ex eis verisimilior dicenda 95
Art. II.. Picturarum interpretationis fontes 100

CAPUT IV. Christus et Maria.

Art. I.... Christus 107
Art. II.. Christus miraculorum patrator 132
Art. III. Christus Pastor, Legislator et Doctor 140

Caput V. Picturae sacramenta significantes.

Animadversio praevia . . . . . p. 149
Art. I.... Baptismatis repraesentationes 150
Art. II.. Baptismatis symbola 154
Art. III. Eucharistiae symbola saeculi II 166
Art. IV. Symbola eucharistica saeculi III et IV 187

Caput VI. Defunctorum suffragia.

Animadversio praevia 205
Art. I.... Picturae quae humanam infirmitatem Deique misericordiam declarant 214
Art. II.. Picturae fidelium animas, auxiliante Deo, ex omnibus malis eripiendas et a periculis inferni tuendas fore significantes 218
Art. III. Picturae Dei servos ad visionem beatificam admittendos significantes 242

Caput VII. Hominis novissima.

Animadversio praevia 251
Art. I.... Picturae animae iudicium significantes 257
Art. II.. Picturae animam dum in paradisum introducitur repraesentantes 267
Art. III. Picturae paradisum, in quo animae iustorum sunt receptae, adumbrantes 275
Art. IV. Convivium caeleste 282
Art. V.. Martyres et sancti variis modis in paradiso repraesentati 297
Art. VI. Quaedam circa hucusque propositas picturas generaliter animadvertenda 311

Caput VIII. Picturae ad aeternam defunctorum sortem haud directe respicientes, et significationis incertae.

Art. I.... Picturae artes seu officia exhibentes 321
Art. II.. Christi passionem martyrumque cruciatus picturae adumbrantes 330
Art. III. Incertae significationis picturae 345

Bibliographia 351

Tabularum extra textum brevis explanatio 361

Appendix 363